Joh. Fridericus Frid. 1731.

Digitized by Google

Joh. Fridericus Frid. 1731.

Digitized by Google

24:B

Bibliotheca Helvetica
Ph: Bridel past: in montreux
1811.

rarum volumen

H: 111-31-

Il y a des details sur le conclave de Basle l'election et le couronnement du Pape Felix
p: 98-117

La première partie comprend la "Cosmographia"; la seconde partie qui comprend l' "Historia bohemica", a un titre particulier, une pagination spéciale et une adresse propre. Le titre porte : "Aeneae Sylvii Piccolominei, postea Pii II papae, Historia bohemica". L'index de cette seconde partie a été relié par erreur au milieu de l'index de la première partie.

BNP

Digitized by Google

# ÆNEÆ SYLVII PICCOLOMINEI POSTEA PII II. PAPÆ OPERA GEOGRAPHICA ET HISTORICA.







D 74 1


*HELMSTADII,*
Impensis JOH. MELCH. SUSTERMANNI,
Bibliopolæ ibid. M DC IC.

Digitized by Google



# COSMOGRAPHIA
## SEU
## Rerum ubiq; gestarum historia locorumq́; descriptio.

### PRÆFATIO.



*Vacunqve Mortales agunt, sive privatim sive publicè, calumniæ subjacent, nec divinis operibus maledica lingua parcit. tantum sibi humanus arrogat intellectus! Qvid nos speremus historiam cum veterum aliqvorum tum nostrorum temporum tradituri? An fugiet laborem nostrum malignus interpres? Minimè qvidem, nec tantum nobis arrogamus. Unde hoc, inqvient, otium Pontifici Maximo? qvod in scribendo tempus absumpsit, Christianæ plebi detraxit: Cur non utilius sese exercuit?*

 tem-

*tempora noſtra & res vulgo notas inculcat, qvis fructus? qvæ legendi voluptas? Nec vera prodit, nec prodita ita exornat, ut auditorem delectent. Verum qvi ſcripta noſtra faſtidit, prius legat, deinde vituperet. Non ingentia ſolum facta, ſed tenuia qvoq; noviſſe ſæpe ex uſu fuit, nec tempora noſtra non admiranda minoribus videbuntur. Qvod ſi lectorem ſcribentis elegantia non tenebit, varietas rerum & novitas abire non ſinet; nec liber tam ineptus, qvi non afferat aliqvid emolumenti, nec nos falſa pro veris aſtruemus, ſcientes nil tam contrarium eſſe hiſtoriæ qvàm mendacium. Nugas in fabulis, in hiſtoria verum qværimus & ſerium. Nec nos plebem ſuo tempore fraudavimus, qvi nec rem divinam neglеximus, nec conſiſtoria ſeu publica ſeu ſecreta prætermiſimus, nec ſupplices audire contempſimus. Sed noſtrum ſenium ſua qviete privavimus, ut ea memoriæ mandaremus, qvæ digna cognitu noſtra pertulit ætas, cum brevi veterum recenſione. Nocturni ſunt hi labores, nam qvæ ſomno debebantur, horarum maximam partem ſcribendo conſumpſimus. Fatemur, melius ſuas vigilias expendiſſet alius, ſed dandum fuit aliqvid menti, qvæ his lucubrationibus oblectata eſt. Nec nos latet Damaſos, Gregorios, Leones, Bonifacios, Innocentios, & alios qvam plureis ex noſtris anteceſſoribus*

*longè*

*longè utilius otio suo fuisse usos. Sed neq; hoc nostrum non frugi est. Historiam enim texuimus qvàm nostri majores vitæ magistram appellaverunt. Nec abre, si qvidem prudentia est qvæ vitam ducit. Prudentiam verò, multarum & magnarum rerum cognitio parit, qvam nemo inter scriptores melius Historico tradit. Sed qvid contendimus tanqvam maledicis occursuri clausuriq; ora? frustra nitimur, & in dextro & in sinistro latrant itinere canes, nullius vita sine reprehensione cucurrit. Communem sortem æqvo animo ferre decet. Qvodcunq; de nobis judicium fuerit, non inviti subibimus, qvando in hac historia nec optimorum speramus laudem, neq; pessimorum timemus vituperium, neq; qvi nobis detraxerit, id gloriæ asseqvetur, ut omnes ei consentiant & fortasse futura ætas id approbabit, qvod nostra rejecerit. Scribendi ordo sic erit: Qvæ propter nostrum ævum gesta sunt memoratu digna (qvantum cognovimus) enarrare curabimus, prisca nonnulla præmittentes, qvæ vel cognitionem majorem rerum, vel ornatum afferant. Digeremusq; singula per sua loca, & ab orientali plaga facientes initium, per medias provincias narratione deducta, ad occiduas nostrasq; oras remeabimus, de locorum gentiumq; natura & situ, qvæ videbuntur necessaria, inserentes. Et*



Digitized by Google

*qvoniam rerum qvas ſcribimus, qvasq; mortales agitant, campus eſt ipſe terrarum orbis, qvatenus colitur cum interjectis & circumfuſis aqvis, pauca de ipſo in communi attingenda ſunt, priusqvàm parteis ejus & locorum hiſtoriam aggrediamur.*



De



# CAP. I.

## *DE MUNDO IN UNIVERSO FORMA EJUS ET PLAGIS TERRÆ.*



MUndi formam omnes ferè consentiunt rotundam esse, idemq; de terra sentiunt, qvæ in medio rerum constituta, gravia qvæq; ad se trahit, aqvis majori ex parte submersa. Sunt qvi arbitrantur qvatuor ejus plagas apparere, qvas magnus intersecet oceanus duobus amplissimis fluminibus eas ambiens, qvorum alterum Zodiaco subjiciatur, alterum ab aurora dextra lævaq; per Polos defluens extra columnas Herculeas conjungatur, atqve in hunc modum totius terrę qvatuor portiones, velut ingentes insulas emergere, qvę cœlo subjectæ benigno mortalium habitationes admittant. Parmenides terram sicut & cœlum in qvinq; zonas partitus est, qvarum duas polis propinqviores nimio rigore frigoris, & terram qvæ cursui solis objiceretur, excedenti æstu inhabitabiles existimavit. Reliqvas hinc atq; inde inter torridam & gelidas felici temperamento culturam recipere: qvem plures, cum Græci tum Latini, secuti sunt. Pleriq; unam tantummodo terræ partem emersisse tradiderunt, inter septentrionem & æqvinoctialem circulum, idq; divinam mentem hominum causa statuisse, digna sententia qvam Christianus approbet. Hujus figuram alii sphæricam, alii oblongam faciunt, his Claudius Ptolomæus consentit, & probabilior videtur opinio. Homerus terram omnem qvam incolimus, ablui oceano prodidit,



Digitized by Google

didit. Neq; alienum eſt inſulam eam eſſe. Nam qvocunq; accedere ad extrema terræ mortalibus permiſſum eſt, mare invenitur, qvod oceanum appellamus, & hunc noſtræ habitabilis terminum qvaqva verſum exiſtimant. Ptolomæus habitationem noſtram à qvatuor orbis partibus terra incognita claudit, qvamvis plerisq; in locis oceano terminari affirmet.

## CAP. II.

### *An mare circumnavigari qveat, ſententia.*

CIrcumnavigari an hæc inſula qveat, dubitatum eſt. Strabo Gnoſius auſtrale pelagus propter intolerabilem æſtum, boreale qvoniam frigore concretum eſſet, minimè navigari poſſe putavit. Julius Solinus Jubæ teſtimonium adducit, qvi univerſæ partis terræ meridianæ, qvam plurimi propter ſolis ardorem perviam negaverunt (facta vel gentium vel inſularum commemoratione, ad confirmandæ fidei argumentum) omne mare, qvod ab India uſqve in Hiſpaniam retro Africam cingit, navigabile affirmavit, adjectis ſtationum locis, & ſpatiorum modo præſcripto. Plinius Veronenſis ſcribit, in Arabico ſinu, res gerente Cæſare Auguſti filio, ſigna navium ex Hiſpanienſibus naufragiis fuiſſe recognita, & Hannonem florente Carthaginis potentia circumvectum à Gadibus ad finem Arabiæ: eam navigationem ſcripto prodidiſſe: Cornelium qvoq; Nepotem autorem facit, Eudoxium qvendam ſua ætate, cum Lathyrum regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum Gades uſq; pervectum: commemorat Cælius Antipater à ſe viſum, qvi ex Hiſpania commercii gratia uſq; in Æthiopiam navigarit. De ſeptentrionali oceano major contentio eſt, qvem tamen magna ex parte Divi Auguſti auſpiciis circa Germaniam navigatum conſtat uſq; ad Cimbrorum promontorium: Caſpia verò littora Macedonum armis Seleuco & Antiocho regnantibus ita explorata & pernavigata ſunt, ut parvo brevius, qvam totus hinc atq; illinc ſeptentrio ſit remigatus. Plinius Nepotis teſtimonio utitur: qvi Metello Celeri Galliæ Proconſuli donatos à rege Svevorum Indos aſtruit: qvi ex India commercii cauſa navigantes tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti. Nos apud

Otho-

Othonem legimus, ſub imperatoribus Teutonicis Indicam navim & negotiatores Indos in Hermanico littore fuiſſe deprehenſos, qvos ventis agitatos ingratis ab orientali plaga veniſſe conſtabat, qvod accidere minime potuiſſet, ſi, ut plerisqve viſum eſt, ſeptentrionale pelagus innavigabile concretumq́; eſſet. A columnis Herculeis Mauritaniæ atq; Hiſpaniæ & Galliarum circuitus, totusq́; ferme occidens hodie navigatur. Orientem nobis incognitum, cum religionũ atq; imperiorum diverſitas, tum barbaries immenſa reddidit. Veteres tamen navigatum produnt, & oceano qvi extremas amplectitur terras, à ſuis littoribus nomina indiderunt, Hiſpanicum, Gallicum, Germanicum, Scythicum, Caſpium, Sericum, Eoum, Indicum, Libycum, Atlanticum appellantes.

## Cap. III.

### *De Marium & ſinuum diverſitate ſecundum varios autores.*

STrabo habitabilem noſtram circumfluam eſſe dicit, & ab exteriore mari multos in ſe ſinus admittere, è qvibus aqvilonarem, modò Caſpium, modò Hircanum vocat, duos ab auſtrali pelago effundi in viſcera terræ, Perſicum & Arabicum tradit, & illum adverſum maxime Caſpio. Qvartum hos magnitudine ſuperare: qvi mare noſtrum, qvod interius appellamus, efficit. Omneis autem ab extremo mari anguſto æſtu influere. Straboni multi conſentiunt. Ptolomæus plurimum adverſatur, qvi omne illud mare qvod Indicum appellatur cum ſuis ſinibus Arabico, Perſico, Gangetico & qvi proprio vocabulo magni nomen habet, undiqve terra concludi arbitratus eſt. Hyrcanum qvoqve qvod & Caſpium nominat, ab omni parte terra cinctum tanqvam inſulæ ſimilitudinem ex oppoſito ducat: noſtrum tantummodo pelagus ab exteriori per arctiſſimas fauces terram irrumpere, qvod cum ſinibus ſibi adiunctis uſqve in Euxinum & Mæotim paludem exit. Herodotus etiam Caſpium mare ait per ſeſe eſſe: neqve cum alio qvoqvam miſceri, longitudinis qvindecim dierum curſu navis, qvæ remis agatur: latitudinis, ubi amplius,

us, octo. Baltici sinus nemo veterum meminit: Oceanum esse crediderunt ejus partem, qvi Germanicus appellatur, sed ambitur hic etiam continenti, nec magnis circa Daniam ostiis ab Oceano irrumpens sinum amplissimum efficit, multasqve & ingenteis circumfluit insulas. Jordanus hujus maris mentionem facit, sed errat: qvamvis Gothus cum priscis oceanum esse putet. Albertus Magnus ingentem hunc sinum esse cognovit: homo Germanicus, qvi nationis suæ limites non ignoravit.

## CAP. IIII.

## *De longitudine & latitudine & climatibus terræ.*

TOtius terræ sive ambitum sive diametrum qværere, furor. Longitudinem habitabilis ab ortu in occasum, septuaginta millium stadiorum extendi proditum est. Latitudinem ab Austro in Boream triginta millibus minorem esse Straboni visum. Ptolomæus de latitudine consentiens longitudinem variam prodit, quam sub arcu æqvinoctialis circuli nonaginta millium stadiorum esse contendit, totumqve ambitum noti orbis stadiis centum octoginta millibus constare censet. Latitudinem terræ, qvatenus habitatum existimarunt, majores nostri in septem climata diviserunt. Qvorum primum ab insula Meroë usqve Syenem per millia passuum qvadringenta & qvadraginta protenditur. A cujus fine secundum incipiens in Alexandria Aegypti finitur, qvadringentis passuum millibus amplum. Tertium in Rhodo desinit, hujus latitudo trecentis & qvinqvaginta millibus passuum extensa est. Qvartum Rhodiense appellant, eiqve trecenta millia passuum latitudinis attribuunt. Qvintum Romanum ducentorum & qvinqvaginta qvinqve millium. Sextum ad Borysthenem usqve amnem producunt, ducentis & duodecim millibus patens. Septimum ad Riphæos monteis per millia passuum centum & octoginta qvinqve. Atqve ita omnium climatum latitudo supra vicies centena centum qvadraginta duo millia passuum complectitur,

plectitur, qvemadmodum his visum, qvi de terræ climatibus scriptitarunt. Longitudo climatum ab ortu in occasum protrahitur, tantumqve alterum ab altero superatur, qvantum ab æqvinoctiali circulo procul abest. Haud tamen his climatibus omnis habitabilis continetur. Siqvidem longè ultra Meroen degere homines, & Ptolomæus, & multi alii prodiderunt, & ultra septimum clima, qvod Riphæis montibus terminatur, magna pars Germaniæ sita est, & tota Noruegia, ipsaqve Brittanniæ insula atqve Hiberniæ, in qvibus maximi dies, haud minus qvam duas deviginti horas assumunt: qvos in septimo climate horis terminari qvindecim tradiderunt.

## CAP. V.

### *An sub æqvinoctiali circulo ac torrida zona sint habitationes.*

AN verò sub æqvinoctio habitatio sit, dubitatum est. Eratosthenes perbenignam ibi temperiem esse arbitratur. Idem sentit Polybius, qvi solum illud sublime asserit: & imbribus irrigatum. Posidonius sub æqvinoctiali montana esse negauit. Qvidam æqvinoctialem circulum extra omnem terram, per oceanum ferri putaverunt. Sic enim Homero visum est, qvi solis eqvos ex oceano bibere, & sidus ipsum inde nutriri putavit: qvem secutus est Macrobius. Nec magnus Albertus ab hac sententia procul fuit, qvi tantum humoris sub torrida zona consumi existimavit, qvantum sub polis assidue gigneretur: qvibus in locis ab excellenti frigore aqvas ex aere perpetuo generari asseruit. Ptolomæus adversus est, qvi Taprobanæ insulæ partem sub æqvinoctio collocat, & multas Aethiopum genteis. Nonnulli paradisum terrestrem sub ea cœli parte sitam crediderunt, qvibus sacrarum reluctatur autoritas literarum, qvæ Tigrim & Euphratem fama notissimos amneis ex Paradiso defluere commemorat, qvos à septentrionali plaga in Persicum devolvi sinum non ignoramus. Minimè tamen propinqvitas solis directiqve sideris radii habitationem impediunt, locorum opacitate opitulante,

tulante, & noctium humiditate, qvæ diebus per omne tempus æqvales existunt: esse tamen sub æqvinoctio, & per omnem torridam zonam multas vastitates, & terras humore carenteis, ac prorsus humanæ naturæ incommodas nemo negaverit, qvamvis circa lucos & amneis Aethiopum populi degant. Plinius refert Dalionem qvendam & Aristocleonem, & Bionem, & Basilidem ultra Meroen longè subvectos. Simonidem verò, qvi Aethiopiam descripsit, in Meroe qvinqvennio moratum, qvam insulam per noningenta & septuaginta duo millia passuum, ultra Syenem Aegypti sitam esse affirmat, sicut Neronis exploratores renunciavere. Apud Syenem vero conversionem Solis æstivam ponunt, & ibi torridam incipere zonam, ab æqvinoctiali tractu gradibus qvatuor & viginti distantem, hoc est stadiis duodecim millibus, qvæ passus efficiunt qvindecies centena millia, ex qvo fit, ut paulò ultra medium, inter æqvinoctium & Syenem jacentem Meroen accipiamus. Ptolomæus ultra æqvinoctium Agisymbain regionem habitatam ponit, & Lunæ monteis, ex qvibus Nili paludes oriuntur, & Antropophagos Aethiopas per gradus circiter sexdecim, atqve in hunc modum, per decies centena millia passuum, cultura hominum trans æqvinoctium invenitur, qvod spacium non minus terræ qvam duo climata complectitur.

## Cap. VI.

### *Partitio nostra habitabilis in Asiam, Africam & Europam treis principales parteis, & ubi conjungantur.*

Consensu omnium receptum est, totius habitabilis treis præcipuas existere portiones, qvarum præ magnitudine, prima est Asia, secunda est Aphrica, tertia Europa. Asia conjungitur Aphricæ, (sicut Ptolomæo visum est) per dorsum Arabiæ, qvod mare nostrum ab Arabico sinu disjungit. Nemo id negat, sed adjicit ille alio in loco conjungi per terram incognitam: qvæ Indicum pala-

pelagus circumplectitur, in qva ſententia penè ſolus eſt. Omneis enim qvos offendimus de ſitu orbis ſcribenteis, mare Indicum ad auſtrum & orientem ſine terminis ponunt, & partem oceani eſſe volunt, ſicut ab his traditum eſt, qvi ab Arabico ſinu in Atlanticum mare, & ad columnas Herculis navigarunt. Europæ & Aſiæ conjunctio fit per dorſum, qvod inter paludem Mæotim & Sarmaticum oceanum excurrit ſuper Tanais fluvii fonteis. Aphrica nuſqvam per ſeſe Europæ cohæret, hinc freto Herculeo, illinc Aſia interiacente diſcreta. Fuerunt qvi eam ab Aſia diſiungere voluerunt, id terræ intercidere meditati, qvod inter rubrum & noſtrum pelagus medium eſt, cujus latitudinem non amplius qvam mille & qvingentorum ſtadiorum eſſe dixerunt, primusqve omnium Seſeſtris Aegypti rex id efficere cogitavit. Mox Darius Perſarum, deinde Ptolomæus ſeqvens, qvi foſſam eduxit, latitudine centum pedum, altitudine triginta: longitudine paſſuum triginta ſeptem millium, & qvingentorum. Ultra progredientem metus inundationis deterruit excelſiore tribus cubitis rubro mari comperto, qvam terra Aegypti. Plinius omiſſam foſſionem aſſerit, ne mare immiſſum aqvam Nili corrumperet, qvæ ſola potus præbet Ægyptiis.

## Cap. VII.

### *Qvi Africæ, Europæ, Aſiæ limites: & diviſione Aſiæ per Taurum montem.*

NIli amnem pleriqve limitem eſſe inter Aſiam & Africam volunt. Melior per maria certiorq; partitio eſt, ita ut peninſulam Africam accipiamus, undiqve mari cinctam præter Iſthmum, qvi à Peluſio in Arabicum ſinum excurrit. Nec usqvam ſeptentrionalior eſt Alexandria: qvæ triginta & uno gradibus ab æqvinoctio diſtat, niſi fortaſſe promontorium aliqvod aut in noſtrum, aut in Atlanticum pelagus paulò amplius procumberet. Europa per Hiſpaniam, Italiam, & Peloponneſum auſtralior eſt, parallelum qvi per Rhodum ducitur attingens, in ſeptentrionem per Germaniam & Nor-

vegiam maximè protensa. Qvinto & sexto climate felix, ulterius non adeo benigna Asia ad septentrionem & ad meridiem extenditur. Australiora ejus latera Moroë sunt opposita, qvamvis aurea Chersonessus in India ad æqvinoctialem usqve circulum protendatur, partes ejus magis Boreales ad Scythas pertinent, intra & ultra Imaum montem, qvæ ad parallelum usqve per Thulem proferuntur. Taurus mediam qvodammodo scindit, qvi ab occidente in orientem excurrens, partem ad aqvilonem, partem ad meridiem relinqvit, Græci alteram interiorem vocant, alteram exteriorem. Latitudo montis plerisqve in locis stadiorum tria millia continet. Longitudo qvantum Asia, stadiorum circiter qvinqve & qvadraginta millia, ab ora Rhodiensi usq; ad Indiæ & Scythiæ extrema orientem versus: caput ejus inter Cariam Lyciamqve consurgit: qvibus in locis modo Cadim mons, modo Cragus appellatur, neqve altitudine, neqve latitudine memorabilis, multæ sunt ejus partes: & multa illi nomina vetustas indidit. Progressus intra continentem, qvantum Lyciæ fines extenduntur: tum primum & attollitur ex promontorium Masicytum ad dexteram emittit qvod in mare Pamphilicum usqve procumbens Pamphiliam ipsam Lyciamqve disjungit, mox ad septentrionem vergens, Celenorum efficit jugum, qvod ad magnam Phrygiam Lycaoniamqve respicit: transmissa verò hinc atq; inde Pisidia Ciliciam attingit: & Antiochia à sinistris relicta in duo cornua dividitur, qvorum dextrum Tauri nomen retinet, sinistrum Antitaurum vocant, qvi septentrionem versus incedens, minorem Armeniam à majori disterminat, relicto ad sinistram jugo versus Euxinum pontum, cui Scordisco est nomen, & orientalia Cappadociæ à minori Armenia sejungit. Ex Tauro verò cum ad extrema Ciliciæ pervenit, Amanus oritur, qvi Syriam à dextris relinqvens ad Euphratem usqve versus orientem digreditur, nec interruptus (ut Straboni placuit) nomen amittit: sed multum in altum latumqve crescens, multifidus efficitur. Pars Australior Taurus est, qvi Armeniam à Mesopotamia disterminat, pars septentrionalior in multos qvasi ramos scinditur. Ptolomæus post scissionem Euphratis Amanum montem iterum appellat Taurum, inter Armeniam Mesopotamiamq; protensum, donec rursus ab amne Tigridis interrumpitur, ultra verò Niphatem nominat, cui Assyria in dextro latere subjacet,

jacet, & Adiabena regio, qva demiſſa ultra Capri amneis ſonteis. Niphates, in duas ſcinditur parteis: Ea qvæ ad ſeptentrionem vergit, Caſpios monteis efficit: qvi ad Hyrcanum pelagus deſeruntur. Qvæ verò ad meridiem inclinat, Choatra mons appellatur: qvi juxta Aſſyriam aliqvamdiu progreſſus, in auſtrum rurſus in duo cornua dividitur, qvæ Medorum provinciam includunt. Septentrionale nunc Zagejus mons, nunc Orontes appellatur, Auſtrali Parthoatras eſt vocabulum, qvo Media disjungitur à Perſide. Conjunguntur iterum hæc inter ſe cornua circa finem Mediæ ad orientem, & iterum disjunguntur, Ragianam Sigrianamqve terram includentia. Circa finem verò Sigrianæ denuo propemodum cohærent, ita ut portam qvandam videantur efficere, qvæ in Parthiam iter aperiat. Nam & Parthia Tauro cingitur: cujus pars ſeptentrionalis Coros vocatur. Inter Hyrcaniam Parthiamqve diſcurrens orientalis Masdoranus, qvi Parthos ab Aria ſeparat, Auſtralis Parthoatras ſicut circa Perſidem Mediamqve nominatur, hic Parthos à Carmania prohibet. Coros autem Hyrcaniam prætergreſſus promontorium non parvum à ſe dimittit, qvod ad Hyrcanum mare procumbens Margianam ab Hyrcania ſeparat. Ipſe inter Margianam & Ariam dilapſus Sariphus appellatur, ex qvo brachium aliud excurrit ſeptentrionem & occidentem verſus, Bactrianam à Margiana disjungens, qvod ubi ad Hyrcanum prope pelagus pervenit, rurſus ad orientem ſeptentrionemqve decurrit: usqve Jaxartem fluvium. Ipſe verò poſtqvam Bractianam, Ariamqꝫ tranſmiſit, Paropamiſſus vocitatur, à qvo regio qvæ ad Auſtrum vergit, Paropamiſadum nominatur, ejus concluſa jugis. Ulterius jam Indiam ingreſſus Caucaſus dicitur, qvod nomen ab Alexandri militibus accepiſſe videtur. Ejus gloriæ cauſa & per adulationem, qvæ regum comes eſt, tanqvam ille Caucaſi juga & Promethei miracula tranſcendiſſet: hæc altiſſima videntur, & admodum lata Indiæ montana, qvæ ad Sacas pertingentia Comedorum nominantur: deinceps Imaus incipit, & usqve ad fonteis Gangis extenditur, ex qvo dorſum derivatur, qvod in ſeptentrionem vergens, in oceano procumbit & juxta Ptolomæi traditionem Scythas in duas partes dividit: multosqve ramos producit, qvi Boreales Aſiæ parteis multifariam partiuntur. Is ubi per aliqvantum ſpacium Gangem prætermiſit,

ſit, & ad exteriorem Indiam pervenit, Emodus nominatur, qvi circa finem in duos ramos dividitur, usqve in eorum excurrentes pelagus, alteri Ortoɼocoras nomen eſt & Seras reſpicit: alteri Semantinus ad Sinas terrarum ultimos, medii inter utrumqve Semantini degunt, & ipſi orientalium extremi, ac penè incogniti. Sic Taurus ſe habet totius Aſiæ diviſor, cui per Antitaurum Caſpium montem Caucaſia juga, & qvæcunqve per Aſiam montana excellunt propemodum conjuncta ſunt. Nec malè exiſtimaſſe putaverim: ſi qvis per juga Syriæ, qvæ de Tauro derivantur, & dorſum Arabiæ qvod inter mare noſtrum Arabicumqve decurrit, Trogloditarum monteis usqve ad eos qvi Lunæ vocantur, & deinde per juga incognita in Atlantem usqve pervenire poſſe affirmaverit, rurſusqve Hiſpaniarum monteis Pyreneis contineri, & illos per montana Galliarum gelidas Alpeis attingere. Ex qvibus hic Apenninus Italiam omnem interſecat, illinc per Iſtriam & Dalmatiam usqve in Peloponeſum & in Thraciam altiſſima juga decurrunt: & inter Rhenum ac Danubium dorſum aſſurgit, qvod ex alpibus derivatum per Germaniam, Sarmatiamqve dilapſum, ſupra fonteis Tanais ad Riphæos monteis attingit, & per illos Caucaſo jungitur, exinde per Caſpium Antitaurum, deniqve Taurus ipſe comprehenditur. Vltra qvem regnare magnum Antiochum Romani permiſere, ex qvo fit, ut totius continentis una montium ſeries intelligatur, qvamvis plerisqve in locis tumor non ſatis appareat.

## Cap. VIII.

### *Generalis diſtributio Aſiæ in ſex præcipuas parteis.*

ASiæ parteis, alii plures, alii pauciores efficiunt, noſtra deſcriptio ſex tantummodo continebit. Treis citra Taurum, & totidem ultra. Prima intra Taurum & oceanum ſeptentrionalem, ab oriente ſole usq; ad Hyrcanum pelagus extendetur, propinario cultro ſimilis, continebitqve Scytharum plurimas genteis, qvæ ultra Imaum montem, citraqve habitant, cum qvibus & Bactriani memorabuntur, & Gordiani & Sacæ, & Maſſagetæ ultimi ad auroram Seres, & qvi ſinum circumhabitant Atacenum. Secunda ab eodem Hyrcano

cano mari usqve ad amnem Tanaim & paludem Mæotidem proferetur, habens à ſeptentrione terram incognitam in oceanum verſa, à meridie pontum Euxinum: & qvi ab eo in Hyrcanum pelagus excurrunt Moſchicos monteis. In hac Albani, Iberes & Colchi collocabuntur, atqve alii qvamplures populi, qvos uno vocabulo Scythas appellant. In tertia parte Romanis invicta viribus Parthia claudetur, Medorumqve terra, & utraqve Armenia, & qvicqvid hodie minor Aſia appellatur inter Euxinum & Helleſpontum, & Cilicum pelagus Iſthmo clauditur, qvi ab Iſſico ſinu in Phaſidem vergit. In qvarta deſignabitur India cum Sinarum populis ad orientem extremis, & inſulam Taprobanæ, qvæ ad meridiem ſita circulum æqvinoctialem tranſcendit. Qvinta ab Indo fluvio usqve ad amnem Tigrim, intra Taurum & mare Indicum ſinumqve Perſicum jacens, Paropamiſſadas, Aracoſios, Arianos, Drangianos, Gedroſianos, Carmanos, Perſas, Aſſyrios, & Suſianos complectetur. Sexta eademqve poſtrema ab ipſo Tigride amne, usqve ad Iſſicum ſinum noſtrumqve pelagus extendetur, omnia complexa qvæ à Tauro monte in Perſicum & Arabicum ſinum, atqve in Ægypti ſeptentrionalia vergunt. His in locis priores ad orientem Meſopotamii occurrent, Babylonii ac Chaldæi, qvibus contermina eſt Arabia deſerta, ad occidentem triplex Syria collocabitur Palæſtina, Comagena, ac Phœnicia cum Cilicia, & Pamphilia ac Lycia, & cum his Arabia Petrea. Ad meridiem felices Arabes invenientur inter ſinum Perſicum Arabicumqve concluſi, arduis montibus à reliqvis ſui nominis gentibus diviſi usqve ad inſulam prope Dioſcuriadem in Indicum protenſi pelagus.

## CAP. IX.

## *De Seribus populis.*

HÆc nobis totius Aſiæ certior commodiorqve partitio viſa, nunc parteis partium attingere oportet. Seres ut antè diximus ad orientem æſtivum ultimi reperiuntur: qvibus ad ortum terram incognitam Ptolomæus & alii Eoum oceanum poſuere: ad meridiem Emodi montes & Otorocoras Indos ac Sinas excludunt. A ſeptentrione Antropophagi jacent Scythæ, qvibus huma-

na corpora cibi ſunt: & ut Ptolemæo viſum eſt ignota terra: ut aliis Scythicus oceanus: ab occidente Scytharum natio. Montes apud Seras excellentes Annibi, Auzaci, & Aſmiræi, ex qvibus Tagurus aſſurgit. Amnes nominat Ptolemæus Oertadem & Banthiſum. Plinius Veronenſis Pſitaram, Cambrim, & cui nomen eſt Lanos. Inter urbeis metropolim Seram ponunt, Otorocoræ monti vicinam. Inter gentes maximam Eſſedonum eſſe dicunt: qvæ Taguri juga montes, & adjacentes incolit campos. Julius Solinus ſicut & alii complures mare Hyrcanum ad Scythium oceanum habere oſtium dixit: ibiqve ab exordio ejuſce plagæ verſus orientem â dextris profundas jacere nives, mox longa deſerta, poſt Antrophophagos gentem aſperrimam & efferatam, qvæ dimidiam ferme itineris partem impenetrabilem reddidit, uſqve ad jugum mari imminens, quod Tabin Barbari vocant. Ultra qvod, poſt longinqvas ſolitudines moræ tractu, qvæ ſpectant æſtivum orientem, & ultra inhumanos ſitus ad Seres demum perveniri: homines inter ſe mites & qvietiſſimos, ſed qvi alios mortaleis refugiunt. Hos aqvarum aſpergine inundatis frondibus arborum vellera liqvoris adminiculo depectere, lanuginis tenerum ſubtilitate humorem ad obſeqvium domare aſſerit: & hoc eſſe illud Sericum in uſum publicum damnoſæ vanitatis admiſſum. Ex qvo potius eſt oſtendere corpora qvam veſtire, qvod primo fœminis, poſtea etiam viris luxuriæ perſuaſit ambitio. Mercatores fama eſt primum eorum fluvium pertranſire, atqve in ejus ripis nullo linguæ commercio negociari: ſed oculis tantum rerum precia extimare, aurumqve offerre: cum Seres ſua tradant, noſtra non emant. Strabo Apollonii Adramytteni utens teſtimonio ſcribit, Menandrum ac Demetrium qvi ex gente græca poſt Alexandrum in Bactria regnaverunt, res orientaleis agreſſos, longe ulterius qvam Alexander proceſſiſſe, & uſqve ad Seras & Faunos imperium protuliſſe.

CAP.

## CAP. X.

### *De gente Atocorum. Ciconibus populis seu alii volunt Sementinis, & qvæ de Macino provincia denarravit Nicolaus Venetus.*

HIs Atacenus annectitur sinus, & gens Atocorum, qvibus temperiei prærogativam miram dicunt aëris clementiam subministrare, & arcere afflatum noxium colles, qvi salubri apricitate, secluso undiqve objectu pestilentes auras prohibent, atqve ideo par illis & Hyperboreis vitæ genus esse crediderunt. Plinius tradit Homerum de his privatim volumina condidisse, sicut de Hyperboreis Hecatæum. Inter hos & Indos nonnulli Ciconas locaverunt. Ptolemæus Semantinos posuisse videtur, qvi Seras inter & Sinas orientaliores existunt, ad qvos nulli nostratum hodie perveniunt, immensa barbaries iter claudit, & imperantium multitudo, qvam nemo probarit pacis amicus, & qvi orbis situm nosse cupiat: ignota esset terrarum maxima pars, nisi Ro. principatus & Alexandri potentia orbem aperuisset. Nicolaus tamen qvidam Venetus cognomento Comes, nostra ætate in hæc loca pervenit, si vera sunt qvæ ab eo narrata feruntur: is ait mare Indicum ultra Gangem cum mense toto navigasset ad Ratham fluvium se pervenisse, eoqve sex diebus navigato, civitatem invenisse, qvæ nomine fluminis appellaretur. Exin per desertos habitaculis montes, qvos Tauri partem fuisse crediderim, decem & septem diebus in campestria descendisse, qvibus duabus hebdomadibus magno labore peragratis flumen offendisse Gange majus, qvod ab incolis Dava diceretur: atqve in eo mensis navigatione peracta civitatem nobilissimam appulisse, stadiorum centum viginti circuitu patentem, cui nomen Dua: hic lascivienteis fœminas, & supra modum libidini deditas esse affirmat. Viros autem uxore unica contentos esse. Provinciam Macinum appellari, elephantis refertam, qvorum decem millia rex ad bellum nutriat, ipse albo vehatur Elephanto: cui catena aurea gemmis distincta, colloqve circumdata, ad pedes usqve pendeat. Viros ac mulieres stilo ferreo variis coloribus figurisqve corpo-

ra pingere, idola omneis colere, ſurgentes è lecto ad orientem ſe ſolem vertere, junctisqve manibus orare, in oratione trini Dei opem petere. Serpentes aſſos in cibum pro deliciis habere, rubeasqve formicas pipere conditas parvulis gammaris ſimiles. Animal hoc in loco naſci ſuillo capite, bovis cauda, unico in fronte cornu, eoqve cubitali, colore & magnitudine elephantis, qvibus cum bellum continue gerit: id cornu veneno medetur, atqve idcirco in honore eſt. Qva regio ad Cathaum vergit, boves albos nigrosqve gigni eqvina cauda, ſed piloſiore ad pedes uſqve protenſa: pilos caudæ ſubtiliſſimos, in modum plumæ volatilis, magno in precio eſſe, qvos eqvites in cacumine lancearum ſuſpendentes egregiæ nobilitatis inſigne ducunt. Hæc de Macino Nicolaus tradidit: qvam provinciam ad orientem verſam inter Indiæ montes, & Cathajum collocans, haud dubie regionem Sericam denotaſſe videtur, quæ Scytharum gentibus & â ſeptentrione, & ab occidente jungitur. Scythas autem orientales noſtra ætas in Cathajo ponit, magno Cani ſubjectos: ſic enim illi ſuum imperatorem appellant. Sed illud difficile eſt credere, qvod de amne Dua commemorat, qvem Gange majorem dixit, cui veteres cuncta cedere flumina tradiderunt. Nec illud dignum fide, decem millia elephantum belli cauſa regem alere, nec notum eſſe aut fama clarum: ſed longinqvitas redargui non facile poteſt.

## CAP. XI.

### *De Sacis populis qvos & Nomadas appellant.*

POſt Seras occidentem verſus Sacæ ſunt, & Maſſagetæ, & Taburei, & Svebi, & ultimi ad ſeptentrionem Alanorſi. Ptolemæus Maſſagetas duplices eſſe dixit, alteros Hyrcano mari vicinos, & Margianæ regioni, alteros inter Sacas poſuit. Sacarum gentem ab occaſu Comedo monte & amne Jaxarte concluſit: à ſeptentrione Scythia, qvæ intra Imaum eſt & Aſcantici montis jugo, ab oriente Seris, ad auſtrum montibus indicis. Sacæ Nomades ſunt qvi carentes urbibus nemora & ſpeluncas habitant. Fama eſt Sacarum gentem uſqve in Hyrcaniam & Parthiam prædicari ſolitam, qvamvis multa & deſerta ſiccaqve regio interiacet. Parthos amore

re pacis tributa illis pependisse, id erat permittere, ut statis temporibus in agros excurrerent, & prædam agerent, cum præter conventa facerent, bellum gerebatur, rursumqve pax fiebat: fuitqve Nomadum vita ita instituta, ut semper vicinos infestarent, rursúsqꝫ reconciliarentur. Sacæ multas invasiones fecere, modo propinqvas, modo longinqvas: Bactrianam occuparunt, & optimam Armeniæ regionem, qvæ postea Sacasina ab eis est appellata. Invaserunt & Cappadocas, qvi ad Euxinum vergentes Pontici nominantur. Sed cum ex spoliis festa celebrarent, Persarum imperatores eos funditus delevere. Sunt qui tradant Cyrum Persarum regem ducto adversus eos exercitu prælio superatum, sed fugientem eo in loco castra metatum ubi impedimenta reliqverat, bonis omnibus & præsertim vino instructa, indeqve postqvam exercitus paulùm qvieverat, relictis vesperi tabernaculis progressum qvantum sibi commodum visum fuit, consedisse. Ingruenteis Sacas & castra viris deserta, ac rebus voluptuosis plena comperienteis, immodicè se implevisse: Cyrum conversum vinolentos, atqve attonitos ad internecionem cecidisse, diemqve illum patriæ deæ consecrasse, Sacamqve nominasse: qvæ cum celebrantur positis die ac nocte bacchanalibus, viri simul ac mulieres eò usqve potabant, donec stupore comprehenderentur, tamqve simplex purissimaqve divinitas fœdissimis hominum moribus oblectaretur. Et Sacarum Massagetarumqve genteis Athasios & Corasmos esse putant, ad qvos Spithamænes ex Bactrianis ac Sogdianis confugit, unus ex Persis, qvi Alexandro resistere conati sunt. Citius ad inseqvendum Spithamænem ab Alexandro missus, barbaros pugna superavit, illi per deserta tamdiu fugerunt, donec Alexandrum ipsum adversus se venire cognoverunt. Tunc autem placaturi hostem, Spithamæni caput amputaverunt, & Alexandro miserunt, nec amplius ab eo vexati sunt.

## CAP. XII.

### *De Massagetis, ubi & de adolescente qvi tempore Pii papæ Solem adorabat.*

POst Sacas ad septentrionem Massagetæ reperiuntur: & ipsi Nomades Scytharumqve genus, qvi virtutem suam maximè in bello adversus Cyrum ostenderunt. Horum alii monteis

habitant, alii campos, alii paludes, & qvæ sunt in paludibus insulas. Margum amnem per hos labi dicunt, qvem alii Araxen vocant, eumqve plureis in parteis dividunt: & uno tantum ostio Hyrcanum ingredi pelagus, reliqvis in oceanum septentrionalem exonerari. Ptolemæus Margum fluvium duobus fontibus ex montibus Sariphiis descendere tradit, & per Massagetas, qvi Margianis vicini sunt, ac Derbita in Oxum deferri amnem, qvi juxta Ribios Hyrcanum pelagus ingreditur. Massagetæ eqvum Soli mactant, eumqve tantummodo Deum putant. Multos hic error antiqvorum præcipitavit, inter qvos fuit Dion Prusensis, Plinius Veronensis, Macrobius, & omnis fermè illa ætas, qvæ â Vespasiano Cæsare usqve ad Traianum cucurrit, & Adrianum. Nuper qvoqve in arce qvæ sub ipsa Adriani mole magnificentissimè structa est, Urbinas qvidam adolescens repertus est hujus stultitiæ seqvax alioqvi non ignarus: qvi cum arcem prodere conaretur, essetq; deprehensus, votum Christo vovit ei se crediturum, relicturumqve solis cultum, si libertatem, atqve impunitatem asseqveretur. Sed raptus ad supplicium stultum se fuisse testatus est, qvi ab eo salutem sperasset, qvi seipsum salvare non potuisset, tanqvam Christus Jesus & dominus noster crucem tulisset invitus, qvi pro nostra vita, sua sponte moriens, mortem occidit. Stultus adolescens sub nostro pontificatu sui sceleris pœnas dedit, laqveo suspensus, & in Tyberim projectus. Massagetis mos fuit singulis uxores singulas ducere, neqve tamen alienis abstinebant, cum qvibus suspensa è curru pharetra in propatulo coibant. Fœda gens & brutis simillima, apud qvam genus mortis maximè optimum judicabatur, ut senio confecti in frusta cæderentur, & cum carnibus ovillis promiscuè ederentur: eos qvi morbo decederent, ut impios abjicientes: tanqvam dignes, qvi à feris devorarentur. Eqvites ac pedites inter eos optimi fuere, arcu, gladio, thorace ac securi ænea utentes: aut eas zonas, aurea eqvorum frena ac pectoralia habentes. Ferri parum apud eos fuit, argento carebant, ære & auro abundabant, insularum cultores, herbarum radices edebant, & agrestes fructus, ex qvibus pocula exprimebant. Vestis erat arborum cortex, qvi paludes inhabitabant, piscibus vescebantur, phocarum coria è mare prodeuntium induebant. Montani pomis sylvestribus alebantur, non ausi oves occidere, cum paucas haberent,

berent, eisq́ve lactis & lanæ gratia parcerent. Campestres etsi regionem late patentem occupabant, non tamen agros excolebant, sed ex ovibus piscibusq́ve vivebant. Bellicosi homines, qvamvis simplices & in contrahendo minimè versuti.

## Cap. XIII.

### *De Antropophagis, Essedonibus, Arimaspis, & id genus immanium hominum.*

His ad Orientem ac Septentrionem Antropophagi sunt, qvibus execrandi cibi humana viscera esse creduntur, & circa hos tristissima solitudo, & mare qvod Tabin vocant, & Essedones, qvos ossa capitum suorum parentum auro cincta in poculorũ tradere ministerium asserunt, & Scythotauri qvi pro hostiis cædunt advenas. Julius Solinus in hac parte terras esse locupletes, sed inhabitabiles dicit. Nam cum auro & gemmis affluant, Gryphes tenere universa testatur, alites ferocissimos & ultra omnem rabiem sævientes, qvorum immanitate obsistente, rarus pateat ad divites venas accessus. Discerpere enim homines, tanqvam genitos ad plectendam avaritiæ temeritatem. Arimaspos cum his dimicare gentem monoculam, si credere par est, ut intercipiant lapides. Smaragdis hic primam esse, qvibus tertiam dederit Theophrastus dignitatem, qvibusq́ve nihil videant oculi jucundius. Christallum qvoqve optimam hinc auferri, cujus frustum Livia Augusti ad pondus centum & qvinqvaginta librarum inter Capitolina donaria dicaverit. Sub Massagetis, Tapitenis, & Alanorsis occidentem versus, usqve amnem Ras & Asiaticos Sarmatas, Ptolemæus qvàm plurimas Scytharum genteis enumerat. Qvibus ad meridiem Jaxartes fluvius & mare Caspium occurrit, à septentrione terra incognita jacet. Jaxartem apud Sacas oriri arbitratur, & in septentrionem fluere: postea ad occidentem verti inter Scythas & Sogdianos, demumq́ve ad meridiem inclinantem, Hyrcanum ingredi pelagus, multa & magna flumina una trahentem: qvæ partim Sogdii, partim Noroxi, Aspisii & Tapuri montes effundunt. Ras verò amnem Hyperboreos emittere monteis

teis existimat, qvi modo in orientem, modo occidentem versus, postremo ad meridiem tendens Hyrcanias auget aqvas. Inter Jaxartem, & Ras duo ingentia ponit flumina, Rhimmum, qvi & ex Rhimmicis oritur jugis, & Daixem Noroso monte cadentem.

## Cap. XIV.

### *Qvi populi inter Jaxartem fluvium & Hyrcanum mare incolunt, & de habitantibus sub polo Arcto, & Hyperboreis populis.*

INter hos monteis, & Jaxartem fluvium, Hyrcanumqve mare, Orgasos, Erimmos, Asiotas, Nerosbes, Norossos & Caragas, Scytharum populos collocat: trans monteis autem septentrionem versus Galactophagos, Aspisios, Thabrenos, Samnitas, Pamardos, & alios qvamplures, & Albanos juxta montes, qvi admodum septentrionales sunt, ab Australi parte Saxonibus locum præbet, ex qvibus fortasse orti sunt qvi Germaniam incolunt, qvamvis suam originem ex Macedonibus repetant: à Boreali parte Nessæis & Subocis sedes dedit, qvi non minus ad septentrionem vergunt qvam Thule. In cujus parallelo Scythas Alanos descripsit, & hyperboreos Sarmatas, qvibus ad austrum monteis collocat Hyperboreos, & Asiaticos facit, qvanqvam pleriqve Europæos esse tradiderint, nonnulli hoc genus hominum ultra Aqvilonem jacere putaverunt, gentemqve beatissimam esse, qvàm alii mediam statuerunt inter utrumqve solem Antipodum occidentem, & nostrum renascentem. Julius Solinus aspernari rationem dixit, tam vasto mari duos orbeis interfluente, & in Europa circumscripsit, apud qvos mundi cardines essent, & extimi siderum ambitus, nox, qvæ una sex mensium, & una totidem dies, magnam his de cœlo clementiam concessam esse, auras spirare salubreis, nihil noxii flatus habere, domos esse nemora, victum arbores ministrare, discordiam nescire, ægritudine non inqvietari, ad innocentiam omnibus æqvale votum esse, mortem accersere, & voluntario interitu obeundi tarditatem castigare consvesse: olim primitias frugum per virgines Apollini Delio missitare, qvibus perfidia hospitum violatis,

tis, Pontificio intra fineis ſuos recepto, miſſionem neglexiſſe. Fabuloſa hæc: nam qvis credat? virgines tam longo terrarum tractu, tantasq; montium fluminumq; ac marium difficultates ſingulis annis penetrare potuiſſe, aut gentem eſſe qvæ trans aqvilonem habitet nobis cognitam? Diodorus Hecatæo teſte utens, oppoſitam Celtis juxta oceanum eſſe inſulam dicit, haud multo Sicilia minorem pone arctos, habitariq; ab iis qvi Hyperborei appellantur, eo qvod vento Boreæ ſunt expoſiti, inſulam valde fertilem, in qva fructus annui bis naſcuntur. Latonam in ea natam fabulantur, & Apollinem ibi præ cæteris diis coli, eſſeq; homines ejus inſulæ veluti qvosdam ſacerdotes Apollinis, cujus laudes & hymnos qvotidie in cantu celebrent. Lucum præterea ingentem, templumqve Apollinis, forma rotunda, multis donis atqve ornamentis cumulatum. Urbem enim ſacram, cujus incolæ majori ex parte citharœdi exiſtant, continueqve in templo ſonent, & hymnos canant: habere hyperboreos propriam linguam, & Græcis, maxime Deliis atqve Athenienſibus, ſocietate ac benevolentia junctos à priſcis temporibus cœpta. Græcos enim qvosdam olim ad Hyperboreos tranſiſſe ferunt, & dona ſumptuoſa in templo appoſuiſſe Græcis literis inſcripta. Ex Hyperboreis vero Abarmos veniſſe in Græciam, amicitiamq; cum Deliis antea contractam firmaſſe ajunt, & Lunam apud Hyperboreos videri parum à terra diſtantem, ac terreſtres qvosdam veluti cumulos habentem in ſe manifeſtos, deumqve Apollinem, per annos undeviginti adiri inſulam, in qvibus aſtrorum revolutiones perficiantur: imperare civitati, temploqve præeſſe Boreadas, Borei progeniem, qvæ per genus recipit principatum, qvæ omnia tanqvam fabuloſa referens Diodorus videtur contemnere.

## CAP. XV.

## *De Arimphæis populis non abſimilibus Hyperboreis, Catajo, & qvæ de his locis enarrat Nicolaus Venetus.*

HYperboreis ſimiles Arimphæos eſſe dicunt, Aſiaticos Scythas, qvi baccas edunt, comas viri & fœminæ tondent, nullum lædunt, qvietem amant, nec læduntur ab aliis, ſugientes ad eos tuti ſunt tanqvam aſylo

tegantur, ſacri omnes habentur. Sic forſitan olim fuit, nunc gentis hujuſce nulla cognitio. Jaxartem fluvium nonnulli Tanaim eſſe crediderunt, qui Aſiam ab Europa diſterminat, inter qvos fuiſſe Polieletum Strabo commemorat, cujus errorem Alexandri comites ſecuti ſunt, qvi eum tranſmiſſo Tanai adverſus Europæos Scythas belligeraſſe tradiderunt. Sed Dimas dux Seleuci & Antiochi ſatis idoneus verò author, hunc tranſvectus amnem, ac titulos omnium ſupergreſſus, alium eſſe qvàm Tanaim deprehendit, ob gloriam ſui nominis altaria ibi Apollini Didymeo ædificavit & hoc eſſe colliminium inter Scythas & Perſas oſtendit, non quod Perſia Scythas attingat, ſed qvod imperium Perſarum per Bactrianos & Gordianos ad Jaxartem uſqve fluvium protendatur. Jaxartis nomen à Bactrianis inditum ferunt. Plinius à Scythis vocatum Scythim tradit: hic aræ conditæ feruntur ab Hercule ac Libero patre , Cyro qvoqve & Semiramide, & poſtremo ab Alexandro: qvas profectionis metas ad ſeptentrionem oſtenderunt. Qui noſtra ætate orbis ſitum figurant , Cathajum his in locis deſignant, qvæ ultra Jaxartem commemoravimus, multasqve provincias & multa regna circumſcribunt, qvibus unus præſit imperator, qvi apud eos Can appellatur. Nicolaus Venetus apud eum ſe fuiſſe affirmat, & Urbem inveniſſe, qvæ duo de triginta millibus paſſuum pateret in qvadrum Gambaleſchiam nomine, in cujus medio arx munitiſſima & ornatiſſima haberetur, in qva rex habitaret, & ex qua muri arcuati ad qvatuor urbis angulos protenderentur, per qvos acceſſus regi eſſet, ſi qvid in urbe tumultus excitaretur, ad arces qvæ ipſius in angulis eminent, qvarum qvælibet paſſuum quatuor millia in ambitu continet , & omnis generis arma tormentaqve bello apta concludit. Aſſerit inſuper & alteram ſe urbem repeiſſe qvindecim dierum itinere ab hac diſtantem, Neptai appellatam, noſtro ævo aut paulo ante ab imperatoribus ejus gentis conditam, cujus ambitus triginta millibus paſſuũ contineatur, eamqve populoſiſſimam eſſe omnium: In utraq; civitate domus, palatia, templa, cæteraq; urbium ornamenta, Italicis ſimilia eſſe affirmat: homines modeſtos atqve urbanos, & multis divitiis affluenteis: qvod ſi credimus magna profectò morum mutatio facta eſt, ab his qvos antiqvi prodiderunt, qvi Scythas fermè omneis paſtorales eſſe affirmaverunt, & propemodum intractabiles: nec horrida ſeptentrio-

trionis ora eos admittit mores, qvibus vel Græcia olim claruit, vel Italia nunc floret: aut certè Cathajum ipſum qvod tantopere laudant, minus ſeptentrionale eſt qvàm pictura demonſtrat. Nam qvicqvid ultra Jaxartem colitur, ſi Ptolemæo fides eſt, ultra ſeptimum clima protenditur: & parallelum tranſcendit, qvi per Boryſthenem deſcribitur: niſi reſpondeat aliqvis magni Canis imperium & ultra & citra Jaxartem extendi, ac Gordianos, Bactrianos, & alias genteis, usqve ad Indiæ atqve Ariæ monteis comprehendere: qvod facile perſuaderi poteſt his, qvi Scytharum res geſtas aliqvando legerunt: à qvibus magnam Aſiæ partem olim ſubactam fuiſſe conſtat nec imperia ſuos tenent perpetuo limites, ſed pro fortunæ varietate nunc magna ſunt nunc parva. Strabo in hac parte Scythiæ ad occidentem, qvam Ptolemæus Ras fluvio terminavit, Hyrcani pelagi fauces collocavit: ab utraqve parte cultas. De qvibus poſtea diſſeremus.

## Cap. XVI.

### *De Sogdianis & Bactrianis.*

INter Jaxartem & Sariphos' Paropamiſſosqve monteis Sogdiani & Bactriani jacent, Oxo diſcreti fluvio: Sogdiani ad Jaxartem magis accedunt: Bactriani ad Paropamiſſi juga, per qvos fluvius Ochus dilapſus, in Oxum fertur. Bactrianis ad occidentem Margiani ſunt, Sogdianis montes Oxii, qvos interrumpit Oxus, per Ribios & Derbitas, in Hyrcanum cadens pelagus. Margianis ad occidentem Hyrcania occurrit, qvæ nomen pelago dedit olim, ſicut Strabo aſſerit. Sogdiani & Bactriani, nec vita multum, nec moribus à Nomadibus differebant: qvamvis Bactriani mitiores eſſent. Nec vera locutus Oneſicritus exiſtimatur, qvi Bactrianos ſenio, aut morbo confectos, apponi canibus vivos ſcripſit: ad hoc ipſum de induſtria enutritis, qvos patria lingua ſepulchraleis vocabant: qvam legem ſuſtulerit Alexander, qvem ferunt alii octo, alii undecim urbes in Bactriana & Sogdiana condidiſſe, nonnullis everſis: qvarum Cariata fuit in Bactriana, ubi Calliſthenes comprehenſus eſt, & in vincula conjectus, qvi divinos honores Alexandro negavit exhibendos

 eſſe.

esse. In Sogdiana, Paracanda: & Cyra, ultimum Cyri opus ad Jaxartem flumen conditum, qvod persici imperii confinium erat: nec pepercit Alexander memoriæ Cyri, qvamvis illum coleret, propter continuas oppidanorum rebelliones. In Bactriana petram Sisimetræ altitudinis stadiorum qvindecim cepit, cujus ambitus octuaginta continebatur: in superiore parte planam ac feracem, ut viros qvingentos alere posset. In ea Alexander & hospitio sumptuosè acceptus est,& Roxanam Oxiartis filiam duxit uxorem. In Sogdiana secus Oxum Ariamaze petram occupavit, qvæ duplo altior fuit Sisimetra. Xerxes in his locis urbem condiderat, & Branchidas in ea collocaverat: propterea qvod Dei pecunias ac thesauros qui apud Didyma erant, sibi tradidissent: & secum è patria sponte migrassent. Alexander eos sustulit, proditionem & sacrilegium exosus, qvæ scelera nulla non ætas improbavit. Per Sogdianam amnis labitur: qvi postqvam multam regionem irrigavit, in desertam arenosam terram evadit, atqve ibi absorbetur: qvemadmodum in Ariana fluvius Arius, qvi regioni nomen dedit. Macedones propter Alexandri gloriam hunc amnem nobilitarunt: qvi apud Ochum flumen olei fontem invenientes, multa fabulati sunt: tanqvam miraculum fuerit, nitrosam & aluminosam terram, sulphure ac bitumine intermistam, id liqvoris fundere: hunc fluvium alii per Bactrianam labi dicunt (qvos Ptolemæus secutus est) alii secus eam: Alii ab Oxo diversum usqve ad ostia, atq; australiorem: & ambos in Hircanum mare decurrere. Alii ab initio diversum, & deinde in unum coire. Oxus, sicut Ptolemæo videtur, in Caucaso Indiæ intrare, prope Paropamissades fontem habet: & in septentrionem longo flexu directus, majori demum in occasum vergit, multa & magna flumina in mare Caspium secum ferens, inter qvæ Ochus est, per qvem navigasse Pompejum crediderim, sicut ante diximus, cum descendit in Oxum: nam & Ochi fontes in Paropamisso monte reperiuntur. Oxi alveum multis in locis, sex septemve stadiorum latitudinem habere tradiderunt. Alexander Bessum inseqvens, hunc amnem ponte ex utribus facto trajecit, misitq; Ptolomæum Lagi, cum parte exercitus, qvi Bessum à Barbaris derelictum in villa qvadam intercepit, & nudum ac catena ligatum adduxit. Qvem cum Alexander vidisset, interrogavit cur regem suum simul & propinqvum & benefactorem Darium interfecisset,

ad

ad qvem Bessus non solum sibi soli id agere visum fuisse respondit, sed omnibus qvi circa Darium erant, ut invenirent sibi salutem ab Alexandro: qvibus dictis publicè fustigatus est, & in Bactria remissus, ut ibi moreretur. Sogdianam à septentrionali parte Jaxartes claudit amnis: inter qvem & Oxum duos fluvios decurrere Ptolomæus scribit, Poletimetum & Jaxartem, qvi ex montibus Oxiis in Hyrcanum mare descendunt: Inter Oxii & Jaxartis ostia nonnulli octuaginta parasangas esse dixerunt, Persicum autem parasangam alii sexaginta stadiorum fecere: Alii tercentorum qvadraginta: qvalem amplitudinem vix omnem Scythiam crediderim continere. Eratosthenes his adversus est, qvi (ut ait Strabo) ab Oxii fluminis ostio, apud Hyrcanos sito, usqve ad Jaxartem fluvium, duo millia & qvadraginta stadia intercurrere affirmat. Alexander de suo nomine ultra Oxum amnem duas urbes condidit: alteram versus septentrionem, alteram versus orientem, in Vandabanda regione, ab Hyrcania usqve in Sogdianam ad orientem eunti solem, intra Taurum & Jaxarten fluvium, qvæcunqve gentes occurrunt: primo Persis, deinde Macedonibus, postremo Parthis subjectæ fuerunt, Romanorum signa raro apud eas visa sunt, qvamvis maris navigationem per Oxum & Hyrcanum pelagus Varro commemoret: qvæ ultra Jaxartem ad septentrionem recedunt intactæ remansisse videntur: In qvas Alexander expeditionem aggressus, propter Bessum & Spithamænem, qvi ad eos confugerant, Besso captivo ad eum deducto, & Spithamæne à Barbaris interempto, destitit ab incœptis: cujus in Bactrianam reversi horrendum scelus commemoratur, occisi inter bibendum Cliti amici veteris & collactanei fratris, non aliam ob causam, nisi qvia Philippi laudes pertinacius tueretur: sed vini magis qvam hominis fuisse crimen pœnitentia docuit, mox secuta, qvando ægre retentus est, ne se occideret, occisor amici. Bactria sub imperio Macedonum, qvi Persas delevere, usqve ad secundum Seleucum Antiochi nepotem retenta est. Tunc verò Theodotus præfecturæ titulum mutavit in regnum, & se regem vocavit, reliqvitqve successorem sui nominis, qvi cum Arsace Parthorum rege contra Seleucum se conjunxit, regnumqve tutatus est, qvod sub Eucratide ad magnam gloriam pervenit. Is enim cum obsidionem Demetrii regis Indorum pateretur, audacia inaudita cum trecentis militibus sexaginta hostium millia assiduis eruptionibus vicit,

cit, & qvinto menſe liberatus, magnam Indiæ partem in poteſtatem ſuam redegit. Unde cum ſe reciperet, à filio, qvem regni ſocium fecerat, in itinere interſectus eſt: qvi velut hoſtem non patrem interſeciſſet, per ſangvinem ejus currum egit: & corpus abigi inſepultum juſſit: & in Bactriam Sogdianorum Indorum & aliorum bellis fatigati, tandem velut exangues oppreſſi ſunt.

## Cap. XVII.

## *De Aria & Hyrcania, & mirifica harum regionum vite.*

ARia Bactrianæ contermina eſt ad meridiem, & monti ſubjecta, qvi Bactrianam habet, & Hyrcania ſex millibus fere ſtadiorum abeſt: ipſi autem Arianæ ad Auſtrum Arachoſia ſubjacet, uſqve ad Indum flumen: de qvibus alio loco dicetur. Margiana Bactrianis ad occidentem adiacet, & campis deſertis ambitur: fama eſt Antiochum, cui Soter cognomentum fuit, loci naturam admiratum, magnam terræ partem muro circumcluſiſſe: cujus ambitus mille & qvingentorum fuerit ſtadiorum, & urbem Antiochiam condidiſſe. Vites hic optimas inveniri, qvarum truncum vix duo viri complecti qveant, racemumqve duorum ferè cubitorum. Ptolemæus Tapyros ultra Margianos ad orientem poſuit: Strabo inter Derbitas & Hyrcanos habitare putavit, qvibus mos fuerit, proprias uxores aliis viris nuptui concedere, cum duos tres ve filios ex eis ſuſcepiſſent, qvemadmodum apud Romanos Cato indigenti Hortenſio Martiam conceſſit. Hyrcaniam valde opulentam eſſe dicunt & magna ex parte planam, præclariſſimis urbibus adornatam, qvarum Talabrotam, & Samariam, & Chartam, & Tapen, paulo ſupra mare ſitam extollunt. Opulentiæ ſignum adducunt, qvod vitis vini metretam afferat: ficus, ſexaginta modios: frumentum ex ſemine naſcatur, qvod cadit ex culmo, in arboribus mellificetur, perfluatqve ſemel ex foliis, nec in his opus ſit diligentia: illud admiratione dignum, qvod ab Eudoxo, & ab aliis de Hyrcania ſcribitur, ripas qvasdam cavernoſas ſtare ante mare humili interjacente

cente littore, & superioribus rupibus flumina decurrere, tanta vi delata, ut cum ad ripam pervenerint, aqvam in mare jaculentur, subjectum litus aspergine intactum relinqventia, ut etiam exercitui unda tecto pervium sit: indigenas in eum locum epulandi & sacrificandi gratia sæpe descendere, & interdum in antris discumbentes, interdum sub ipso fluctu apricantes, alio atqve alio modo oblectari, cum simul hinc mare pateat, hinc littus propter humorem herbidum floridumqve conspiciatur: Nobilitatem hujus gentis hinc licet intelligere, qvod vicino mari ab ea nomen est inditum. In Hyrcania res gerenti Alexandro, Thalestris regina Amazonum, qvam alii Minitheam vocant, cum trecentis mulieribus occurrit, triginta qvinq; dierum inter confertissimas gentes itinere facto, liberos ex rege qvæsitura, cujus conspectus adventusqve omnibus admirationi fuit, propter insolitum fœminis habitum, ob hoc tredecim diebus prolis gratia cum rege datis, ut est visa uterum implesse, discessit. Hoc mare qvod Hyrcaniam abluit, Ptolomæus (ut ante diximus) lacum esse affirmat, undiqve terra conclusum: cujus septentrionalia Scythæ occupant, Australia Medi atqve Hyrcani, qvi & orientis partem attingunt, cum Margianis, Derbitis, ac Rhibiis: occidentalia Armenii, Albaniqve ambiunt, qvorum pars septentrionem attingit. Polycletus qvoqve ut affirmat Strabo lacum esse, & dulces aqvas habere, & serpentes nutrire, hoc pelagus asseruit: in eo verò maximè erravit, qvod unum esse cum Mæotica palude existimavit: inde conjecturam faciens, qvia Tanais in ipsum emittit, non animadvertens duos inveniri hujus nominis amnes, ut ante diximus. Qvod si Mæotidi jungeretur Hyrcanus sinus, neqvaqvam lacus esset, cum Mæotis ab Euxino ponte marinas aqvas accipiat: Pontus verò per Hellespontum, & mare nostrum ab Herculeo freto salsis impleatur undis. Plinius Veronensis, Julius Solinus, Strabo Capadorus, Priscianus Cæsariensis, & alii complures, Hyrcanum pelagus oceani Borealis sinum esse tradiderunt, ex qvo liceat usqve in orientem & mare Indicum navigare: ajuntqve ab oceano meridiem versus recedere, ab initio arctum, in progressu dilatatum: & præsertim in ultimo recessu, ubi à qvinqve millia fermè stadiorum latitudine patet: & ostii utramqve ripam tenere Scythas, reliqva littora aut Scythas, aut similes Scythis: qvales Hyrcani sunt, Albani, Clusi, Narisci, ac Mardi: Magnitudinem

dinem hujus maris Patrocles Pontico ſimilem exiſtimavit. Plinius autore Claudio, refert id terræ ſpatium, qvod inter Mæotim & Hyrcanum jacet pelagus, centum qvinqvaginta millia paſſuum continere, idqve perſodere excogitaſſe Nicanorem Seleucum, qvo in tempore à Ptolomæo Cerauno ſit interfectus. Verum alii trecenta ſeptuaginta qvinqve millia paſſuum id eſſe exiſtimant. Cornelius Nepos ducenta qvinqvaginta millia: qvod alii centum & qvinqvaginta millibus paſſuum, alii paulò amplius contineri dixerint, magno errore: neqve enim retro Mæotim ad Boream Hyrcanus offertur ſinus, ut illis viſum eſt: ſed Pontico mari ad orientem occurrit, Iſthmumqve Colchi, Iberi, & Albani jnter duo maria obſident. Nec longum iter ab Euxino Ponto per hunc Iſthmum & Hyrcanum pelagus, ad Indiam tranſeunti peragendum, Plinius exiſtimavit: qvem ſecutus Solinus Pompejum magnum octo diebus ex India ad Bactros usqve Alienum flumen perveniſſe affirmat: qvo influit Oxum, per qvem mare Caſpium ingreſſus ad Cyri amnis oſtia penetravit: qvi Armeniæ & Iberiæ fines interluit: à Cyro verò diebus non amplius qvinqve, terreno itinere, ſubvectis navibus ad alveum Phaſidis pertendiſſe: atqve inde in Pontum Sororia, Strabo dicit, qvi multas Indiæ merces teſte Ariſtobulo in Hyrcanum mare per Ochum amnem devehi tradidit: deinde in Albaniam, atqve per Cyrum & ſeqventia loca in Euxinum & Ochum in Oxum putat exonerari: qvæ duo flumina Hyrcaniam irrigare cenſet: & Niſeam partem eſſe Hyrcaniæ, per qvam Ochus decurrit: qvem Ariſtobulus navigabilem eſſe retulit, & omnium fluminum maximum, qvæ ipſe in Aſia viderit, præter Indica. Sed hoc iter multo brevius eo eſt: qvod per Ægyptum & Arabiam multasqꝫ alias gentes ducit in Indiam: neutrum tamen hodie noſtratibus eſt apertum. Qvi terræ formam noſtra tempeſtate figurant, Ptolomæo conſentiunt, & lacus ſpeciem Hyrcano concedunt. Solinus Xenophontem Lampſacenum authorem facit, à littore Scytharum, & qvo ſinus irrumpit Hyrcanus, Abaltiam inſulam triduo navigari: cujus magnitudo immenſa, & penè ſimilis continenti exiſtat: nec longe Oenas ſeparari, qvas qvi habitant, vivant ovis avium marinarum, & avenis vulgo naſcentibus, propter qvas & alias conſtitutas, qvarum indigenæ humana usqve ad veſtigium forma in eqvinos deſinant pedes. Feruntur & alia pleraq; qvę tanqvam fabuloſa relinqvimus. Apud Hyrcanum pelagus, deſinit Aſiæ prima pars.

Cap.

## Cap. XVIII.

### *De secunda Asiæ parte & Sarmatis generatim.*

SEcunda incipit in occidentali littore, qvæ usqve ad paludem Mæotidem & amnem Tanaim extenditur, inter mare Ponticum jacens & oceanum septentrionalem. Ptolemæus hanc partem ab orienti Ras flumine clausit & Hyrcano mari, cui negavit in oceanum patere exitum, & omnes Sarmatas Asianos appellavit, qui hanc terram incolerent, præter Colchicos, Iberos, & Albanos, atqve alios qvi circa Caucasum Coraxemqve montem ad meridiem siti sunt. Sarmatas autem in plurimas gentes, & multa nomina divisit. Ultimos ad septentrionem Hyperboreos posuit, & sub eis Basilicos, deinde Zachatas, Svardenos, Chænides & magis ad meridiem Perierbidorum numerosum genus, qvorum sedes illic esse ostendit, ubi Ras fluvius ad occidentem Solem, & Tanais ad orientem maximè vergunt, sibiqve invicem propinqviores existunt. Sub his versus meridiem & ultra Hippicos montes, Siracenos collocavit, Jaxamatas, Psessios, & Melandanos, apud qvos Mithridatis regionem fuisse arbitratur. Rursus ad orientem Ras flumini proximos, & ultra Ceraunios montes Sapothrenas posuit, & sub illis paululum australiores Scymmitas & Amazones, de qvibus postea dicemus, qvando imperium fama est eas qvam maximum obtinuisse: Ceraunios montes partem esse Caucasi, versus septentrionem vergentem: qvibus proximi sint ad orientalem plagam Vali, Serbi, Diduri, & Ulæ ac occidentalem Sacani & Tusci prope Sarmaticas pylas, ubi à Caucasiis jugis Ceraunia videntur abrupta. Forsitan & hinc Tuscorum genus ortum, qvi Hetruscos ex Italia pepulerunt. Tria flumina in Hyrcanum pelagus ex Caucasio monte cadere Ptolemæus ostendit: Udonem qvi septentrionalior est, Alontem & Soanam, & inter ea Olondas & Isondas collocat, & citra Soanam Gerros. Intra Caucasium montem, & Vardanum amnem, Sanaræis & Agoritis sedes dedit. Ultra Vardanum versus Psatim fluvium & Boream, Conapsenos, Arinchios, Metibos, Zinchos, & Asturicanos memorat. Ulterius Tyrambas & Marubio flumini pro-

 ximos

ximos Themeotas. Fluvios ex Asia in Mæotim magnos decurrere, præter Tanaim octo dinumerat. Inter qvos Vardanus australior est, Marubius septentrionalior, cui proximus est Rhombites major, deinde Thespanius, postea Rhombites minor, de hinc Atticites & Vardano propinqvior Psatis. Multa est inter veteres discordia, qvam inde nasci arbitramur, qvia nec montium, nec fluminum, nec gentium nomina perseverant: & provinciarum regnorumqve termini multam varietatem accipiunt. A Strabone, qvi sub Tiberio Cæsare vixit usqve ad Ptolomæum Alexandrinum, qvi per tempora Antonini Pii situm orbis descripsit, haud eqvidem magnum tempus est, & tamen tanta nominum variatio intercessit, ut paucissimos Scytharum populos ex his nominari videamus apud unum, qvos nominaverit alter. Sed ad rem redeamus. Strabo Cyrrhum amnem, & Araxē in Hyrcanum pelagus ab occidentali plaga immittere arbitratur, & Araxem per Armeniam, Cyrrhum per Iberiam & Albaniam decurrere, & ab ostio Cyrrhi per Albanos, Iberas, & Colchos, à mari in mare tria ferè stadiorum millia esse, & isthmi rationem obtinere hujus partis qvam describimus. Possidonius hanc isthmum mille & qvingenta stadia continere putavit, qvantum inter Pelusium est & mare rubrum, tantundemqve spacii à Mæotide in oceanum esse censuit, indignus fide, qvamvis Pompeio familiaris fuerit, & res ejus scripserit.

## Cap. XIX.

### *De Albanis, & de bonitate soli sui, & simplicitate gentis, & prisca eorum superstitione.*

Albani in hac descriptione primi occurrunt, qvos pastorales fuisse constat, & Nomadico generi proximos, non tamen vagos atqve idcirco minus bellicosos. Inter Iberos & mare Caspium habitant, ab ortu Solis mari conjuncti, ab occasu Iberiæ finitimi, ex reliqvis lateribus Boreale Caucasis montibus munitur, qvi campis imminentes, & mari plurimum conjuncti Ceraunia vocantur, ut Strabo putavit, & complures alii: qvamvis Ptolomæus

mæus (ut ante diximus) aliter ſentiat, auſtrale latus Armeniam contingit, qvæ partim campeſtris eſt, partim montana, ſicut & Cambyſen, ad quam Armeni ſimul & Iberi & Albani conjunguntur. Cyrrhus per Albaniam fluit, & alia flumina, qvæ qvamvis eum augent fœcundioremqve terram exhibent, mare tamen conſundunt propter limum, qvem offerunt. Araxes prope emittit, aſper ex Armenia cadens, ſed qvem limum propellit, alveum pervium faciens, eum Cyrrus repellit. Homines in Albania inertes fuiſſe feruntur, nam qvi ibi militarunt, Cyclopicam eos degere vitam dixerunt, & terram omnis generis fructum etiam domeſticum afferre, & ſtirpes omnes, & ea qvæ ſemper virent, & qvamvis ne minimam qvidem culturam habeat, bona tamen omnia ſine ſatione & inaratam gignere, multisqve in locis ſemel ſatam, bis terqve fructum reddere ac primo qvod modios qvinqvagenos, idqve minimè renovatam, aut ferro proſciſſam, vineas ineffoſſas manere, qvinqve annis putari, in bimatu novellas fructum ferre, adultas tantum reddere, ut pars maxima in palmitibus relinqvatur, mira res; cum Ptolomæus Albaniam in ſexto climate ponat. Pecora cum mitia, tum agreſtia, pulcherrimos edere fœtus ajunt, ſtaturam hominum pulchram & magnam eſſe. Simplex mortalium genus, minimeqve cauponarium, nummi uſum magna ex parte ignoraverunt, neqve numerum ultra centenarium novere. Commercia inter ſe mercibus facere, in cæteris qvæ ad vitam pertinent inertes, exqviſitorum ponderum ac menſurarum totiusqve civilitatis & agriculturæ prorſus ignari, ſi qvando ad bella prodierunt, expediti & armati, ut Armenii fuere. Exercitum majorem emittere conſveverunt qvàm Iberes: nam peditum ad ſexaginta millia, eqvitum ad viginti duo millia contra Pompejum magno ſuo damno armaverunt. Jaculatores ſunt & ſagittarii clypeos & thoracas habentes, & qvemagmodum Iberi firmas galeas, hos Nomades ab exteris deſenderunt, ſicut Iberas & iisdem de cauſis. Aliter verò ſæpe eos adoriebantur: nec ſinebant agriculturam exercere. Deos Albani Solem & Lunam gentili dementia coluere. Lunæ templum Iberiæ proximum ſumma religione colebant, cujus ſacerdos honore poſt regem ſecundus habebatur, & ſacris ſervis, & ſacræ regioni præerat, qvæ multa fuit & hominibus plena. Servorum qvidam afflati numine videbantur, & qvodammodo divinare:

vinare: qvi plurimum numine correptus fuit, diu per ſylvas ſolus erravit: exin ſacerdos comprehenſum ſacra catena devinxit, ac per annum ſumptuosè aluit, poſtea ad ſacrificium deæ cum aliis hoſtiis mactandum produxit, tumqve negotii qvidam gnarus ſacram haſtam tenere, qva mos fuit hominem mactari, ex multitudine procedens illam in conſervi afflati latus adegit, & cadente ſervo qvædam divinationis ſigna captavere, atqve in commune prætulere, corporeqve in locum qvendam delato, omnes ſuper illud tranſiere. Sic enim ſtulta natio & à dæmonibus poſſeſſa, expiari, ſi qvid peccati fuerat, arbitrabatur. Senectus honore præcipuo apud Albanos fuit, non parentum modo, ſed etiam reliqvorum, cum mortuis pecunias defodiebant, nec aliam defunctorum curam gerebant. Strabo ſex & viginti linguas Albanorum fuiſſe tradit, & totidem aliqvando reges, poſtea ad unius imperium cuncta rediiſſe, terram ſerpentia qvædam lætifera gignere, & ſcorpios & araneas, qvarum qvædam ridendo mori cogunt, qvædam flendo deſiderio ſuorum, qvemadmodum de Tarantulis in Calabria rumor eſt. Et Caſpianam ad Albanos pertinere ajunt, ejusdem nominis cum gente Caſpia, qvæ poſtea obſcurior facta eſt, & mare Caſpium attingit. Ingreſſus ex Iberia in Albaniam per Cambiſenam patuit, regionem aſperam & ſiccam, qvamvis flumine Alazanio pars ejus irrigetur: Albani & eorum canes excellentes venatores fuere, ſtudio magis qvàm arte, originem eorum ex Jaſone ductam exiſtimant, qvi cum Armenio Theſſalo in Colchos navigavit, & usqve ad mare Caſpium, per Iberiam & Albaniam proceſſit, & Armeniæ ac Iberiæ multum peragravit, ſicut Jaſonia, & alia compluria monumenta teſtantur. Trogus Pompejus Albanorum originem Italicam dicit, aſſerens Albanos Herculem ex Italia ab Albano monte, cum Gerione extincto armenta ejus per Italiam duceret, ſecutos fuiſſe, originis Italicæ memores, exercitum Cnei Pompeji bello Mithridatico fratres ſalutaviſſe. Albania ſub imperio Perſarum fuit, poſtea Macedonum, deinde Romanorum: ſed Trajanus imperator his regem dedit, nunc non ſatis certum eſt cui pareant, qvamvis ſub regno magni Canis degere credantur. Ab his Albani orti ſunt: qvorum pars hodie in Peloponneſo, pars in Macedonia ſedet, juxta Dyrachium, qvorum dux eſt Georgius Scanderbei, qvi multa per noſtram ætatem adverſus Turcas pro Chriſti nomine prælia geſſit, magnanimus & invictus

victus copiarum ductor. In Gothorum exercitu fuere, cum illi Græcorum imperium afflixerunt: deinde longæ militiæ affecti tædio, in Adriatico littore consederunt.

## Cap. XX.

### *De Amazonibus & Gargarensibus, & ex qvibus prolem suscipiebant.*

THeophanes qvi cum Pompejo militavit, & Albaniam procuravit, inter Albanos & Alazonios habitare Gelas & Lelegas dicit, & inter hos & Amazonas Mermadalim delabi fluvium. Metrodorus Scepsius & Ipsicrates locorum non ignari (ut Strabo refert) Amazonas septentrionem versus Gargarensibus finitimas tradiderunt, sub radicibus montium Caucasiorum, qvi Ceraunia vocantur, cum qvibus & Ptolomæus sentit: qvia eas (ut diximus) inter Ras fluvium & Ceraunia juga collocavit, qvamvis de Cerauniis paululum discordare videatur. De Amazonibus multi meminerunt, & apud Græcos, & apud Latinos, non Poëtæ solum, qvi fabulosa tractant, verumetiam historici, qvos à vero recedere turpissimum est. Trogus Pompejus, Justino teste, duos regios juvenes ex Scythia pulsos per factionem optimatum, juventutem ingentem usqve in Cappadociam & amnem Thermodoontem subjectosqve Themiscyræ campos, secum traxisse affirmat, ibiqve per multos annos finitimos spoliare assvetos, postremo conspiratione populorum trucidatos: Sed uxores cum vidissent exilio suo additam orbitatem, arma sumpsisse, finesqꝫ suos summoventes primo, mox etiam inferentes bella, defendisse: nubendi qvoqve vicinis animum omisisse, servitutem non matrimonium appellantes: & ne feliciores aliis aliæ viderentur, viros qvi domi remanserunt interfecisse, ultionem cæsorum conjugum excidio finitimorum consecutas, deinde pace armis qvæsita, ne genus interiret, cum circumstantibus populis concubitum inivisse, si qvi mares nascerentur interficientes, fœminas non in otio aut lanificio, sed armis & eqvis & venationibus exercentes, inustis infantium dexterioribus mammis, ne sagittarum jactus impedirentur, unde Amazones dictæ sunt. Duas his reginas fuisse Marthesiam & Lampedonem,

nem, qvæ vicibus bella gererent, & se Marte genitas prædicarent: à qvibus magna pars Europæ subacta sit, & urbes condiderint. Sed cum partem exercitus domum dimisissent, reliqvas qvæ ad tuendum Asiæ imperium remanserant, concursu barbarorum cum regina Marthesia interfectas: In cujus locum filia ejus Orithya successerit, cui præter singularem belli scientiam, eximia in omne ævum virginitatis admiratio fuerit. Herculem, cui imperatum erat, ut arma reginæ Amazonum ad regem deferret, tanqvam impossibile id esset, eo profectum longis novem navibus, comitante principum Græciæ juventute, inopinantes aggressum, voti compotem factum, duas tunc sorores regnum tenuisse Antiopem & Orithyiam, qvæ foris bellum gerebat, cum Hercules ad littus Amazonum applicuit: Qvæ domi manserant, repentino tumultu excitatas arma sumpsisse, sed facilem victoriam hostibus dedisse, cæsas captasq; fuisse, & in his duas Antiopæ sorores, Menalippem & Hippolytem: Theseum captivam Hippolytem uxorem duxisse, ex qva genuit Hippolytum, qvi novercæ fraude periit: Herculem Menalippem captivam sorori reddidisse, & precium arma reginæ accepisse, atqve ita functum imperio ad regem rediisse. Sed Orithyiam ubi comperit sorori bellum illatum, & raptorem fuisse Atheniensium principem, hortatam in ultionem comites, auxilium à Sagillo Scytharum rege petiisse, ex cujus genere orta esset, ab illo filium Panaxagorum auxilio missum, sed ante prælium dissensione orta, ab auxiliis desertas, bello ab Atheniensibus victas fuisse: receptaculum tamen habuisse castra sociorum, qvorum auxilio intactæ ab aliis gentibus, in regnum redierint. Post Orithyiam regno potitam fuisse Penthesileam, cujus Trojano bello magna virtutis documenta extiterint, qva interfecta, & assumpto ejus exercitu, paucas qvæ domi remanserant ægrè se adversus finitimos defendisse, usqve ad Alexandri Magni tempora, cum Thalestris (ut ante diximus) ad eum in Hyrcaniam venit. Hæc Trogus de Amazonibus. Sed qvid Diodorus de his scribat non incongrue referendum est. Sic enim duorum authorum, qvi magni habentur, qvanta sit vel concordia vel discordia, cognoscemus: Diodorus penes Thermodoontem fluvium primo gentem Amazonum fuisse ostendit, qvæ viris similes corporeis viribus, & bellicis artibus præstarent. Earum reginam, exercitu mulierum coacto, nonnullas vicinas gentes expugnasse,

pugnasse, filiamqve genuisse, qvam Martis filiam appellaverit: viros ad texturam, & muliebria exercitia deputasse, lege edita, ut solæ fœminæ in re militari erudirentur, viris interdicta essent arma, maribus qvi ex eis nascerentur, qvo bello inutiles fierent, crura & brachia debilitasse: fœminis dextram inussisse mammam, à regina urbem præclaram in ostio Thermodoontis fuisse conditam, & Themiscyram appellatam: atqve in ea insignem regiam magno splendore erectam, ab hac propinqvas gentes usqve ad Tanaim fluvium domitas fuisse, cui in pugna cadenti filia successerit matre præstantior, qvæ ultra Tanaim exercitu traducto, omnes ejus oræ gentes ad Thraciam usqve devicerit, domumqve reversa magnifica Deis templa construxerit, & ad alteram fluminis partem versis armis, Asiam usqve Assyriam bello subegerit. Multis post seculis, vulgata Amazonum per omnem orbem virtute, Herculi Semeles ac Jovis filio, ab Euristheo mandatum fuisse, ut Hippolytæ Amazonis balteum ad se deferret: Herculem illato bello, acieqve profligatis Amazonibus, victam Hippolytam cum balteo cepisse, qvo prælio Amazonum regnum ceciderit. Siqvidem barbaræ gentes contempto earum nomine, & injuriarum memores, adeò Amazones continuis bellis contriverunt, ut ipsarum nomen & genus extingueretur, qvamvis paulò post Herculis expeditionem, Penthesilea Trojano bello ab Achille interfecta fuerit, qvibus in rebus qvantum à Trogo differat Diodorus, diligens lector facile metietur. Ephorus Amazones inter Mysiam Cariam ac Lydiam prope Cumam patriam suam, habuisse sedes arbitratur: forsitan aliqvando ibi habitaverunt, ubi Ephesum, Smyrnam, Cumam & Magnesiam condidere. Sed Aeolibus & Jonibus postea cessere, cum qvibus ante Trojanum bellum Priamus in societate Jonum belligeravit, ut Homerus affirmat. Sunt qvi Gargarenses cum Amazonibus è Themiscyra in ulteriorem Scythiam migrasse ferunt, postea ab illis discissos, cum Thracibus & Euboibus qvibusdam errabundis adversus eas bellum gessisse. Qvo composito his inter se conditionibus convenisse, ut in filiorum prole communicarent, viverent autem utriqve separatim. Amazonum autem alias his intentas fuisse, qvæ ad arationem insitionemqve pertinebant, alias eqvorum venationem, ac bellorum curam gessisse, arcu, securi, & pelta utentes, galeas & subligacula & alia operimenta è ferarum pellibus confecis-

conſeciſſe, duos his anni menſes fuiſſe ſacros, qvibus montem proximum conſcendebant, qvi eas à Gargarenſibus disjungit, qvo & illi more pervetuſto convenientes ſacrificabant, & prolis gratia cum mulieribus coibant, idqve obſcurè & inter tenebras in qvascunqve inciderent. Qvæ ſi fœminam peperiſſent, apud ſe retinebant, ſi mares Gargarenſibus tollendos reddebant. Unde propter ignorantiam, valde ſe invicem diligebant, cum qvælibet affinem ſibi qvamlibet exiſtimaret. Strabo de Amazonibus non ſatis certam ſententiam fert, & qvod Thaleſtris regina prolis gratia cum Alexandro in Hyrcania permiſta fuerit, incertum dicit: & rerum ſcriptores inter ſe diſcordare, nec fide dignum eſſe Clitarchum, qvi Thaleſtram ſcribit à Caſpiis portis & Thermodoonte profectam, ad Alexandrum veniſſe, cum Caſpiæ portæ ſupra ſex millia ſtadiorum diſtent à Thermodoonte, nec veriſimile cenſet, vel exercitum, vel civitatem, vel gentem unqvam ex ſolis mulieribus conſtitiſſe, qvæ ſua cuſtodierint, & aliena invaſerint. Viciniſqve ſubactis, usqve in Joniam proceſſerint, & exercitum trans Pontum in Atticam miſerint, qvod perinde ſit, ac qvis dicat viros tunc mulieres fuiſſe, & mulieres viros, ſuo autem tempore paucos fuiſſe, qui traderent, ubi Amazones eſſent & id qvidem ſine demonſtratione. Nobis non impoſſibile videtur, qvod priſci ſcriptores de Amazonibus tradiderunt, qvi & in Bohemia tenuiſſe fœminas principatum legimus, & in Hungaria Mariam viriliter imperaſſe, qvæ non reginam, ſed regem ſe appellavit. In regno Neapolitano duas Joannas rerum potitas ſcimus, qvarum altera noſtra ætate, altera paulò ante, res magnas geſſit. Sed puella Franciæ, de qva ſuo loco dicemus, non parum dubietatis affert, cujus ductu ſæpe Anglorum copiæ noſtro ævo profligatæ fuerunt. Sub Claudio imperatore ſecundo, qvi de Gothis magnificentiſſimè triumphavit, decem mulieres ante currum ductæ fuerunt, qvæ in bello captæ virilem habitum geſtabant, & Amazonum genus eſſe putabantur: nunc de his nulla cognitio apud nos eſt, nec affirmare tam vetuſta, neqve negare, audemus: nec miramur antiqviſſimarum rerum ſcriptores inter ſe diſcordare, qvando nec noviſſima uno modo referuntur. Ex his qvæ priſci ſcribunt, illud conſtare videtur, Amazonas primo Themiſcyram, & ſubjectos Thermodoonti campos, & imminentes montes incoluiſſe, poſtea inde

pulſas

pulsas in Scythiam migravisse, unde illarum erat origo, atqve id asserere Trogus videtur, qvi Albanis vicinas Amazones dicit, & Thalestrim reginam inde ad Alexandrum venisse putat in Hyrcaniam. Mermedonas amnis, ut Straboni videtur, è montibus descendens, per Amazonum regionem, & Siracenam, & loca intermedia, qvæ deserta sunt, in Mæotim emittit: qvod multum est Ptolomæo adversum, qvi aquas per Amazonum agros fluentes in Ras fluvium, & Hyrcanum pelagus decurrere qvodammodo indicare videtur, nisi montes aliqvi ex Amazonibus in occidentem inclinent. Ex qvibus Mermedonas ortus, longissimo cursu Mæotim perqvirat: nonnulli, qvi nostro tempore orbem figuraverunt, Amazones insulam habitasse designant, qvam fluvius efficit, qvem Edil appellant: hunc esse Ras arbitramur, cujus supra meminimus.

## CAP. XXI.

### *De Iberia, Iberis, victu, vestitu, & repub. eorum, & qvomodo, qvove tempore Christi fidem susceperunt, qvodqve Georgiani nunc appellentur.*

IBeria post Albanos ad occidentem occurrit, cui ad Septentrionem Nomades adstant, & Caucasii montis accolæ: ad meridiem Armenia est, ad occidentem Colchis. Tota regio Caucasiis montibus circumdatur: nam cubiti qvidam fertiles ad meridiem procurrunt, qvi universam Iberiam comprehendentes, sese ad Armeniam & Colchidem conjungunt: planitiem in medio relinqventes fluminibus irriguam, præsertim Cyrho, qvi ortum ex Armenia trahens planitiem ipsam ingreditur, & Aragum amnem à Caucaso defluentem, atqve alias aqvas in se recipiens, per angustam fluminis regionem evadit in Albaniam, inter qvam & Armeniam multus illatus, per uberes campos compluribus fluminibus auctus, é qvibus Alazonius & alia tria navigabilia sunt, in mare Caspium erumpit. Qvatuor aditus in Iberiam ducunt admodum difficiles, ex Colchide per medios Sarapanos itur, & angustias montis, per qvas Phasis excur-

rit, centum ac viginti pontibus transmeandus: hic amnis propter flexiones asper ac violentus, ex Iberia in Colchidem fertur, convallium torrentibus multo imbri adauctis, & propter imminentes montes arctus, qvam plurimis impletur fontibus. In campos autem delatus, alia & alia in se recipit flumina, è qvibus est Glaucus & Hippus, qvibus auctus ac navigabilis factus, exit in pontum, secus eum urbs jacuit ejusdem nominis, & lacus non procul. Aditus igitur ex Colchide in Iberiam hujusmodi est, petris, munitionibus, fluminibus & convallibus clausus: nec minus difficilis ex Nomadibus patet, septentrionem versus, trium dierum itinere, deinde angusta regio, circa flumen Aragum, dierum qvatuor, cujus viæ finem murus inexpugnabilis munit. Ex Albania primo aggressus est per petram excisam, dehinc per stagnum qvod amnis efficit, cadens ex Caucaso: Ex Armenia per angustias itur, qvæ secus Cyrrhum sunt, atqve Aragum, qvi priusqvam invicem concurrant, duas urbes natura munitas ambierunt: qvæ saxis impositæ sedecim inter se stadiis aberant, propter Cyrum, Amozicam, propter Aragum Seumaram. Pompejus ex Armenia movens, hoc itinere usus est, & post eum Canidius. Iberiæ campos agricolæ habitant, homines ad pacem intenti: Armenico & Medico cultu montanam regionem pars eorum maxima ac bellicosa Scytharum more viventes, qvorum cognati sunt, & contermini: agriculturam tamen exercent, & cum tumultus ingruerit, multa ex se atqve Nomadibus hominum millia contrahunt, fuitqve Iberia maxima ex parte urbibus & habitatoribus plena, & tecta fictilia habuit, & fabrefactas ædificiorum structuras, & fora, & publica ornamenta, & ad sextum clima pertinet, sicut Albania. Qvatuor olim genera hominum Iberas fuere. Primum, ex qvo reges duo deligebantur, alter, qvi propinqvitate & ætate antecederet: alter, qvi jura daret, & exercitum duceret. Secundum, sacerdotum, qvi jura finitimorum curarent. Tertium militum & agricolarum. Qvartum, vulgi, qvod regibus serviebat, & omnia qvæ ad vitam pertinent ministrabat: his omnia per familias erant communia, rem tamen tenebat, qvi senior erat. Magnus Pompejus Iberiam Romano imperio subjecit, qvæ sub Constantino Cæsare Helenæ filio verbi Dei fœdera, & fidem futuri regni suscepit. Mulier captiva tanti boni causam præstitit: qvæ cum vitam pudicam duceret, & dies ac noctes in oratione consumeret, admirationi Barbaris fuit: qvibus scitcitantibus,

bus, cur tantopere ſe affligeret, ita ſe ſuum Deum colere reſpondit, qvi Chriſtus eſſet. Nihil ex hoc amplius admirati Barbari, qvam novitatem nominis, mulierculam in honore habuerunt. Mos gentis erat, parvulos, cum ægrotarent, per vicinas domos à matribus circumferri, remedia exqvirentibus. Mater qvædam cum puerum aliqvamdiu circumtuliſſet, nec ſalutare qvicqvam inveniſſet, captivam adiens ejus opem petiit, illa ſe humani nihil ſcire teſtata eſt, ſed Deum qvem coleret Chriſtum deſperatam ab hominibus ſalutem poſſe conferre, parvulumqve cilicio ſuo ſuper imponens, & orationem ad Deum fundens, ſanum matri reddidit. Implevit urbem facti rumor, & ad reginam perlapſus eſt, qvæ dolore qvodam afflicta, ad captivam ſe ferri curavit: cum illa regiam domum ingredi recuſaſſet, reddita eſt regina ſanitati, atqve admonita ut in Chriſtum crederet, & eum coleret, qvi ſalutem præbuiſſet, rogavit regina virum ut Chriſtianus efficeretur. qvod qvanqvam ille promiſiſſet, ſegnis tamen erat, nec ſæpius ab uxore commonitus baptizari curabat, non tam fidei hoſtis, qvam dubius. Contigit eum in altiſſimas ſylvas ire venatum, qvo cum perveniſſet, coorta ſubito tempeſtate, ita tenebræ cuncta operuere, ut nec ipſe comites cerneret, nec cerneretur ab illis: ignarus qvid ageret, promiſſionis conjugi factæ recordatus eſt, Chriſtumqve rogavit, ut ſi Deus eſſet, ex tantis eum periculis eriperet, nec mora dies reddita mundo eſt, & rex ad urbem incolumis perductus, qvi reginæ qvæ geſta erant miraculi loco expoſuit, vocatur captiva, audit conſilium ejus, illa rejicienda idola, & Chriſtum colendum dicit, eiqve ſupplicandum, & baſilicam faciendam, convocato populo rex Evangelium prædicat, & nondum ſacris initiatus, fit ſuæ gentis apoſtolus, credunt viri per regem, fœminæ per reginam, conſtituitur templum magni operis, & elevato pertinaciter murorum ambitu, columnæ collocantur. Sed prima ac ſecunda erecta, tertia nullis machinis erigi poteſt, nulliſqve viribus, cum ad noctem usqve laboratum eſſet, recedentibus omnibus, ſola captiva apud templum in oratione perſeverat, poſtera die, prima luce, redeunte populo, columna reperta eſt, ſupra baſin in aëre ſuſpenſa, qvantum eſſet unius pedis ſpacium, magnificavérunt omnes Deum, veramqve captivæ fidem recognoverunt, qvibus mirantibus ac ſtupentibus, ſenſim ſupra baſim ſuam, nullo contingente, depoſita eſt, & ſumma cum liberatione

 deſcen-

descendit, mox reliqvæ columnæ magna facilitate erectæ & collocatæ sunt, perfectum templum: & populi fide confirmata, svadente captiva, totius gentis legatio ad imperatorem Constantinum mittitur, res gesta exponitur, & sacerdotes petuntur, qvi cœptum erga se munus impleant. Ferunt Constantinum non minus hoc nuncio lætatum, qvam si gentes Romano imperio incognitas & ignota regna vicisset, Iberiis jocundissimo vultu satisfecisse. Ruffinus in ecclesiastica historia hæc sibi Bacchurium ipsius gentis regem narrasse affirmat, virum fidelissimum, cum Hierosolymis secum humaniter degeret, veri periculum ad eum referendum est. Iberos hodie Georgianos appellant, qvorum legatio ad nos venit, cum ex Mantua Romam rediissemus, colunt & hi hodie Christum, qvamvis procul ab apostolica sede veritatis magistra, & Barbaris circumfusi gentibus, non omnem Evangelii puritatem servant.

## Cap. XXII.

### *De Colchis, & qvæ flumina Colchidem claudunt, de melle amaro, & de Tragelapho, & qvantum Colchis olim claruit.*

Colchis (ut placere Ptolemæo videmus) monte Coraxe à septentrione clausa est, qvem Caucasi partem esse ostendit, & Nomades excludere: ab oriente, Iberia: à meridie, Phasi flumine, & Armeniæ montibus: ab occidente, Euxino ponto: in qvem Hippum flumen cadere arbitratur: & inter ejus ostium & amnem Phasim, duo flumina decurrere in pelagus Cariustum & Caneum, & post Hippum, ultra Dioscuriadem, septentrionem versus, Coraxem fluvium in idem mare exonerari, qvi ex monte sui nominis oriatur. Strabo verò Hippum cadere in Phasim asserit, & Colchidem, magna ex parte ad mare protensam, Phasim irrigare, ingentem fluvium qvi ortus in Armenia Glauco & Hippo in se receptis, usqve ad Sarapanos navigetur, exinde pedestri itinere curribus vectos, qvatriduo in Cytam proficisci, ad Phasim urbem jacere ejusdem nominis Colchorum emporium, qvod ex alia parte amni præcingitur, ex alia lacu, ex alia mari, hinc biduo triduové, Amisum Sinopem-

nopemqve navigari, littora hæc & fluminis ostia amœnissima esse, regionem fructibus & omnibus qvæ ad fabricandas naves pertinent, abundare. Mel tamen freqventius amarum esse, linum, cannabem, ceram & picem gignere: linificium vulgatum & multum, in peregrina exportari loca, propter qvod cognationem inter Colchos & Ægyptios esse qvidam voluerint. Plinius Veronensis, animal cervo simile, barba tantum & armorum villo distans, juxta Phasim amnem, & non alibi nasci affirmat, qvod Tragelaphon vocatur: Secus Phasim Leucothoæ fanum fuisse, qvod Phrixus condiderit, atqve illius oraculum ubi aries non mactatur, id olim dives habitum, deinde à Pharnace, & paulòpost à Mithridate Pergameno direptum. nam læsâ religione, etiam divina patiuntur, nec coli possunt, ut Euripides inqvit. Vana garrulitas qvæ religionem pauperibus aufert: Deus & inopum & divitum pater est, neqve aliud ab homine qvàm voluntatem reqvirit. Qvantam olim Colchis claritatem habuerit fabulæ declarant, Jasonis exercitum innuentes, qvi ad Medos usqve processit, ac prius etiam Phrixi expeditionem, postea cum reges succederent, & regionem haberent in provincias divisam, mediocriter agebant. Cum vero Mithridatis Eupatoris potentia vehementer esset adaucta, tota ei regio paruit, à qvo semper aliqvis ex amicis regionis præfectus & administrator mittebatur. Strabo refert Moaphernem matris suæ patruum Colchis administratorem fuisse: sed Mithridate sublato, regionem omnem qvæ suberat, eversam, & multis distributam. Polemonem postremo Colchidem habuisse, atq; eo mortuo conjugem ejus Pithodorim, qvæ & Colchorum, & Trapezuntis, & Pharnatiæ, & ulteriorum barbarorum regnum tenuit. Strabo existimat montem Caucasum Pontico mari & Caspio imminere, Isthmumqve munire interjacentem: Iberiam qvoqve & Albaniam ab eodem monte disterminari, qvi Sarmatas ad septentrionem dimittit. Ptolemæus qvoqve Caucasia juga inter Iberios & Colchos procurrere arbitratur, & ab utrisqve gentibus disjungere Sarmatas: Eratosthenes eundem esse Caucasum & Caspium existimavit, & ab eo qvasi cubitos qvosdam ad meridiem procurrere, qvi complectentes Iberiam Armenis & Moscitis montibus conjungantur. Secadissæ qvoqve & Pariadræ. Idemqve sentire Ptolemæus videtur, & has esse Tauri partes, qvi Australe Armeniæ latus efficit, & ab eo qvodam modo

abruptas. Septentrionem versus usqve ad Caucasum & maritimam Euxini oram procurrere.

## Cap. XXIII.

### *De Dioscuriade, & apud eam lingvarum varietate, & aurati velleris ficta fabula, de victu & vestitu eorum, qvi apud Dioscuriadem conveniunt.*

QVæ à Colchide Themiscyram tendit, Dioscuras & Sebastopolis à Ptolomæo vocata est. sicut Straboni placet, orientalissimum totius Euxini pelagi sinum obtinet, & extrema navigatio appellatur. Unde illud qvod in proverbio dicitur, in Phasim ubi cursus carinis ultimus, sic intelligendum est, non qvod Poëta qui Jambicum fecit de flumine dicat, nec de urbe ejusdem nominis, qvæ ad flumen jacet, sed de tota Colchide. Nam de Phasi, usqve ad intimum Dioscuriadis recessum sexcenta esse stadia putant, & Dioscuriadem initium isthmi tenere, qvi duo inter maria eminet. Ptolomæus verò Jambicum intellexit ad verbum, & intimum Euxini sinum ad orientem in Phasis ostio terminavit, ibiqve isthmum incipere ostendit. Dioscuriadem verò septentrionalem Ponti ripam tenere, non procul ab amne Coraxe. Dixerunt aliqvi qvi res parum animadvertunt, septuaginta, & qvibus minor veri cura fuit, trecentas gentes apud Dioscuriadem convenire solitas, omnes diversarum lingvarum, propterea qvod sparsim & impermiste, ob asperitatem atqve intractabilitatem habitent, qvarum pleraqve pars Sarmatæ sint. Universæ tamen Caucasiæ, inter qvas Phthirophagorum natio fuit, cui nomen à sordibus datum est, quibus proximos Soanes esse Strabo putavit, nihil fama meliores, qvamvis robore præstarent, vicinisqve gentibusqve dominarentur, eosqve Caucasi extrema obtinere, qvæ imminent Dioscuriadi. Ptolemæus Soanam fluvium qvendam memorat, qvi ex Caucaso cadit in Hyrcanum pelagus. à qvo Soanes dici potuerunt. Sed hi Albanorum extrema versus septentrionem colebant, ii qvos Strabo nominat, Colchis imminе-

minebant, qui ad ad Euxinum pertinent. Ferunt his regem fuiſſe, & trecentorum virorum collegium · & qvamvis inordinatam gentem, bellicoſam tamen, ducenta hominum millia in exercitum cogere conſueſſe. Torrentes apud eos aurum detuliſſe, qvod perforatis tabulis, ac lanoſis pellibus excipiebant, atque hinc aurati velleris confictam fabulam, & fortaſſe Iberes his contermini eodem nomine vocantur ; qvo occidentales, ab auro qvod apud utrosqve invenitur. Soanes veneno ad ſpicula mirificè utebantur, cujus tanta vis fuit, ut etiam odore admodum læderet. Reliqvæ gentes qvæ circa Caucaſum jacuere, tenuem habuiſſe regionem feruntur. Moſticos montes partim Colchi habuere, partim Iberes atqve Armeni. Polignium qvod Phrixus in Iberia condidit, Ideeſſa poſtea dicta eſt, locus optimè munitus. Altiſſimæ veri Caucaſi partes ad Auſtrum verſæ, qvæ Albaniam, Iberiam & Colchos, & Heniochos reſpiciunt, ab his habitantur, qvos apud Dioſcuriadem conveniſſe relatum eſt, nam ſalis gratia freqventius conveniebant: horum alii montium tenuere cacumina: alii in collibus habitavere, ferina carne & lacte viventes: montium vertices hyeme ſunt inacceſſibiles, æſtate caligas bubulas in tympani modum latas calceati per glaciem ac nivem aſcendunt barbari, & cum oneribus ſuper pelle dilapſi, deſcendunt ad montis ima.

## Cap. XXIV.

### *De Syracoris & Troglodytis, & nominum mutatione, & de pellibus qvæ ab iisdem manant.*

DEſcendenti regio ſeptentrionalior occurrit, mitior tamen qvæ Syracorum jungitur campis. Inſunt etiam Troglodytæ qvidam, qvi propter frigora habitant in cavernis, & pane abundant. Poſt eas Cheanitæ reperiuntur, & Polyphagi, & aliorum qvorundam vici agriculturam patientes: deinceps Nomades inveniuntur, Paxani, & Nabiani, qvi inter Mæotim Caſpiumqve habitant, mox Syracorum Aorſorumqve nationes, qvas ſuperiorum Aorſorum

exules

exules fuiſſe putant, magis ad ſeptentrionem expoſitas. Abeatus Syracorum rex, dum Pharnaces Boſphorum haberet, eqvitum miſit viginti millia. Spadines rex Aorſorum totidem: Superiores Aorſi plura, cum plus terræ haberent, & maxima ex parte oræ Caſpiæ imperarent, unde camelis iter agentes, Indicas & Babylonias merces, ab Armeniis Medisqve accipiebant: atqve propter opulentiam auro adornabantur. Strabo Aorſos Tanaim accoluiſſe tradit, Syraces Archedeum amnem, qvi ex Caucaſo fluens, emittit in Mæotim. Ptolomæus Aorſorum in hac plaga nusqvam meminit, Siracenorum mentionem facit, qvos ultra Hippicum montem prope Ras fluvium jacere oſtendit: ſed mutatis temporibus gentes qvoqve ſitus, & nomina mutant. Tanais (ut antè diximus) Europæ atqve Aſiæ terminus eſt, ferturqve à Septentrione Nilo contrarius, paulo tamen orientalior originem ejus incertam aliqvi putant. Ptolomæus ex montibus Riphæis prodire arbitratur, qvi magis auſtrales ſunt qvam Hyperborei. Nos hominem allocuti ſumus Verona oriundum, qvi per Poloniam & Lituaniam, ad fontes Tanais perveniſſe ſe affirmavit, eosq; tranſcendiſſe, & omnem illam Barbariæ oram borealem perſcrutatum. Is aiebat paludem eſſe non admodum magnam, ex qva Tanais naſceretur, qvi duobus oſtiis Mæotim ingreditur, qvæ ſtadiis intra ſe circiter ſeptuaginta diſtare feruntur. Theophanes Mitylenеus ex Caucaſis montibus oriri Tanaim exiſtimavit, & in ſeptentrionem diu currere. Poſtea converſum ad meridiem, in Mæotim emittere. Ferunt Græcos, qvi Boſphorum habitavere ad flumen Tanaim urbem condidiſſe, qvam poſtea Polemo rex depopulatus eſt, cum minus obtemperaret. Commune in ea emporium erat Nomadum, Aſiæ atqve Europæ, & eorum qvi è Boſphoro lacum navigabant, qvorum alii mancipia, pelles, & ſi qvid aliud eſt Nomadicum vehebant: alii veſtem, vinum, & cætera, qvæ mitis vitæ ſunt propria, onerabant. Nunc his locis propinqvum eſt Venetorum caſtellum, qvod Tanam vocant, unde & nobiliſſimæ pelles feruntur, & mancipia, qvæ è Scythis emunt, qvos appellant Circaſſos.

## CAP. XXV.

### *De Alopecia in Mæotide insula, quæ mistorum hominum domicilium continet, quantave opprimantur glacie & frigore.*

IN Mæotide insula memorant Alopeciam, qvæ mistorum hominum domicilium fuit, stadiis centum à veteri emporio distans ab ostio Tanais, qvod magis orientale est: ad sinistram terrestri itinere pergenti, post octingenta stadia magnus Rhombites occurrit, ubi piscatio multa, & conditura apta: pari deinde intervallo minor Rhombites se offert, non adeò piscibus abundans. Ptolemæus Rhombitem majorem & minorem duo flumina esse dixit. Strabo promontoria significare videtur, qvi populos ab eis Rhombitarios nominari asserit, & majores insulas habere stationibus plenas, minores operarios esse, & omnes vocari Mæotas non minus qvam Nomades bellicosos, & in gentes plurimas divisos, qvorum qvi Tanaim accolerent, agrestiores essent, qvi Bosphoranis cohærerent, mitiorem vitam agerent. A minore Rhombito in Anticetam flumen & Tyramben, stadia esse sexcenta dixerunt: hinc in vicum Cimbricum, centum ac viginti, unde solvebant, qvi lacum navigabant. Ex qvo fit ut longitudo Mæotis per trecenta fere milliaria esse videatur à Bosphoro Cimmerio usqve in ostium Tanais. Cimmericum urbs in Chersoneso orientali fuit, qvæ fossa & aggere isthmum claudebat: Nam Cimmerii potentiam olim maximam in Bosphoro habuere, à qvibus Cimmericus appellatus est. Hi à ponti dextra mediterraneam regionem habitantes, usqve in Ioniam excurrebant: sed à Scythis ex his sedibus pulsi sunt, Scythæ à Græcis, qvi Ponticapeum & alias in Bosphoro urbes habitavere, à Cimmerico usqve in vicum Achilleum stadia viginti numerabantur. Templum hic Achillis fuit, juxta qvod angustissimum ostii Mæotidis fretum, ad stadia viginti, vel paulo plura patet: hinc ad Satyri monumentum, stadia nonaginta esse dixerunt. Id fuit in promontorio qvodam positum, hominis in Bosphoro clarissimi ac potentissimi, cui proximus fuit Vicus petræus, à qvo usqve in Corocondamen, stadia excurrunt centum & triginta,

atqve ibi finis eſt Boſphori, qvi Cimmericus appellatur, cujus longitudo ſtadiorum eſt ducentorum ac viginti, in cujus initio in parte Aſiæ Achilleum fuit, in parte Europæ Myrmecium, verſus Mæotim: verſus Euxinum in Aſia Corocondama, in Europa vicus nomine Æra Panthicapenſis agri, qvæ duo loca ſeptuaginta ſtadiis inter ſe diſtabant, huc usqve glacies pertendit, cum riget hyems Mæotide adeò frigore concreta, ut pedibus permeetur. In his anguſtiis multi fuere portus & ſupra Corocondamen lacus Corocundametis appellatus, qvi decem ſtadiis à vico mittebat. In mari pars Anticetæ fluminis abrupta lacum influens inſulam efficiebat, qvæ hoc lacu & Mæotide & flumine undiqve abluebatur & mari. Anticetam nonnulli Hypanim vocaverunt, qvemadmodum & fluvium Boryſtheni proximum.

## Cap. XXVI.

### *De Phanagoria, de gigantibus Venerem adorantibus, de Polemonis regis morte.*

VLtra hunc lacum naviganti verſus Orientem Phanagoria olim occurrit, civitas memoratu digna, & Cepæ ex Hermonaſſa, & Apaturum Veneris ſanum. Phanagoria & Cepæ in inſula fuere: qvicunqve olim Boſphori potentibus obediebant, Boſphorani appellabantur, & alii Aſiani, alii Europæi: horum Metropolis Panticapeum fuit, Aſianorum Phanarium, ſic enim poſtea Phanagoria eſt appellata, earum rerum emporium qvæ ex Mæotide, & ulteriore barbarorum regione importantur, earum verò qvæ mari advehuntur Panticapeum. In Phanagoria templum fuiſſe inſigne tradunt Veneris Apaturiæ, fabulam afferentes: qvod cum gigantes Venerem adorirentur, illa Hercule invocato, tamdiu in lateribus qvibusdam latitaverit, donec gigantes ſigillatim dolo excipiens, occidendos exhibuerit Herculi. Nulla enim mulier tam ſui corporis prodiga eſt, ut vim libenter admittat, & ſæpe dolis potentia ſuccumbit. Inter Phanagoriam & Gorgippiam qvingentorum ſtadiorum ſpacium ponunt, qvod Aſpurgitani habitaverunt, & ipſi Mæotæ: qvos

qvos cum Polemo rex simulata amicitia adoriretur, nec id eos lateret, sed contra instructi exirent, captus interemptusqve est, pœnasqve cogitati sceleris dedit. Bosphoranorum duces ad Tanaim usqve imperium protulere, præsertim Pharnaces Cassander ac Polemo regionem à freto usqve Gorgippiam Sindicam appellavere.

## Cap. XXVII.

### *De Zygis & Heniochis, de lemborum magnitudine, & eorum maritimis furtis, de Enochiorum regum pluralitate.*

POst Gorgippiam Achæi, Zygi, & Heniochi, seqvuntur, montana & importuosa colentes loca, qvæ Caucasi partes sunt. His vita ex maritimis latrociniis fuit, lembos exiles ac leves habentes hominum vigintiqvinqve capaces. Fama est Phthiotas Achæos, ex Jasonis exercitu Achajam hanc habitasse, Laconas verò Heniochiam: qvorum duces Reccas & Amphisastrus fuerint, Castoris & Pollucis aurigæ: ii mari dominabantur more piratarum, prædam Bosphoranis vendentes, & ab eis comeatum accipientes, lembos humeris impositos in sylvis, cum mare navigari non poterat, occulentes, tenue solum arantes: Vicini principes eorum injurias ulciscebantur, sed Romanorum subditi propter negligentiam præfectorum sæpe inulti fuerunt. Heniochi qvatuor reges habuere, cum Mithridates Eupator è paterno regno fugiens, Bosphoranorum regionem permeavit, qvæ qvidem ipsi pervia fuit. Zygorum verò terram, propter locorum difficultatem atqve asperitatem accedere diffisus, ægrè maritima ora profectus est: sæpe mare ingressus, qvousqve in Achæorum agrum pervenit, qvibus adjutoribus iter ex Phaside consummavit, ad qvatuor ferè millia stadiorum. Hanc Zygorum terram eam esse arbitramur, ex qva populi exierint, qvi nostra ætate cum liberis & uxoribus Europam pervagantur, Zigari appellati: insignes fures, & inter nostros homines Nomadum more viventes. A Corocondame orientem versus recta navigatio est, ad stadia centum & octuaginta, ubi Sindicus portus, & civitas, cujus meminit Ptolemæus: de hinc ad

 qvadra-

qvadraginta ſtadia ſunt ea, qvæ Batha nominantur, vicus & portus: ubi Sinope auſtrum verſus huic oræ plurimum videtur opponi. Ptolemæus hic amnem Pſycam ingredi mare arbitratur, & hic Achæos eſſe. Strabo Artemidorum ſecutus Cercetarum oram eſſe tradit, octingentorum & qvinqvaginta ferè ſtadiorum, qvæ ſtationes & vicos habeat: dehinc Achæorum regionem ſtadiorum qvingentorum, poſtea Heniochorum mille, dehinc Pitherintem trecentorum ferè ac ſexaginta, usqve Dioſcuriadem: totaq́ navigatio à Corocondame usqve huc, ſtadia complectitur tria millia centum & qvinqvaginta. Qvi Mithridatica conſcripſerunt (ut Strabo refert) prius Achæos poſuere, deinde Zygos, mox Heniochos, poſt Cercetas, & Moſchos, & Colchos, & Phthirophagos, qvi ultra hos habitavere, Thoanas, & alias circa Caucaſum parvas gentes, qvæ auſtralia Caucaſi occupant loca: Euxini qvæ Ponti ſeptentrionale latus ultra Caucaſum usqve ad oceanum, innumerabiles jacent gentes, qvas ab occidente Tanais claudit, ab oriente (ut Ptolemæo placet) Ras fluvius: ut Straboni, Plinio, & multis aliis, longiſſimus Caſpii maris ſinus, omnes qvi hanc terram incolunt, Scytharum nomine continentur, qvamvis Ptolemæus Sarmatas appellat: qvos bifariam partitus eſt, & alios Aſiaticos vocat, à Tanai usqve ad flumen Ras: alios Europæos, qvi Germaniam inter & Imaum montem collocat. ut à nobis ante relatum eſt. Scriptores alii Scytharum nomen multo majus efficiunt, qvos à Germanico limite, usqve ad ipſos Seras, & orientale pelagus occupare arbitrantur: & ſicut habitabilis terræ auſtralia Æthiopibus tradiderunt, pari modo ſeptentrionalia Scythis, qvos cum Sarmatis confuderunt.

## Cap. XXIIX.

### *De Scythis, eorum origine, de ſedibus incertis, eorum victoria, & qvaliter in hos triumpharint Romani.*

Diodorus Scytharum gentem apud Araxim flumen originem habuiſſe putat, parvamqve ab initio nationem fuiſſe, & modicæ terræ cultricem, ac propter ignobilitatem à vicinis contemptam, nactam-

nactamq; deinde regem qvendam bellicosum, & militari virtute præcipuum, agros ampliasse montanos qvoadusqve ad Caucasum, campestres verò usqve ad Oceanum & Mæotidem, flumenqve Tanaim. Fabulam qvoqve adducit: Natam aqud Scythas ex terra virginem, umbilicotenus hominis forma, reliqva viperæ, qvæ puerum genuerit nomine Scytham, qvi omnium ante se clarissimus evadens, novum ex se populis vocabulum indiderit, inter cujus posteros duo fratres extiterint, summa virtute, alter Pluto, alter Napis appellatus, qvi magnis rebus gestis, regno inter se diviso, alteros populos Plutones, alteros Napas vocitaverunt, qvorum progenies regiones ultra Tanaim, usqve ad Thraciam subegerit: versisqve deinde in alteram partem armis, ad Nilum Ægypti pervenerit: redactis in potestatem omnibus, qvæ intermediæ erant, gentibus, & usqve ad orientis Oceanum, & mare Caspium imperium protenderit: multosqve reges habuit memoria dignos. Scytharum autem populos Sacas, alios Massagetas, alios Arimaspos, alios alio nomine vocari dicit: Coloniasqve plures ab eis deductas fuisse, sed duas maximas, unam ex Assyriis inter Paphlagoniam ac Pontum, alteram ex Medis pone Tanaim flumen, cujus populum Sauromatas appellaverint: qvi multis post annis, imperio latè diffuso, magna ex parte vastata Scythia, eam penitus desertam cultoribus reddiderint. Trogus Pompejus Scythas cum Ægyptiis de generis vetustate contendisse dicit, eisqve datam palmam tanqvam loco editiori natis. Parthos & Bactrianos eorum sobolem esse. Scythiam ab uno latere Ponto, ab altero Riphæis montibus, à tergo Asia & Phasi flumine clausam: multum in longitudinem & latitudinem patere: hominibus inter se nullos fines, neqve tecta, aut certas sedes, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Justitiam genti ingeniis, non legibus, cultam: furtum inter eos gravissimè vindicari, argentum & aurum pariter aspernari, ac cæteri mortales appetunt, lacte & melle vesci, ferarum pellibus vestiri. Darium regem Persarum ab his turpi fuga submotum, Cyrum cum omni exercitu à regina eorum trucidatum. Alexandri magni ducem Zopyriona pari ratione cum copiis universis deletum, Vexorim regem Ægyptiorum exercitu cum omni apparatu belli relicto repulsum ac fugatum. Scythas ab Ægypto paludes prohibuisse, qvi reversi Asiam domuerint, vectigalemqve fecerint, ac per

mille & qvingentos annos tenuerint, usqve ad Ninum regem Aſſyriorum: Romanorum arma audierint magis qvam ſenſerint. Pulchre Trogus, ſed arbitramur Græcos eum aliqvos ſecutum, qvibus mos eſt omnia in majus extollere. Scytharum natio barbara eſt, nec juſti nec recti tenax, fœdiſſima apud eos vita, religionum mille modi, idola & ſerpentes colunt, in libidinem profuſi, aurum non concupierunt donec fuit ignotum, ubi ſplendorem ejus conſpicati ſunt, nihil non auri cauſa patravere, & propter regnum ſæpe parricidia commiſere, neqve inter ſe juſti, neqve cum aliis veraces, cui plus virium eſt, huic & juris magis, potentiæ omnia cedunt. Nec Romani intactos eos reliqvere, neqve Græci: Alexander ultra Jaxartem fluvium eos cecidit, ſucceſſores ejus plurimis cladibus Scythas affecerunt: Cneus Pompejus magnos Scytharum exercitus fudit, qvi Mithridati ſuppetias tulerunt, in Septentrionem Scythicum iter tanqvam in mari ſtellas ſecutus, & omnis Albania atqve Iberia ab eo domita eſt: Regem Colchorum Orodem, poſitis ſub ipſo Caucaſo caſtris, juſſit in plana deſcendere, qvarum provinciarum, etſi Græca origo fuit, in Scytharum tamen mores populi declinaverant. Imperante Claudio Mithridates Boſphoranus, amiſſis opibus vagus, poſtqvam Didium Romanum ducem, ac robur exercitus abiiſſe cognovit, ſpreto Coty juvene, ac rudi novo rege, cum Julio Aqvila eqvite Romano, nationes ſibi allexit & perfugas, & coacto exercitu regem Dandariorum exturbavit, & imperio ejus potitus feſtinavit in Boſphorum, Aqvila & Cotys, qvia Zorſines Saracorum rex hoſtilia reſumpſerat, ad Eunonem, qvi Adorſorum genti præcellebat, legatos miſere, eumqve ſibi ſociarunt: Pellitur hoſtis, veniturqꝫ Sozam Dandaricæ oppidum, qvod deſertum à Mithridate præſidio munivit, & in Saracos pergunt, & transgreſſi amnem Pandam, circumveniunt urbem Huſpediam, eamqꝫ excidunt. Zorſines rex Saracorum, diu penſitato, Mithridatisne rebus extremis, an primo regno conſuleret: poſtqvam prævaluit gentilis utilitas, datis obſidibus, apud effigiem Cæſaris procubuit: magna gloria exercitus Romani, qvem invictum & victorem tridui itinere abfuiſſe ab amne Tanai conſtitit. Mithridates nullo in armis ſubſidio fratrem Cotym proditorem atqve hoſtem metuens, ad Eunonem confugit, qvi eum, impetrata tantum vita, ad Claudium miſit. Multi præterea imperatores, & apud urbem Romam, & apud Conſtantino-

ſtantinopolim, de Scytharum gente glorioſiſſimè triumpharunt. Qvod autem ad interiora eorum, & ultima verſus Boream non eſt itum, paupertas ſoli fecit, & itineris aſperitas, atqve intolerabile frigus, & nullum vincentis præmium. Multos Romani populos (ut Appianus tradit) ſeſe ſponte dedentes rejecere, qvod nullo eſſet emolumento eorum imperium: qvis arma ſumat, & cum mortis periculo dimicet, cum ſciat victoriam ſterilem eſſe? id perinde eſt, ac ſi qvis laudis cauſa cum beſtiis pugnam ineat. Nec Scytharum robur inſuperabile eſt, magis qvam elephantum & taurorum, qvos ingenio vincimus: ſed in his ineſt aliqvid utilitatis, Scythas illos exteriores ſi prælio ſuperaveris, non tam tibi qvàm illis viceris pane alendis, qvi multis eſt incognitus, ubi eorum ſervitia qværas. Fatemur tamen ab his exiſſe qvamplures, qvi res magnas geſſere. Facilè enim migrant qvibus ſterilis ſedes eſt, & melioris ſoli fama multos trahit.

## Cap. XXIX.

### *De Aſiaticis Scythis, & eorum ferocitate, unde Attilas, de eorum fœditate, & qvomodo Hungaros velint eſſe Scythas, qvomodove qvidam Hungarica lingua ſint loqventes.*

EX Aſiatica Scythia migraverunt in Europam Hunni, feroces populi, qvos Jordanus, & alii nonnulli, ex mulieribus Magis & dæmonum ſemine natos crediderunt: qvi tranſmiſſa Mæotide, omnem barbariem inter Tanaim & Danubium occupavere: ex his magnus ille Attilas ortus eſt, qvi ſubacta Pannonia, Italiam ingreſſus, Aqvilejam ſubvertit, & in Germaniam tranſiens, plurimas vaſtitates edidit, ac tranſmiſſo Rheno, in agris Catelaunicis memorabile illud prælium commiſit, in qvo ſupra centum ſexaginta millia hominum cecidere: & qvamvis victus eſſet, id tamen ſolatii tulit, qvod Theodoricum Gothorum præſtantiſſimum ducem obtruncatum cognovit. Is domum reverſus, dum novis nuptiis operam dat, vino plenus, effuſo è naribus multo ſangvine, ſuffocatus

eſt:

est: de qvo etiam in posterioribus nonnulla erunt dicenda. Scytharum qvoqve genus est Turcarum fœdissima gens, qvi ut Æticus philosophus tradit, in Asiatica Scythia ultra Pyriceos montes, & Taracontas insulas, contra Aqvilonis ubera sedes patrias habuere. Natio truculenta & ignominiosa in cunctis stupris ac lupanaribus fornicaria: comedit qvæ cæteri abominantur, jumentorum, luporum, ac vulturum carnes, & qvod magis horreas, hominum abortiva: diem festum nullum colunt, nisi mense Augusto Saturnalia: Romanorum imperium admirata magis, qvam experta est: Octaviano Augusto in auro littorico censum dedit, & id qvidem sponte. nam cum vicinas gentes annua illi tributa reddere animadvertisset, novum dierum ac temporum exortum esse Deum arbitrata, munera illi qvotannis misit. Otho historicus qvi Frisingensis fuit episcopus, tradit Turcas imperantibus Græcis, ac regnante apud Francos Pipino, annis ab hinc puta sexcentis Caspias portas egressos, cum Avaribus ferocissima pugna, multis utrinqve desideratis, conflixisse. Nicolaus Segundinus multa eruditione præditus, græcas ac latinas literas apprime callens, de Turcis ad nos scribens, Asiaticos Scythas illos esse fatetur, qvi Pontum Cappadociamqve transgressi, ad reliqvas finitimas gentes sensim illapsi sint: ii more latronum clandestinis qvibusdam excursionibus, vires sibi vendicantes, occupatis montibus & claustris opportunis, unde per occasionem irruptiones facilè fieri possent, usqve adeo emersere, atqve animis sublati sunt, ut palam jam, & pari Marte adversum finitimos de agri possessione certarent, & deniqve procedenti tempore Galatia, Bithynia, & utraqve Phrygia, in potestatem redacta, omnem Asiam qvæ minor vocatur, ultra citraqve Taurum, ad oras usqve Joniæ & littora Græci maris occupaverint: & unum qvendam principem, sed alios alii duces & varia auspicia, qvasi per factiones secuti, de qvibus alio loco dicendum erit. Ferunt & Hungaros, qvi Danubii ripas incolunt, Scytharum genus esse, non qvasi ab Hunnis ortos qvod propter verbi cognationem aliqvi crediderunt, sed ab aliis Hungaris, qvorum Jordanus meminit, qvi notos eos dicit suo tempore fuisse, propter commercium pellium Mardurmarum. Fuit autem Jordanus sub imperio Justiniani, qvo tempore nondum Pannoniam Hungari attigerant. Longe post Hunnos, Gothos ac Longobardos, Hungari

Hungari Scythiam egressi, ad Danubium pervenere: pulsisqve prioribus incolis, aut sub jugum missis, regnum sibi secere. de qvibus suo loco dicemus. Noster Veronensis, qvem supra diximus ad ortum Tanais pervenisse, retulit populos in Asiatica Scythia, non longe à Tanai sedes habere, rudes homines & idolorum cultores, qvorum eadem lingua sit cum Hungaris Pannoniam incolentibus, voluisseq; cum plerisqve sacrarum literarum professoribus, viris religiosis, & ex ordine beati Francisci, qvi linguam illam nossent, eo proficisci, & sanctum Christi Evangelium prædicare: sed prohibitum à domino, qvem de Mosca vocavit, qvi cum esset Græca perfidia maculatus, ægrè ferebat Asiaticos Hungaros Latinæ conjungi ecclesiæ, & nostris imbui ritibus. Fuerunt & qvi Gothos ex Asiatica Scythia erupisse putarunt, qvorum est pervulgatum nomen. Præsumptio hinc oritur, qvod Alani inter eos militavere, & usqve in Hispaniam transiere, ibiqve sedes obtinuere, in qvibus hodie Catelani tanqvam Gothi, Alani vocantur: Alanos autem Ptolemæus in Asiatica Scythia ultra Hyperboreos montes collocat, ad septentrionem maximè vergentes. Jordanus Europæos fuisse Gothos affirmat, qvem seqvi non pudet, suæ gentis initia referentem: neqve alienum fuerit, Alanos postqvam in Europam migrassent, cum Gothis societatem inisse, ex qua facta sit Catelanorum natio. Multa de Gothis inter res Europæas dicenda erunt, qvæ nunc relinqvimus, illud conclusisse sat fuerit, non idcirco Scytharum genus in aliena prorupisse, qvia cæteris virtute præstarent, sed aviditate melioris agri, & qvod in patrio solo nutriri non possent.

Seqvitur Asiæ ad nostram supputationem tertium membrum, cui Parthia dabit initium, qvamvis rectà in orientem iter habenti Aria occurrat, & Paropamissadum regio, qvæ montanæ sunt, & in eodem parallelo, qvi per Rhodum est, cum Parthia continentur: sed nobis placuit qvinto loco de illis agere, qvi post Indiam ad occidentem primi reperiuntur. Nos Parthiam in hac descriptione, Mediamqve, & utramqve Armeniam, ac magnam minoris Asiæ Chersonesum comprehendemus: qvamvis aliqva ultra citraqve Taurum jaceant, & nonnulla in ipsis montium cacuminibus sita sint.

## Cap. XXX.

### *De Parthis, apud eos vario terræmotu, sermone misto, de eorum vario incessu, & de regum varia successione, atque in bellis multa nunc regni populatione, nunc autem auctione.*

PArthia, ut Ptolemæo visum est, ab ortu Ariam habet, & Masdoranum montem: ab occasu Mediam, & qvibus dissecatur juga: ad meridiem Carmaniam desertam, & Parchoatræ montis sublimem verticem: à septentrione Hyrcaniam: & qvi medius intercurrit monsCoronus. Regiones in ea qvatuor collocat: Comisenam, qvæ Hyrcanis imminet: Tabienam, qvæ ad Carmaniam respicit: Patauricenam, qvæ Ariam: & Sindacam, qvæ Mediam intuetur. Civitates commemorat plures: de amnibus qvi eam irrigent nullam efficit mentionem, qvamvis Bagadram in ea ortum indicare videatur, qvi longo itinere per Carmaniam desertam & Hippophagos, non longè à Surcis Persicum illabitur sinum. Strabo fluminibus irriguos Parthiæ campos esse commemorat, qvos partim Arius, partim Margus, inundet. Julius Solinus Parthiam Rubro mari à meridie claudit, à septentrione Hyrcano salo, non Parthiam hoc pacto, sed Parthicum circumscripsit imperium, qvod in duodeviginti regna divisum dixit, & undecim superiora ab Armenico limite & Caspio littore incipientia, ad terram Scytharum porrecta, qvibus concordia essent reliqva septem inferiora. Sic enim vocat ab ortu Arianos habere, à meridie Carmaniam, ab occasu Medos, à septentrione Hyrcanos. Plinius, qvæ fuerant olim Persica regna, postea Parthorum intelligi voluit, inter duo maria, Persicum & Hyrcanum: montana Parthiæ Scenatas tenere populos. Strabo refert loca optima, & montibus clausa. Trogus Pompejus urbem claram in monte à Partho primo Arsace conditam dicit: cujus loci ea conditio fuerit, ut nec qvicqvam munitius inveniri, neqve amœnius posset, præruptis undiqve rupibus cinctus, ut tutela nullis egeat defensoribus: & soli circumiacentis tanta ubertas sit, ut propriis opibus expleatur. Fontium ac sylvarum ea copia; ut & aqvarum abundantia irrigetur,

getur, & venationum voluptatibus exornetur. Apollodorus Hecatompylon Parthorum regiam appellavit, per mille & ſeptingenta ſexaginta ſtadia diſtantem à portis Caſpiis. In Parthia terræ ſunt, qvas Rhagas vocaverunt, propter terræmotus, qvi ibi freqventer fiunt, à qvibus multæ urbes (ut Poſſidonius refert) & duo millia vicorum everſa ſunt. Strabo affirmat Parthiam ab initio non multam fuiſſe, Parthos cum Hyrcanis Perſica finiiſſe, eisqve ſubfuiſſe, cumqve regio eſſet nemoroſa & montana atqve inops, reges eam curſu præteriſſe, cum ne minimam qvidem exercitus partem alere poſſit: ſucceſſu verò temporis auctam eſſe: Camiſenamqve atqve Chorenam, & totam ferrè regionem, usqve ad Caſpias portas & Aragos & Tapyros, qvæ prius Medorum erant, ad Parthos tranſiſſe: atq; Apamiam & Heracliam inſignes urbes, & Rhagis vicinas, in Parthia videtur deſcribere. Parthorum collegium duplex fuiſſe affirmat, alterum affinium, alterum Magorum & ſapientum, atqve ex his duobus reges creari, nationem Barbaram eſſe, verum bellacem, & à Scythis ortam, qvæ propter præclara belli facinora adeo polluerit, ſemper aliqvid finitimis adimens, ut tandem ad Euphratem propagarit imperium, & vim Scythis attulerit, Bactrianæ partem ejus auferens, & propter imperii magnitudinem cum Romanis vario Marte contenderunt, Scytharum exules crediti, qvod ipſo vocabulo manifeſtari Trogus affirmat: nam Scythico ſermone exules Parthi dicuntur. Ji Aſſyriorum & Medorum temporibus, inter orientis populos obſcuriſſimi fuere: poſtea qvocunqve imperium orientis translatum eſt, veluti vulgus ſine nomine, præda victorum fuere, & Macedonibus triumphato oriente ſervierunt. Parthia frigidiſſimos habet montes, & planities admodum calidas, adminiſtratio gentis poſt defectionem Macedonici imperii ſub regibus fuit: proximus majeſtati regum eſt populorum ordo, ex hoc duces in bello, & in pace rectores habuere: ſermo his inter Scythicum Medumq; medius, & ex utrisqve miſtus: veſtis olim ſui moris, poſteaqvam opes acceſſere, luxuriæ materia, ut Medis, prælucida ac fluida: armorum patrius ac Scythicus mos, exercitum non ut aliæ gentes liberorum, ſed majorem partem ſervorum habuere: qvorum vulgus nulli manu mittendi poteſtate permiſſa, ac per hoc omnibus ſervis naſcentibus indies creſcit, hos pari ac liberos ſuos cura, & eqvitare, & ſagittare, magna induſtria docent.

cent. Locupletiſſimus ut qvisqve eſt, ita plures in bello eqvites regi ſuo præbet: adverſus Antonium cum eqvitum qvinqvaginta millia Parthi duxiſſent, ſoli qvadringenti liberi fuere, præliari in acie cominus, aut obſeſſas expugnare urbes, ignari. Pugnaverunt autem procurrentibus eqvis, aut terga dantibus ſæpe fugam ſimulantes, ut incautiores adverſum vulnera inſeqventes haberent. Signum his in prælio non tuba, ſed tympano dabatur, nec pugnare diu poterant, de qvibus Lucanus: Pugna levis, bellumqve fugax, turmæq; vagantes, Et melior ceſſiſſe loco qvam pellere miles: Illita terra dolis, nec Martem cominus unqvam Auſa pati virtus, ſed longe tendere nervos: Et qvò ferre velint, permittere vulnera ventis. Cæterum intolerandi fuiſſent, ſi qvantus erat impetus, vis tanta & perſeverantia fuiſſet: plerumq; in ipſo ardore certaminis prælia deſeruerunt, ac paulo poſt pugnam ex fuga repetierunt, ut cum maximè te viciſſe putes, tunc tibi diſcrimen ſubeundum ſit. Munimentum ipſis eqvisqve loricæ plumatæ fuerunt, qvæ utrumqve toto corpore texere, auri, argentiqve nullus, niſi in armis, uſus: uxores dulcedine libidinis ſinguli plures habuere, nec ulla delicta adulterio gravius vindicarunt: ob qvam rem fœminis non convivium virorum tantum, verum etiam conſpectum interdicebant. Carne non niſi venatibus qvæſita veſcebantur. Eqvis omni tempore vectabantur, illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obibát: ſuper illos conſiſtere, mercari, colloqvi. Hoc deniq; diſcrimen inter ſervos liberosq; fuit, qvod ſervi pedibus, liberi non niſi eqvis incedebant. Sepultura vulgo, aut avium, aut canum, laniatus fuit: nuda demum oſſa terra obruere. In ſuperſtitionibus atq; cura deorum præcipua omnibus veneratio. Ingenia genti tumida, ſeditioſa, fraudulenta, procacia: qvippe violentiam viris, manſvetudinem mulieribus, aſſignabant: ſemper in externos, aut in domeſticos motus inqvieti: nam taciti ad faciendum, qvam ad dicendum promptiores. Secunda atqve adverſa ſilentio tegebant, principibus metu, non pudore parebant. In libidinem projecti, in cibo parci, fides dicti promiſſiqve nulla, niſi qvatenus expedit. Libet hic paulo altius ordiri, & res Parthicas qvæ memorabiles fuerunt, longius attingere. Orientis imperium primo Aſſyriorum fuit, poſtea Medorum, deinde Perſarum, qvarto loco Macedonum, qvos Parthi ſimul & Romani debellarunt, ſeu verius ipſorũ domeſtica & execranda parricidia: poſt mortem Alexandri

xandri Magni Parthiam tanqvam vilem & inopem nemo Macedonum dignatus est. Ob qvam rem Stratonori externo socio eam tradiderunt. Exin, Macedonibus inter se civili bello contendentibus, Parthi Eumenem secuti sunt, & eo victo, ad Antigonum transiere. Post hunc à Nicanore Seleuco, & Antiocho, & successoribus ejus possessi sunt. Demum verò à Seleuco, Antiochi nepote, defecerunt impunitatem assecuti, qvia Seleucus cum Antiocho fratre, de regno contendebat, qvo tempore & Theodotus Bactriæ præfectus defecit, qvem Strabo Eucedamum appellare videtur: qvi cum se regem appellare jussisset, exemplum totius orientis populis præbuit, ut à Macedonibus deficerent. Nullum est enim imperium, qvod civilis discordia non evertat. Parthianæ defectionis auctor Arsaces fuit, cui alii Bactrianam originem præbent, alii Scythicam, & qvi Scytham fuisse putant, ex parvis ortum affirmant, qvos Dahas credunt, & Dahis profectos, qvi ultra Mæotim habitavere Xandros sive Parios dictos: nonnulli Dahas circa ostium Caspii maris posuere, ex qvibus ortus Arsaces cum plerisq; Nomadibus Ochum accolentibus Parthiam invaserit, atqve obtinuerit. Trogus incertæ originis dicit, qvi solitus latrociniis & rapto vivere, accepta opinione qvod Seleucus à Gallis in Asia victus esset, cum prædonum manu Parthiam ingressus, Mandragoram regionis præfectum oppresserit, & imperium gentis invaserit: duarumq; civitatum imperio potitus, parato grandi exercitu, adversus Theodotum Bactrianorum, & Seleucum Persarum regem, se tueri conaretur. Theodoto cito mortuo, filius ejus ejusdem nominis, pacem & fœdus cum Arsace percusserit: nec multò pòst, cum Seleuco rege ad defectores perseqvendos veniente congressus, victor evaserit, atqve is dies Parthorum imperii initium fuerit, qvi ab eis solemnis habetur. Ex qvo libertas genti orta, revocato deinde Seleuco novis in Asiam motibus, dato laxamento, regnum Parthicum formam accepit, & rectè vivendi normam, constitutis magistratibus, qvi belli pacisqve munera sub rege gererent. Arsaces qvæsito constitutoqve regno, matura senectute decedit, cujus memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes deinde reges suos Arsaces appellaverint. Hujus filius & ipse Arsaces nomine, adversus Antiochum Seleuci filium centum millibus peditum, & viginti millibus eqvitum instructum, tanta virtute pugnavit, ut ad postremum in societatem ejus reciperetur. Ter-

tius Parthis rex Priapatius fuit, & ipse Arsaces dictus, qvi actis in regno qvindecim annis decessit, Mithridate & Phraate filiis relictis: qvorum major Phraates, more gentis hæres, Madros validam gentem bello domitiam regno adjecit, nec multò pòst decessit, instituto fratre hærede, qvamvis multos reliqvisset liberos. Qvo tempore Eucratides apud Bactros regnavit (de qvo supra meminimus cum de rebus Bactriæ ageremus) Mithridates adversus Medos bellum gerens, victoria demum potitus, ac viribus auctus, Pharsacem Mediæ præposuit, & Elymeorum gentem regno suo adjecit, rege ipsorum in prælio superato, imperiumqve Parthorum à monte Caucaso usqve ad flumen Euphraten protulit: nec minor Arsace proavo gloriosa senectute decessit, relicto Phraate filio hærede, qvi cum bellum inferre Antiocho regi statueret, Scytharum motibus ad sua defendenda revocatus est, profectusqve adversus Scythas Hymerum qvendam ad tutelam regni reliqvit, qvi oblitus vicarii officii tyrannica crudelitate Babylonios, multasqve alias civitates importunè vexavit. Ipse autem Phraates Græcos secum contra Scythas adduxit, qvos prius in bello ad Antiochum gesto, superbè crudeliterqꝫ tractaverat: ii cum inclinatam Parthorum aciem vidissent, arma ad hostes transtulere, insigni proditione contumelias ulti: Phraates obtruncatus est, & in ejus locum Artabanus patruus constitutus, Scythæ victoria contenti, populata Parthia, in patriam redierunt. Artabanus bello Thogariis illato, vulneratus in brachio statim decedit. Mithridates filius succedit, cui res gestæ magni cognomen dedere. Multa enim bella cum finitimis summa virtute gessit, & cum Scythis prosperè dimicavit, ultorqve injuriæ parentum fuit, ad postremum Ortoadisti Armeniorum regi bellum intulit, deinde propter crudelitatem à senatu Parthico pulsus est. Frater ejus Orodes cum regnum vacans occupasset, Babyloniam qvo Mithridates confugerat, diu obsedit: & fame coactos in deditionem oppidanos compulit, & Mithridatem in conspectu suo adductum trucidari jussit: Deinde cum Romanis bellum gessit, Crassumqve cum filio & omni exercitu delevit: hujus filius Pacorus missus ad perseqvendum Romani belli reliqvias, magnis rebus in Syria gestis, revocatur in patriam, patri suspectus. Nam qvem non timeat, qvi fratrem occidit? Exercitus Parthorum illo absente in Syria relictus, à Cassio qvæstore Crassi cum omnibus ducibus trucidatur.

Post

Post hæc civili bello Parthi Pompejanarum partium fuere, cum Crassi alterum filium in partibus Cæsaris esse audirent: victo Pompejo auxilia Bruto & Cassio adversus Augustum & Antonium misere, & post belli finem rursum Pacoro duce, inita cum Labieno societate, Syriam & Asiam vastavere: castraqve Ventidii, qvi post Cassium, absente Pacoro exercitum Parthicum fuderat, magna mole aggrediuntur. Sed ille simulato timore diu continuit se & insultare Parthos aliqvantisper passus, ad postremum in securos lætosqve partem legionum emisit, qvarum impetu fusi Parthi in diversa abiere. Pacorus cum fugientes suos abduxisse Romanas secum legiones putaret, castra Ventidii aggreditur: ille reliqva parte legionum emissa, universam Parthorum manum cum ipso Pacoro interfecit. Orodes audita nece filii diu sine cibo fuit, nec aliud loqvebatur, nisi Pacorum: erant enim triginta filii ex diversis pellicibus, qvarum qvælibet suum filiū loco Pacori substituendum petebat. Dum Orodes deliberat, unus ex filis Phraates eum interfecit, pœnasqve occisi ab eo fratris exegit: sed Phraates multo sceleratior patre, universos fratres suos trucidat, nec filio suo parcit, veritus ne illum optimates seqverentur, qvi sibi erant infesti. Huic Antonius propter auxilium Bruto missum, cum sedecim validissimis legionibus intulit bellum: sed graviter multis præliis vexatus, & amoris impatiens, qvo Cleopatram ardebat, à Parthia refugit. Phraates insolentior ea victoria redditus, à populo in exilium pellitur, nec multo post tempore Scytharum auxilio in regnum restituitur. Nullius est enim tanta neqvitia, qvæ non inveniat adiutores, si qvid afferre utilitatis posse videtur. Substituerant interim Parthi Tyridatem, qvi audito Scytharum adventu, cum magna amicorum manu ad Octavianum in Hispaniam belligerantem confugit, obsidem Cæsari Phraatis filium ferens, qvem negligentius custoditum rapuerat, pariturum se omni tempore Romanis affirmans, si ad recuperandum regnum adiuuaretur. Phraates & ipse legatos ad Cæsarem mittit servum suum Tyridatem, & filium remitti postulat: Cæsar his cognitis, neqve contra Tyridatem se Parthis dixit, neqve adversus Parthos Tyridati auxilia daturum. Phraati tamen filium sine precio remisit, & Tyridati, qvoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumptum præberi jussit. Sed finito Hispaniensi bello, cum in Syriam ad componendum orientis statum venisset, metum Phraati incussit, ne bellum Parthiæ inferret. Itaqve

tota

tota in Parthia captivi, ſive ex Craſſiano, ſive ex Antonii exercitu recollecti, ſignaqve cum his militaria Auguſto remiſſa: ſed & filii nepotesqve Phraatis obſides Auguſto dati: plusqve Cæſar magnitudine nominis ſui fecit, qvam armis alius imperator facere potuiſſet. Miſit tamen Auguſtus, ante qvam moreretur, adverſus Parthos, rebus novis ſtudentes, Germanicum Druſi filium, Caligulæ patrem: qvi anno qvarto Tiberii Cæſaris de illis clarum triumphum egit. Sub Nerone Parthi Armeniam ſuſtulerunt, & Romanas legiones ſub jugum miſere, ægreqve Syria retenta eſt. M. Antonino & Aurelio Commodo imperium tenentibus, Vologeſus rex Parthorum gravi eruptione facta, non Armeniam modo, ſed Cappadociam, Syriamqve vaſtavit. Antoninus tamen per duces ſuos eum repreſſit, ac Seleuciam Aſſyriæ urbem ſuper Hydaſpem fluvium ſitam, & multa hominum millia in deditionem accepit, & cum fratre de victoria Parthica magnificè triumphavit. Trajanus qvi usqve ad Indos imperiũ protulit, Parthos pluribus bellis vicit, eisqve non modo auſtralia regna, ſed Armeniam qvoqve abſtulit. Sub Hadriano Cæſare, qvi Trajanum ſecutus eſt, iterum res Parthicæ auctæ ſunt, & Euphrates utriusqve imperii limes factus. Contenderunt cum Severo Cæſare Parthi: & ab eo ſuperati ſunt. Aurelius Baſſianus cognomento Caracalla, inter Edeſſam & Carras commiſſo cum Parthis prælio, interfectus eſt. Ælius Lampridius non in prælio, ſed cum ex prælio receſſiſſet ad reqviſita naturæ, inſidiis eum à Macrino præfecto occiſum dicit. Deinceps id orientale imperium nunc Parthicum, nunc Perſicum appellatum reperimus: qvamvis imperio Perſico Macedones finem impoſuerunt. Sed ſcriptores non tam gentem, qvæ imperaret, qvam locum cui imperabatur, intuiti ſunt: ideoqve Perſarũ Reges pro Parthicis acceperunt. Aurelius Alexander Xerxem regem Perſarum maximo prælio ſuperavit. Gordianus Parthis bellum intulit, qvi jam moliebantur erumpere, feliciterqve præliis ingentibus eos afflixit: rediens autem non longe à Romanis finibus, interfectus eſt fraude Philippi. Poſt eum imperavit Valerianus, qvi ſeptimo & vigeſimo loco poſt Auguſtum imperio præfuit, à Sapore rege Perſarum captus, luminibus orbatus, ignominioſe in Perſarum ſervitute conſenuit: id officii apud eos ſortitus, ut Sapore eqvum aſcendente, incurvatus regem non manu ſed dorſo levaret. Sub Galieno Parthi Meſopotamia Syriaqve potiti ſunt: ſed Odenatus his recu-

recuperatis, usqve ad Ctesiphontem penetravit. Carus Narbonensis secundus & trigesimus ab Augusto, Persas prælio vicit, Seleuciam & Ctesiphontem notissimas urbes cepit: & cum castra super Tigrim flumen haberent, non armis hostium, sed ictu fulminis interiit. Maximianus adversus Narseum Persarum regem, inter Gallinicum & Carras congressus superatus est, fugitqve ad Diocletianum in Mesopotamiam, à qvo turpiter receptus, & admodum reprehensus, instauratis viribus, iterum cum Narseo Ormisdæ & Saporis avo in Armenia majore pugnavit: victorqve pulso Narseo castra ejus diripuit, uxores, sorores, & liberos cepit, & cum ingenti præda ad Diocletianum rediit. Constantius magni Constantini filius, à Persis multa & gravia damna perpessus est: videbatur tamen superaturus in fine, nisi ad civile bellum contra Julianum redire compulsus esset. Julianus rerum potitus, Parthis intulit bellum, oppida aliqvot & castella eorum in deditionem accepit, & vi expugnavit: Assyriam populatus est, castra apud Ctesiphontem stativa aliqvandiu habuit, rediensqve victor, dum se inconsultius præliis inserit hostili manu interfectus est, sicut Eutropius refert, qvi ejus expeditioni interfuit. Nonnulli divinitus interemptum asserunt, qvod ex Christiano ad gentilitatem redisset, propter qvod mox, ut vulneratum se intellexit, dixisse fertur, vicisti Galilæe (sic enim apostata per irrisionem appellabat Christum). Jovianus duobus præliis victus, pacem cum Sapore Parthorum rege necessariam, sed ignobilem fecit, abbreviatis imperii finibus: & parte superiore Mesopotamiæ tradita, qvod ante eum annis mille centenis & duobus devigìnti, ex qvo Romanum imperium conditum erat, nusqvam acciderat. Justinianus Parthos bella moventes per suos duces pluribus præliis superavit, postea apud Euphratem ejus exercitus victus est: Sed per Belisarium resarcita sunt damna, & fœdus cum Parthis initum. Zeliorbes Hunorum rex intra Scythiam manentium, cum vinginti millibus adversus Justinianum Cosdroem adjuturus advenit: sed suspectus ab eo habitus, multis vulneribus confossus & interfectus est.

## Cap. XXXI.

### *De Cosdroa tyranno & victoria Heraclii, crucem Domini ablatam ac iterum esse restitutam, de Mahumethe pseudo propheta nec non insigni victoria Tamerlanis Parthorum ducis.*

SUb Phoca imperatore Cosdroas Mesopotamiam occupavit, & paulò post Palæstinam cum Hierosolyma, & nonaginta millia Christianorum interfecit, partemqve crucis dominicæ secum asportavit, Heraclio imperium tenente: & deinde in Ægyptum arma vertit, Alexandriamqve occupavit: nec moratus Africam ingressus est, & Carthagine capta, imperio potitus est Libyæ. Heraclius pacem ab eo petiit, etiam cum dedecore imperii, neq; impetravit à superbiente rege. Itaq; duxit in eum, omnia belli fortunæ committens: ille ex Azoto Syriæ fugit in Persidem relictis ducibus, qvi Romanorum impetum morarentur. Heraclius flexo ad sinistram itinere, & superato monte Tauro, in Persidem transivit, vicitqve Sabbarum & Saym duobus præliis: & tertio Razatenem alium ducem superatum interfecit, & vigintiseptem militaria signa intercepit. Cosdroes Medorsem filium regni consortem appellavit, Syrochio prætcrito, qvi natu erat major: propter qvod captus ab eo cum Medorse & uxoribus in carcerem conjectus est, atqve deinde cum filio necatus. Syrochius Heraclio victori captivos reddit, & crucem domini, & insuper munera dedit. Hoc tempore Mahumethes Pseudopropheta exortus est, qvi Arabes ad defectionem compulit: Crux domini Hierosolymam reportata est. Heraclius non multò pòst in hæresin lapsus, per desidiam languens Saracenorum vires tum primum nascentes propagari & crescere sinit, qvi sub falsa lege Mahumethis imperium erexere. Arabes enim cum Parthos in suam perfidiam trahere non possent verbis, armis eos agitavere. Decesserat primo regni sui anno Syroches, eiqve filius successerat Adheser, cui pariter infra annum defuncto Ormisda suffectus est, qvem Arabes prælio superatum interfecere, ejusqve imperium obtinuere. Arabes autem tantis victoriis aucti: nam & Romanorum

norum arma longe propulerant, Antiochia occupata, & in Africam manus injecerant, transmissa Ægypto Saracenorum nomen assumpsere: atqve ita & Parthi, & Persæ, & Ægyptii, & multæ aliæ gentes in Saracenicum nomen transiere: neqve postea nomen Parthicum auditum est qvasi magnum, usqve ad tempora nostra, anno circiter decimo priusqvam nasceremur. Tamerlanes genere Parthus, gregarius miles, adeò inter suos vi mentis & corporis agilitate excelluit, ut brevi multarum gentium dux fieret: qvibus Parthorum imperio potitus, Scythas, Iberos, Albanos, Persas, Medosqve sibi subegit: Mesopotamiam invasit atqve Armeniam, transitoqve Euphrate, cum qvadringentis millibus eqvitum, sexcentis millibus peditum, omnem Asiam qvam minorem appellamus, obtrivit. Regem omnium potentissimum Pazaitem Turcarum dominum, cum pari eqvitum numero, & magnis peditum copiis, fines suos tutantem, apud Armenos prælio superatum, ducentis millibus hominum interfectis, vivum cepit, caveaqve in modum feræ inclusum, per omnem Asiam circumtulit, egregium & admirandum humanarum rerum spectaculum. Castra ejus in urbis modum ordinata fuere, statuto cuiqve arti loco atqve in partes suas distributis exercitiis, ut omnia in promptu essent: ad vitæ usum necessaria summa semper rerum copia inveniebatur, cum nullus esset latrociniis locus, tutoqve omnia comportarentur: nulla unqvam seditio, nullus tumultus inter milites fuit, adversam fortunam nunqvam expertus est. A Tanai flumine usqve ad Ægyptum, universam Asiam percurrens, Smyrnas, Antiochiam, Sebastiam, Tripolim, Damascum, multasqve validissimas urbes vi cepit, diripuit, atqve incendit. Soldanum Ægypti bello superatum, ultra Pelusium repulit: Ægyptum ingredi parantem vastæ solitudines & deserta loca averterunt, virum belli artibus insignem, ad ea maximè obeunda promptum, qvæ ardua & dura cæteris videbantur: Damasco capta, cum arcis antiqvæ expugnatio difficilior videretur, constructo è regione altera, qvæ antiqvam altitudine superaret, vi cepit, qvamvis multa suorum cæde. Capha urbs est Genuensium colonia in Taurica Chersoneso, non procul à Bosphoro Cimmerico: hanc cum Tamerlanes invadere statuisset, Scythas negotiatores præmisit, qvi pretiosissimas animalium pelles minori qvam consveverunt precio venundarent, sciens aurum abscondi posse, pelles suffodi non posse: moxqve

bello indicto, admotis urbi machinis, expugnata vi atqve armis civitate, & auro & pellibus potitus eſt. In obſidionibus urbium, prima die albo tentorio utebatur, ſecunda rubeo, tertia nigro: qvi ſe dabant in albo ſedenti, ſalutem conſeqvebantur. Rubeus color moriendum patribus familiarum indicabat: niger civitatis excidium, & omnia in cinerem convertenda. Fama eſt populoſæ cujusdam civitatis, qvæ prima die deditionem neglexiſſet, pueros puellasqve omnes in candida veſte ramos olivæ præſerentes exiviſſe, ut principis iram placarent: illum omnes ab eqvitatu conculcari atqve conteri juſſiſſe, & urbem captam incendi. Interrogatum aliqvando ab homine Genuenſi, qvi ei familiaris eſſet, cur tanta crudelitate uteretur: Commotum ac veluti furentem, diſtorta facie, ac ſpirantibus ignem oculis, reſpondiſſe. Tu me hominem 'eſſe arbitraris? falleris: ira Dei ego ſum & orbis vaſtitas: caveto ne poſt hac mihi occurras, niſi velis interrogationis tuæ pœnas dare. Abiit Genuenſis, neqve ulterius oculis Tyranni objectus eſt. Ferebant qvi Tamerlanem viderunt, cum Hannibali fuiſſe ſimilem, ſecundum ea qvæ de Pœno ſcribuntur: nihil ejus animo ſeverius, nihil magis qvam latrocinia vindicaſſe, ut ipſe unus eſſet, qvi latrocinari impune poſſet. Qværebat tanqvam virtutis opus, qvibus cum bellum gereret. Deletis regibus ac tyrannis permultis, vaſtatis pluribus provinciis, onuſtum devictarum gentium ſpoliis exercitum in patriam reduxit: & civitatem Marchantem condidit, qvam varii generis captivis replevit, & hoſtium ſpoliis exornavit. Qvod ſi aliqvod excellens ingenium ejus acta reperiſſent, inter clariſſima ducum geſta legerentur: vita functus, duos filios reliqvit regni ſucceſſores, qvi diſcordia laborantes effecerunt, ne Parthorum imperium rurſus poſſet emergere. Thomas Apoſtolus Evangelium Chriſti ad Parthos detulit, per qvem Medi, Perſæ, Hyrcani, & Bactriani noſtræ fidei ſacramenta receperunt. Corpus ejus alii in India, alii in Meſopatamia ſepultum aſſerunt.

## CAP. XXXII.

### *De situ Mediæ ac divisione generatim, de montibus ejus, fluminibus, Atropatia regione, & lacu Spantha.*

MEdia vulgati nominis terra post Parthiam ad occidentem occurrit: qvæ (sicut Ptolemæo placet) à septentrione Hyrcano mari terminatur, ab occasu majori Armeniæ & Assyriæ parte, à meridie Perside, ab oriente Hyrcania & Parthia, qvæ montibus excluditur. Hyrcaniam Charindas disterminat fluvius: inter Persidem ac Mediam Parachoatras excurrit mons: Assyriam Choatras excludit. Armeniam Caspia juga, & Cambysus amnis. Sagrus & Orontes altissimi montes interiora Mediæ percurrunt: Ex Oronte Straton oritur in Hyrcanum defluens pelagus, ex Zagro Amardes in idem mare decurrens. Eulævus qvoqve fluvius ex Australi parte Zagri descendens, Mediæ magnam partem irrigat, & Parchoatram scindens montem, per latissimas terras in Persicum defluit sinum. Cyrrhus amnis Choatra monte dimissus inter Cambysem & Amardem in Caspium labitur mare. Regiones qvatuor memorantur apud Medos: Tropatena qvæ occidentalis est, & ad septentrionem vergit in mare Caspium & Zagrum montem: ad qvam Margasi, Mardi, Marundæ, Cadurchi, & Cadusii pertinere videntur: Elymais, qvæ ad septentrionem vergens orientem respicit: & Tapuros, ac Dribyces populos. Daritis magna in convalle jacet: hinc Parchoatra inde Oronte clausa. Syromedia regio tota montana est, & ad orientem vergit, & conjuncta Parthiæ, & Ragianæ regioni, Parachoatræ montis insidet juga, & ad meridiem respiciens supereminet Persidi ac Paratacenæ regioni, qvam nonnulli Mediæ tradiderunt. Oppida supra qvinqvaginta memorantur, qvorum nomina referre plus tædii qvam utilitatis habet, tantum est, qvod Ptolemæus nobis de Media tradit. Strabo dicit Mediam multam & olim potentem regionem, in medio Tauro sitam esse, qvi circa hæc loca multifidus, & convalles magnas comprehendit. Mediam in duas partes diviserunt, qvarum alteram majorem vocavere, alteram Atropatiam. Majoris Metropolis Ecbatana fuere, ma-

gna civitas, & imperii Mediæ caput, qva & Parthi postea usi sunt. Nam reges ibi æstatem agebant, cum sit frigida: hyemem verò Seleuciæ, qvæ secus Tigrim est, prope Babylonem. Atropatia ab Atropato duce nominata est, qvi obstitit, ne à Macedonibus subigeretur, ut Majoris Mediæ pars. Is postea rex declaratus, regionem hanc à Media seqvestravit: cujus successores regnum continuantes, cum Armeniorum regibus affinitatem contraxere: deinde cum Syris, & postremo cum Parthis. Atropatia Armeniæ & Macianæ ad orientem sita est, Mediæ verò majori ad occidentem, utriqve ad aqvilonem: habitantibus circa Hyrcani maris recessum & Matianam ab Austro jacet. Araxis fluvius Armeniam & Atropatiam disterminat à Zeugmate, qvod est juxta Euphratem, qvousqve in Atropatiam perveniatur octo millia stadiorum esse feruntur. Major Media ab oriente Parthia terminatur, & Cossæorum montibus, & Parætacenis, qvi etiam montani sunt, & latrones ac Persis continui: (Sed hos Ptolemæus Mediæ ad Austrum opponit) à septentrione Cadusiis, & aliis supra Hyrcanum mare habitantibus, qvi à Ptolemæo inter Medos collocantur, & ut Patrocles ait, ad qvinqve millia stadiorum oræ montanæ circa Caspium occupant mare, loca tenuia & aspera incolentes: ab austro Apolloniatide (qvam Sitacinam veteres appellarunt) & monte Zagro, apud qvem Massabatica est, qvæ ad Mediam pertinet: Qvidam ad Elymeam dixerunt pertinere. Ptolemæus, qvamvis Sitacinam regionem & Apolloniatem, qvantum ad Mediam, meridionalem facit, nonnihil tamen occidentis illis attribuit, & Zagrum montem per mediam assurgere Mediam ostendit: ab occidente Atropaciis, & Armeniorum qvibusdam Media concluditur. In Atropacia lacus est nomine Spantha, in qvo sales nascuntur & congelascunt: ejus regionis loca opulenta sunt, præter septentrionalia, qvæ montana aspera sunt & frigida. Apollonides ait, ex ea regione eqvitum decem millia, peditum qvadraginta millia ad bellum cogi posse: Multa eis cum Parthis & Armeniis prælia fuerunt, tenueruntqve dignitatem suam, si qvid amiserunt, forti manu recuperantes. Amicitiam cum Parthis, & cum Romanis qvæsivere. Regia eorum æstivalis Gaza fuit in campo sita, & Vera castellum munitissimum, qvod Antonius in Parthica expeditione obsedit. Id ab Araxe stadiis abest duobus millibus & qvadringentis, ut Adelphius refert, qvi Antonio familia-

familiaris fuit, & illius in Parthos expeditionem conscripsit, in qva non affuit modo, verum etiam præfuit.

## Cap. XXXIII.

### *De Media magna, & solo eqvis pascendis apto, ex hac Vescos eqvos genus habere, de herba, qvæ Medica vocatur, eqvorum nutritura, abundantia.*

MEdia magna ex parte alta & frigida, cujusmodi sunt montes Ecbatanis imminentes, & qvi apud Ragas & Caspias partes consurgunt, & omnes deniqve septentrionales partes, usqve Matianam & Armeniam, hujusmodi sunt. Regio verò qvæ sub Caspiis portis, & in humili, & in concavo solo jacet, opulenta est: & omnia fert, præter oleam, qvæ etsi ibi nascatur, arida tamen & sicca est. Media sicut Armenia eximiè pascendis eqvis apta est. Unde pratum qvoddam est, qvod Hippoboton vocatur, per qvod iter faciunt, qvi ex Perside & Babylone in Caspias portas proficiscuntur: in eo pasci dicuntur eqvarum qvinqvaginta millia, regium id armentum est. Vescos eqvos, qvibus reges utebantur, optimos & magnos, alii hinc genus habere, alii ex Armenia dixerunt: qvibus propria forma qvædam fuit, qvemadmodum Parthicis qvæ Græcis cæterisqve, qvi apud nos sunt. Herba qvæ præcipuè nutrit eqvos, eo qvod ibi abundet, propriè Medica vocatur. Longitudo ac latitudo Mediæ penè par, maxima ejus longitudo ea videtur, qvæ est à Zagri transitu, qvi vocatur Medica porta, per Sigrianam ad Caspias portas, stadiorum qvatuor millium supra centum. Tota Media inter qvartum & qvintum clima continetur: Parallelus qvi per Rhodum est, australia ejus attingit, secundum Ptolemæi descriptionem: parallelus qvi per Hellespontum, septentrionalia circa Hyrcanum mare percurrens. Ditissimam fuisse Medorum terram (sicut Virgilius ait) ex tributo licet intueri, qvod Persis pendebant: duplo enim majus fuit eo, qvod à Cappado-

cibus

cibus exigebatur qvod asserit Strabo, præter argentum, mille & qvingentos eqvos, mulorum duo millia, & ovium qvinqvaginta millia pendisse qvotannis. Græcas urbes in Media Macedones condidere, Laodiceam, Apamiam, & Rhagam, qvæ apud Rhagas est, & prius Aropus nominata fuit. Parthi Arsaciam ædificarunt, qvæ australior est, qvam Caspiæ portæ, qvingentis ferè stadiis (ut Apollodorus Adriamittenus ait) Ecbatanam Mediæ caput Plinius à Seleuco rege conditam dicit, à portis Caspiis per viginti millia passuum distantem: Idem Margianam regionem, qvam Strabo videtur à Media sejungere, inter Medos collocare videtur, apricitatis inclytæ: qvæ sola in eo tractu vitifera sit, undiqve montibus inclusa amœnis: ambitu stadiorum mille qvingentorum: aditu penè inaccesso, ob incommodum arenosæ solitudinis, qvæ per centum viginti millia passuum undiqve versum circumfusa est: cujus amœnitatem Alexander magnus usqve adeo miratus est, ut ibi primam condiderit Alexandriam, qvam mox à Barbaris excisam Antiochus Seleuci filius reformavit, & de nuncupatione suæ domus dixit Seleuciam: cujus urbis circuitus, in stadia septuaginta qvinqve diffunduntur. Margus fluvius eam interfluit. In hanc Orodes Romanos Crassiana clade captos deduxit, nostri imperii magnum dedecus. Julius Solinus Tigrim fluvium in Armenia regione caput attollere dicit, in loco edito, ex lucido conspicuoqve fonte: nec ab exordio statim totum esse, primo pigre fluere, non cum suo nomine: At cum fines Medorum invectus sit, Tigrim statim vocari (ita enim Medos sagittam nominare) Arethusam lacum influere gravia pondera sustinentem, cujus pisces nunqvam se alveo Tigridis immisceant, sicut nec amnici stagnum attingant Arethusæ, per qvod dissimili colore voluci meet cursu: Mox Tauro resistente in profundum mergatur, qvem subterlabens in altero ejus latere emicet, ulvas & purgamenta plurima secum trahens, identidem abscondatur: & Adiabenos Arabasqꝫ præterfluens, Mesopotamiam amplectitur: & amnem nobilissimum Hydaspen accipiens, Euphratem qvoqve defert in sinum Persicum. Sed Ptolemæus nihil ad Mediam pertinere Tigrim demonstrat, qvamvis in Armenia fontes habere fatetur. Apud Cordicam montem multi inter Medos latrocinium exercuere, sicut Cadusii, montani, & Amardi, & Tapyri, & Cyrtii, & hujusmodi plures. Nam Zagrus, & Niphates, montes has gentes sparsas habuere,

qvamvis

qvamvis Cyrtii, & Amardi, in Perside & Armenia essent eodem nomine appellati, & eandem formam servantes. Cadusii peditum multitudine non multum ab Arianis superabantur, jaculatores optimi existentes. Cossæi olim adversus Susios & Babylonios Elymeorum socii sagittariorum tredecim millia exhibuere. Nearchus tradidit qvatuor fuisse gentes, qvæ illis in regionibus latrocinium exercebant. Mardos, qvi Persis erant finitimi: Uxios & Elymeos, qvi Persis ac Susiis imminebant: & Cossæos, qvi Medis, atqve omnes tributum regibus pendisse, Cossæos tamen cum rex æstate Ecbatanis peracta, Babylonem descenderet, dona accepisse: qvorum audaciam Alexander contuderit, hyeme eos adortus. Sed Ptolemæus Mardos & Elymeos boreales facit Hyrcano mari vicinos, & inter Medos connumerat. De portis Caspiis multa memoria est. Nemo tamen satis explicat, ubi terrarum existant. Qvidam Amazonas portis Caspiis egressas, ad Alexandrum venisse in Hyrcaniam prodidere: sed illæ Caucasiæ fuerunt, per qvas transitus est ex Iberia in Scythiam. Neronis qvoqve principis comminatio ad Caspias portas (ut inqvit Plinius) ad eum transitum respiciebat, qvi per Iberiam ducit in Sarmatas. Verum mons Taurus tribus in locis interruptus, qvasi portis qvibusdam pertransitur in Armenia, in Cilicia, & in Media: sed illæ tantummodo Caspiæ portæ appellantur, qvæ apud Medos existunt, qvemadmodum ex Ptolemæo, Plinio, & Strabone licet intelligere: ac per has transitus est ex Babylone ac Perside ad mare Caspium, & hinc fortasse Caspiæ dictæ sunt: & qvod aliqvæ gentes vicinis insident montibus, appellatæ Caspiæ. Juga verò Caspia procul hinc absunt, & ad Armenios ulterioresq; populos pertinent. Portæ autem Caspiæ (ut Julius Solinus tradit, Plinium secutus) panduntur itinere manu facto, millibus octo passuum longo. Nam latitudo vix est plaustro permeabilis. In his angustiis & illud difficile, qvod præcisorum laterum saxa liqventibus inde salis venis exundant: præterea octo & viginti millium passuum tractus omnis, qvoqvo inde pergitur, humo arida, nullis puteis aut fontibus sine præsidio sitit: tum serpentes undiqve gentium convenæ à verno statim die illuc confluunt: ita periculi ac difficultatis concordia, ad Caspias portas accedere non nisi hyeme conceditur.

## Cap. XXXIV.

### *De Medorum in Venerem profusione, de uxorum pluralitate, & Medea qvæ hic regnavit.*

HÆc de situ Mediæ dicenda reperimus: mores gentis diversi. Montanorum ingenia ferociora sunt, qvi campos habitant, mitiorem agunt vitam. Illi regem eligere consveverunt, qvi fortissimus esset, ut qvi præda & latrocinio viverent: isti sapientiam genusqve seqvebantur: magna ex parte Armenis similes, omnesqve in Venerem profusi. Regibus multas habere uxores mos fuit, nec pauciores qvam septem. Mulieres qvoqve pulchrum sibi existimarunt, ut viris nuberent compluribus, paucioribus qvàm qvinqve calamitosum putavere. Eqvitandi & sagittandi magnum his studium, à qvibus & stola reperta est, & cultus, & ornatus: & religiosa à subditis in reges salutatio: & tiara & cithara: & pileus & manicatæ tunicæ, qvibus postea Persæ usi sunt, qvi subactis Medis in eorum mores transivere. Nam qvi propemodum nudi videbantur, levissimis induti vestibus: muliebria gestare, & velamentis contegi passi sunt. Medeam qvæ ibi regnavit, ferunt eam prius vestem commonstrasse, qvæ cum pro rege exiret, faciem suam occultabat. Medi à Medo dicti sunt, Ægei regis Atheniensium & Medeæ filio. Scribit enim Trogus Pompejus Jasonem, cum victa Colchide domum rediisset, rursum à Peliæ filiis Thessalia pulsum, cum ingenti multitudine, comite Medea uxore, qvam repudiatam miseratione exilii rursum receperat, & Medo privigno, Colchos repetisse: socerumqve regno pulsum, restituisse: magna bella cum finitimis gessisse, captasqve civitates, partim regno soceri adjunxisse: partim populis, qvos secum advexerat, assignasse: primumq; humanorum post Herculem, & Liberum patrem, qvos reges orientis fuisse tradunt, eam cœli plagam domuisse qvæ ad septentrionem & orientem vergit. Post ejus mortem Medum privignum, virtutis ejus æmulum, in honorem matris Medeam urbem condidisse, regnumqve ex nomine suo Medorum constituisse, sub cujus majestate orientis imperium fuerit. Paruere tamen Medi Assyriorum regibus, usqve ad Sardanapalum. Sed Arbaces Medis præpositus, ignavum

vum regem aſpernatus, Medis ad defectionem perſvaſis, victo Sardanapalo, imperium ad Medos transtulit: qvod ſub Aſtyage in magno culmine fuit. Cum jam per trecentos & qvinqvaginta duraſſet annos, Cyrus ex filia nepos Aſtyagis Medorum extinxit imperium & ad Perſas detulit, victo Aſtyage: qvem regno Mediæ privatum, maximæ genti Hyrcanorum præpoſuit, non tam victorem, qvam nepotem agens. Poſt Perſas Medi Macedonibus paruere, deinde Parthis, qvamvis pars eorum Romanam amicitiam ſecuta ſit, & aliqvando victricia Romanorum ſigna Mediam pertranſiverint. Tamerlanes his imperavit, hodie ſub magno Cane degere creduntur: cujus imperium qvamvis latiſſimum eſſe traditur, noſtratibus tamen inacceſſum ac pene incognitum eſt.

## Cap. XXXV.

### *De Armenia, qvod Tigris in ea naſcatur.*

Armenia major poſt Mediam ad occidentem occurrit: Ea, qvantum ex Ptolemæo licet intelligere, à ſeptentrione Colchidem habet, Iberiam, & Albaniam: ab occaſu magnum Euphratis curſum, qvi Cappadociam, minorem Armeniam, & Syriam Comagenen relinqvit à dextris, & verſus Euxinum Moſchicos montes: ab oriente partem Hyrcani maris, ac Mediam, qva montes aſſurgunt Caſpii: à meridie Meſopotamiam, atqve Aſſyriam. Montes in Armenia memorantur Moſchici, qvi ſupra partem Ponti ad Cappadociam ſe efferunt: Paryardes, in qvo fontes habent Euphrates & Araxes: Antitaurus, qvi ab Euphrate ſciſſus, & mediam percurrens Armeniam poſtremo Albus appellatur: Gordica, ex qvo Tigris oritur, & in paludem Thoſpitis defertur: Taurus ac Niphates, qvi Meſopotamiam atqve Aſſyriam ab Armeniis diſterminant: Caſpii qvi vergunt ad Medos, & Caucaſii, qvi ſeptentrionalia Iberiam verſus Albaniamqve concludunt. Flumina qvatuor nominantur: Cyrus qvi monte ortus Caucaſo, à ſiniſtris Iberiam, Albaniamqve dimittens, Armeniam à dextris, in Hyrcanum defertur pelagus, Araxes, ex Paryarde (ut diximus) cadens, diu ad ortum excurrit, deinde ad ſeptentrionem flectitur, & longum iter emenſus, in duos dividitur amnes:

alter, borealem tenens viam, in Cyrum cadit: alter, ad orientem versus, mare Caſpium petit. Euphrates eodem monte dimiſſus, ad Moſchicos usqve montes, & Cappadocum limitem, in occidentem excurrit, ibi verſus ad auſtrum, non parvum iter efficit: & Antitaurum offendens, apud Armeniam minorem, eum interſecat: pergensqve recta in meridiem, Melan in ſe fluvium accipit, ex Arga monte cadentem: Deinde Taurum attingit, qvo ſciſſo, Syriam è dextra, Meſopotamiam à ſiniſtra cadens, in Arabiam usqve deſertam prolabitur, multum in meridiem provectus. Deinde in orientem ac ſeptentrionem vergens, Babyloniam Meſopotamiamqve diſtermi-nat, rurſusqve auroram petens, non procul à Seleucia, in meridiem flectitur; peractoqve non parvo curſu, apud Apamiam denuo in orientem currens, miſcetur Tigri: & cum eo in auſtrum flexus, Perſicum ingreditur ſinum. Tigris qvoqve in Armenia naſcitur, ex monte Gordica, de qvo alio loco dictum eſt, ſecundum Julii Solini conſcriptionem. Nos (ſi Deus dabit) alio loco ſecundum Ptolemæum de ipſo dicemus, & paulò inferius ſecundum Strabonem. Regiones Armeniorum nomen habent prope Moſchicos montes, Cotacena inter Cyrum & Araxem: Totena ultra Paryardem montem, verſus Boream: Sacapena apud Euphratem, qva vergit in Cappadociam Baſilicene: & juxta eam, orientem verſus, Hobordena: apud Antitaurum, in Boreali parte, Sophena: & illi contigua Aſtaunitis: ad ortum inter Album, & Niphatem montem Bagrandavena, & Cortea, circa Gordicam montem. Gordena & Thoſpitis, circa paludem ejusdem nominis: & demum Anzitena, inter Taurum & Antitaurum. Non procul ab Euphrate paludes tres inveniuntur, qvæ magnæ exiſtunt. Thoſpitis, qvam Tigris ingreditur. Arſiſſa, qvæ non procul à Caſpiis montibus invenitur: & Lychnites, Araxi fluvio proxima. Oppida qvam plurima referuntur, verum ſine dignitate à Ptolemæo, qvi tantum nomina ponit. Paralleli qvi per Byzantium & Helleſpontum feruntur, mediam qvodammodo Armeniam interſecant: qvæ nusqvam auſtralior eſt parallelo, qvi per Rhodum deducitur, neqve illum attingit à qvarto climate, in ſextum vergens, qvod minime aſcendit. Tantum eſt qvod nobis de Armenia Ptolemæus inſinuat. Prolixior & ſvavior Strabo eſt, qvem referre haudqvaqvam pigebit, ſecundum qvem Armenia nusqvam extra Taurum ad Auſtrum porrigitur: ſicut

nec

nec Media. Australes Armeniæ partes Taurum objiciunt, qvi eam ab omni regione dirimit. Qvæ inter Tigrim est ac Euphratem Mesopotamia dicta.

## Cap. XXXVI.

### *De Armeniæ montibus variis, qvod arca Noe in montibus Armeniæ hæserit, & qvanta nive hi sint obruti.*

ORientales majori Mediæ & Atropaciæ sunt contigui: septentrionales montes sunt Parachoatræ Caspio mari imminentes. Item Albani, & Iberes, & Caucasus, qvi gentes circuit, & Armeniæ, & Moschicis, & Colchicis montibus conjungitur, usqve ad eos, qvi Tibareni appellantur. Ab occasu sunt cùm gentes hæ tùm Paryadra mons & Cidissa, usq; in Armeniam minorem, & fluvialem Euphratis regionem, qvæ Armeniam à Cappadocia dirimit & Comagena. Montana ferè, sed aspera est Armenia paucis exceptis Mediam versus, ac propterea cum diluvium desedit, arcam Noë in montibus Armeniæ terræ primum hæsisse, sacra tradit historia. Taurus mons ab ulteriore Comagenorum & Melitenorum regione incipiens, in Armeniam erigitur. Masius qvoqve ex Mesopotamia & austro Armeniam irrumpit, inter qvem & Antitaurum est Sophena regio, cujus regia est Carcathocerta. Antitaurus autem ab Euphrate, Tauroqve initium sumens, ad orientales Armeniæ partes desinit: cui ad alteram partem Acilisena est, inter Taurum & Euphratis Mesopotamiam sita, priusqvam is ad Austrum deflectat. Masio, orientem versus, juxta Gorgodylenam Niphates mons imminet: de hinc Abus qvem Ptolemæus Album appellare videtur, ex qvo Euphrates & Araxes fluunt: Deinde Nibarus usqve in Mediam extenditur. Multi montes & multi colles sunt in Armenia, in qvibus non facile vitis nascitur: multæ etiam convalles, aliæ modicæ, aliæ opulentæ, qvemadmodum campus Araxinus, per qvem Araxes fluit. Est & Sacasena regio, qvam existimo Sacapenam vocari à Ptolemæo, Albaniæ & Cyro flumini finitima. Deinde Gogarena, fructibus ac domesticis

arboribus affluens, & his qvæ semper virent: fert etiam oleam. Phanena qvoqve Armeniæ pars est, & Orchistena, qvæ eqvis abundat, Chorzena, & Cambisena, qvæ septentrionales & valde nivales sunt, Causis montibus & Iberiæ & Colchidi contiguæ: ubi iter agentes, in summis montium cacuminibus, nive obrui dicuntur, qvæ ibi plurima cadit: ob qvam rem baculos secum ferunt, qvos in summam nivem dilapsi, respirandi gratia exerunt, & ut eo signo auxilium è transeuntibus conseqvantur: qvapropter sæpe effossi servantur. In nive glebas qvasdam concavas congelascere prodiderunt, aqvam optimam tanqvam in tunica continentes.

## Cap. XXXVII.

### *Qvi fluvii sint in Armenia, & de Arsino lacu, aqva qvæ in illo propter celeritatem impermista fervet, de eqvorum apud eos bonitate, & eorundem opulentia.*

Multi amnes sunt in Armenia: sed clarissimi Phasis & Lycus in mare Ponticum exeuntes. In Caspium, Cyrus & Araxes emittunt. In rubrum mare, Euphrates & Tigris. Araxes ex monte Abo descendens, ad orientem illatus, usqve in Atropaciam ad occasum septentrionemq; deflectit: & primo Azara præterlabitur, deinde Artaxata Armeniæ urbes: postea per Araxinum campum, in mare Caspium emittit. Euphrates à boreali Tauri parte, qva Abus vocatur, exoriens, primo per Armeniam fluit, occidentem versus: deinde ad austrum flexus, inter Armenios & Cappadocas, Taurum recidit: egressus verò cum prope Syriam pervenerit, ad hyemales ortus revertitur, usqve ad Babylonem, & ad Tigrim Mesopotamiam efficit, & ambo in Persicum sinum finiunt. Arsinus lacus est in Armenia, qvem etiam Thonitim vocant, nitrosus, unde vestes dilacerat ac rumpit, & propterea ejus aqva non bibitur: per hunc lacum Tigris fertur, & à montana regione juxta Niphatem ruens, propter celeritatem undam impermistam servat, unde & nomen habet:

bet: nam Medi (ut antè diximus) sagittam Tigrin vocant. Lacus hic varios pisces fert: in interiore lacus recessu flumen in voraginem qvandam incidens, longo spatio subter terram delatum juxta Chalonitidem exoritur: inde jam ad Opim & Semiramidis murum defertur, à dextris Gordicos & totam Mesopotamiam relinqvens, è contrario Euphrates à sinistra eandem regionem habet: cum verò inter se jam propinqvarint, ac Mesopotamiam fecerint, alter per urbem Seleuciam fertur, Persicum sinum versus: alter per ipsam Babylonem. Mantianus lacus, qvi cæruleus interpretatur, in Armenia magnum nomen habet, & post Mæotim maximus creditur: qvi usqve in Atropaciam progreditur, & salis habet fontes. Armeniæ claræ urbes habitæ sunt Artaxata, qvam Hannibal Artaxiæ regi condidit: & Araxata, ambæ prope Araxem: Araxata juxta fines Atropatiæ: Artaxata apud Araxinum campum bene habitata, & regionis ejus caput, jacens in flexu qvodam, qvi peninsulam facit, pro muro flumen opponens præter Isthmum, qvem vallo & fossa divisum habuit, nec procul ab urbe castella qvædam munitissima fuerunt Babyrsa & Olana, ubi Tigranis & Artabazi thesauri custodiebantur. Regionis latitudinem Theophanes schœnorum centùm esse tradidit, longitudinem duplam, qvadragenum stadiorum Schœnum faciens, in qvo veritatem transgredi videtur. Est tamen veritati proximum ponere longitudinem ab illo dictam, latitudinem dimidium vel paulò plus. Effodiebantur & auri metalla apud Armenios in Hispiratidæ regione apud Cambala, ad qvæ Alexander Memnonem cum militibus misit. Fuerunt & alia metalla, ejus scilicet qvæ Opandix dicitur, qvem Armenium colorem vocant, Calthæ virgultis persimilem, ut sœniculum est. Nec minus Armenia pascendis eqvis apta est, qvam Media. Unde Nisei eqvi, qvibus Persarum reges utebantur, hinc fuisse creduntur: & Armeniæ præfectus qvotannis regi Persarum viginti millia pullorum in Phœbeis sacris mittebat. Artabazus Antonio, præter alios eqvos, Cataphractorum instructorum sex millia ostendit, qvando in Mediam cum illo simul irrupit: qvorum eqvorum non Medi solum & Armenii studiosi fuere, sed etiam Albani: nam & illi cataphractis utebantur.

CAP.

## Cap. XXXIIX.

### *De opulentia Armeniorum, auctione, Thanaide dea, de vestitu atqve Sarapetis populis.*

OPulentos fuisse Armenos hinc documentum sumitur, qvod cum Pompejus Tigrani patri Artabazi sex millia talentorum argenti scripsisset, mox Romanorum copiis viritim distribuit, militi qvinqvagenas drachmas, centurioni millenas, singulis præfectis provinciæ & Chiliarchis talentum. Tradunt Armeniam, cum prius parva esset, ab Artaxia & Thariada auctam, qvi magni Antiochi imperatores fuere: qvo superato, ipsi regnũ tenuere, alter Sophenæ, & Acisenæ & Odomantidæ, & qvibusdam aliis locis: alter regioni, qvæ circa Artaxata est imperantes, multum convaluere: & vicinis loca plurima abstulerunt: Mediis, Caspianam, & Phaunitem, & Basoropedam: Iberibus, circum montanam Paryadri regionem, & Chorzenam, & Gogarenam trans Cyrum: Chalybum gentibus & Mosinœcis, Parenetam, & Xerxenam, qvæ Armeniæ minori conterminæ, vel ejus partes sunt. Cataonibus Acilisenam, & regionem qvæ circa Antitaurum est: Syris verò Tamonitam: adeò ut cuncti lingua utantur eadem. Armeniorum mores non multum à Medis alieni fuerunt, & circa religionem qvidam Armenii Mediqve Persarum ritum seqvebantur. Coluerunt tamen Armenii Thanaidem qvandam deam præcipuo & singulari cultu, eiqve plurima templa ædificarunt, tum in Acilesina, tum in aliis locis: dedicabantqve illi non solum servos ac servas, verum etiam nobilissimorum hominum filias, qvibus lex fuit, ut diu apud deam prostitutæ nuptui darentur, nec erat qvi talibus renueret conjugari. Armeniacam vestem, id est, longas tunicas ex Thessalia sumptam putant. Eqvitandi qvoqve studium tam Armeniis qvam Medis Thessalicum esse. Armenius ex Armenia Thessaliæ urbe, qvæ inter feras jacet, & Larissam juxta Pheras unus ex numero ducum Jasonis recollecta multitudine, qvæ amisso Jasone rege, passim vagabatur, Armeniam occupavit, eiqve nomen & mores dedit: ob qvam rem maximè circa vestitum Armenii Thessalos secuti sunt, qvi longas vestes gestaverunt, cum inter omnes Græcos valde Boreales essent, & frigi-

frigida incolerent loca. Dicuntur etiam Thraces qvidam, Saraparæ appellati, id est, decapitatores, ultra Armeniam habitasse, prope Guranios ac Medes, montani homines, Barbari indociles & immanes.

## Cap. XXXIX.

### *De regibus & tyrannis qvi Armeniam vicissim invaserunt, gravissima inter se prælia commiserunt.*

POst vetustiores illos Armenii successores, Persæ Armeniam invaserunt: postea Macedones, qvi Syriam Mediamqve habuere: postremus Orontes ex Hidarni genere unius ex septem Persis: Postea ab imperatoribus magni Antiochi, qvi cum Romanis bellum gessit Artaxia & Zadriadra (qvorum paulo antè meminimus) in duas partes divisa est: hi enim permittente rege imperaverunt: qvo spreto, Romanos adorti ac reges appellati, magnum sibiipsis nomen fecere. E genere Artaxiæ fuit Tigranes, is qvi eam habuit, qvæ propriè Armenia est appellata. Ea Medis, Albanis, & Iberibus contigua erat, usqve in Colchidem & Cappadociam, qvæ juxta Euxinum est. E Zadriadra fuit Artanes Sophenus, qvi Australes partes habuit, eas maximè, qvæ vergunt ad occidentem: hic à Tigrane deletus est, qvi qvanqvam rerum omnium potitus, varia tamen fortuna usus est. Nam in initio apud Parthos obses fuit, deinde septuaginta Armeniæ vallibus in precium datis, reversus est. Viribus auctus verò ea loca recepit, & Parthorum regione vastata, Perinium, & loca circum Arbela, Atropatinum qvoqve & Gordicum regulos, & cum his reliqvam Mesopotamiam subegit. Præterea Syriam, Phœniciam vi cœpit. Euphratem transgressus elatusqve animo penes Iberiam urbem ædificavit, qvam Tigranocerta appellavit, inter Iberiam & Euphratis pontem prope Zeugma Mediæ, hominibus duodecim Græcarum urbium à se eversarum in ea congregatis. Sed Lucullus qvi adversus Mithridatem bellum gessit, continuo subsecutus, habitatoribus in sedes suas dimissis, opus qvod adhuc erat imperfectum facto impetu demolitus est, atqve in parvum vicum redegit. Tigrane ex Syria ac Phœnicia

pulſo, victus in Ponto à Lucullo Mithridates, deſperatione rerum ſuarum coactus, ad Tigranem Armeniæ regem confugerat: Lucullus in Armeniam profectus Mithridatem & Tigranem, & ingentes utriusqve regis copias pluribus præliis fudit. Sed ne ſummam victoriæ manum imponeret, ſeditio militum impedimento fuit. Cn. Pompejus ei ſuſſectus, Pharnacem Parthorum regem adverſus Tigranem armavit, Tigranemqve filium adverſus patrem bellum gerere ſvaſit: ipſe Mithridatem nocturno prælio aggreſſus, victum ac profligatum in Boſphorum profugere compulit, moxqve Tigranem in deditionem accepit: adempta Syria, Phœnice, ac Cilicia, in Armenia regnare permiſit. Artabazus autem Tigranis filius, qvamdiu manſit in amicitia populi Romani, tamdiu fortunatus fuit: Poſtea verò qvam Antonium in Parthico bello hoſtibus prodidit, perfidiæ pœnas dedit. Expeditionem enim Antonii in Mediam, non loci natura gravem reddidit, ſed viarum dux Artabazus rex Armeniorum, qvem ille ſibi inſidiantē conſilii participem fecit, ac bellicæ ſententiæ compotem. Ingreſſus Mediam Antonius cum legionibus peditum decem & octo, & ſexdecim millibus eqvitum, bellum intulit Parthis: & cum duabus legionibus amiſſis nulla re proſperè cedente retro rediret, inſeqventibus Parthis, ab Artabazo per devia & aſpera loca deductus, multa incommoda perpeſſus eſt: qvamvis & deſiderium Cleopatræ majoris incommodi cauſa fuerit. Nolens enim in Armenia hyemare, octo millia hominum tempeſtatibus amiſit. At cognita qvamvis ſero Artabazi fraude, eum cepit, vinctumqve duxit Alexandriam, & contumelioſè per urbem circumlatum, poſtremo in carcere necari juſſit, regnumq; Armeniæ filio ſuo ex Cleopatro Alexandro conceſſit: Mithridates tamen alius ex genere Tigranis Armeniam obtinuit, qvem Cæſar Auguſtus captum victumq; Romam deduxit: ejus frater Pharaſmanes Iberorum rex, regnante Claudio, nunciavit Parthos qvi Armeniam occupaverant, inter ſe diſcordes eſſe, magniſqve bellis implicitos, facile poſſe Armenia detrudi, ſi Mithridates eò mitteretur. Annuit Claudius, Mithridates in orientem profectus, Armeniam occupat vi militis Romani, fuſo qvi prælium committere auſus erat, Demonacte præfecto. Paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys, ſed illo literis Cæſaris coërcito, cuncta in Mithridatem fluxere, atrociorem qvam novo regno conduceret. Bardanes qvi Gotarze expulſo Parthorum

thorum imperio potitus erat, Armeniam recuperare aggressus, à Julio Marso Syriæ legato bellum minitante cohibitus est. Nec diu post, inter Armenios & Iberos bellum exortum est, qvod etiam Parthos ac Romanos involvit. Pharasmanes (ut diximus) Iberis imperabat: frater ejus Mithridates Armeniis, præsidio Romanorum. Rhadamistus Pharasmanis filius simulata adversus patrem discordia, tanqvam novercæ odiis impar, pergit ad patruum primoresqve Armeniorum, ad res novas illicit: deinde spe reconciliationis ad patrem revertitur, paratasqve insidias aperit. Pharasmanes bellum Mithridati indicit, causas confingens, qvod sibi adversus regem Albanorum & Romanos noluerit opem ferre, copiasqve filio tradit, qvi subita irruptione Mithridatem campis exutum in castellum Gorgoneas compellit, militibus & loco tutum. Cælius Pollio militibus præerat, & cum eo Centurio Casperius viri Romani: oppugnatur frustra castellum, sed avaritia præfecti spem facit. Centurio resistit, tempusqve paciscitur, ut ad præsidem Syriæ Qvadratum res referatur. Pollio impatiens, milites corrupit, ut pacem flagitent: compulsus Mithridates diem locumqve fœderi accipit: Ibi mox catenæ & compedes ei injiciuntur. Pharasmanes cui regni cupido fratre potior ac filia fuit, non ferro aut veneno, sed multa graviqve veste opertos & humi projectos, Mithridatem ac uxorem necari jussit: filii qvoqve trucidati sunt: qvia parentum cædibus illachrymaverant, atqve ita perfidus rex neqve fratri, neqve filiæ, neqve nepotibus pepercit. Qvadratus qvi Syriæ præerat mittit ad Pharasmanem, jubetqve à finibus Armeniis filium abstrahere. Julius Pelignus ignavi animi ac ridiculo corporis juxta despiciendus, Cappadociæ procurator erat, Claudio perqvam familiaris: is contractis auxiliis provincialium, tanqvam recuperaturus Armeniam, dum socios magis qvam hostes prædatur, abscessu suorum & incursantibus Barbaris præsidii egens ad Rhadamistum venit, donisqꝫ ejus evictus, ultro regium insigne sumere cohortatur, sumentiqꝫ adest auctor & satelles. Elvidius Priscus legatus cum legione montem Taurum transgressus, redire in Syriam jubetur. Vologesus Parthorum rex, materna origine ex pellice Græca natus, fratrem suum Tyridatem in Armeniam deducit: pulsisqve sine acie Iberis Artaxata & Tigranocerta Armeniorum urbes occupat, fratriqve tradit, sed hyeme superveniente parum provisis commeatibus, & tabe exorta ex Armenia
 recedit.

recedit. Rhadamiſtus revertitur truculentior qvàm antea: qvi dum vaſtare agros pergit, & multa crudelitate utitur, ſubjectorum conſpiratione in periculum adductus, pernicitate eqvorum cum conjuge ſimul militante ſalvatur: qvæ gravida, primum utcunqve fugam & metum hoſtilem mariti charitate toleravit: poſt feſtinatione continua ubi qvatitur uterus, & viſcera vibrantur, orat ut morte honeſta contumeliis captivitatis eximatur. Rhadamiſtus amplecti, allevare, adhortari: modo virtutem admirans, modo terrore æger, ne qvis relicta potiretur. Poſtremo violentia amoris & facinorum non rudis diſtringit acinacem, vulneratamqve ad ripam Araxis trahit, fluminiqꝫ tradit, ne corpus etiam auferretur: ipſe præceps per Iberos ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuvie ſpirantem, ac vitæ manifeſtam advertere paſtores, & dignitate formæ haud degenerem reputantes, obligant vulnus: agreſtia medicamina adhibentur, cognitoqve nomine & caſu, in urbem Artaxatam ferunt: inde publica cura deducta ad Tyridatem, comiterqve excepta, cultu regio habita eſt. Nero qvi Claudio ſucceſſit, cognitis qvæ in Armenia geſta erant, legiones orientis juventute ſupplet, & prope Armeniam collocari jubet. Mittitur Corbulo, qvi partem exercitus ab Vinidio Qvadrato ſuſcipiens, rebus afflictis conſulat. Exoritur in tempore æmulus Vologeſo filius Bardanes, abſcedunt Armenia Parthi, tanqvam differrent bellum: traduntur obſides nobiliſſimi ex familia Arſacidarum, & prior ſolitaqve reverentia in Romanum populum à Vologeſo innovatur. Gloriam facti Qvadratus in ſe trahit, cujus centurio obſides acceperit: Corbulo ſibi vendicat, qvia non prius converſus rex obſides dederit, qvam ipſe dux bello delectus, ſpes ejus ad metam mutaverit. Sed non diu poſtea bellum reſumitur, cum Vologeſus Tyridatem fratrem in Armeniæ regno ſolidare vellet & Corbulo dignum duceret, parta à Lucullo & Pompejo recipere. Armenii dubia fide utraqve arma invitabant, ſitu terrarum, ſimilitudine morum, Parthis propiores, connubiisqve permiſti, ac libertate ignota, illuc magis ad ſervitium inclinantes. Tyridates ope Vologeſi fratris adjutus, Armeniam infenſat, ubi Romanis fidos eſſe arbitratur: Corbulo præſidium impartitur oppreſſis, & regem Antiochum proximas ſibi præfecturas petere monet. Pharasmanes interfecto filio Rhadamiſto, qvaſi proditore ſuo, qvo fidem in Romanos teſtaretur,

ſtaretur, vetus adverſos Armenios odium promptius exercebat. Tyridates ſpe deluſus, per oratores qveritur, cur datis obſidibus Armenia pellatur. Corbulo ſvadet ut ad Neronem mittat, regnumqve petat, tractatur de colloqvio, neqve convenitur. Interea Corbulo oppidum Volandum vi capit, & trucidatis puberibus, militi diripiendum concedit. Artaxatam caput gentis Armeniæ, cujus mœnia (ut ante diximus) Araxis abluit, ultro ſe dedentibus oppidanis, cum ſine valido præſidio retineri non poſſet, igne delevit, ac ſolo æqvavit: Barbaros ad ſpeluncas confugientes, fumo & igne conſumpſit. Mardos ſuo more latrociniis Armeniam infeſtantes, immiſſis Iberis vaſtavit, hoſtilemqve audaciam externo ſangvine ultus eſt. Tigranocerta petens auream coronam à civibus oblatam accepit, dataqꝫ populo pace, præſidium qvod ferox juventus clauſerat, non parvo certamine expugnavit. Hyrcanorum legatos qvi ad principem Romanum ſocietatem contra Parthos oratum ierant, regredientes, ne transgreſſi Euphratis oſtium, cuſtodiis circumvenirentur, dato præſidio ad littora maris rubri deduxit. Unde vitatis Parthorum finibus, ad primas ſedes remeavere. Tyridatem per Medos extrema Armeniæ intrantem, abire procul, & ſpem belli amittere coëgit. Interea Tigranes ex nobilitate Cappadocum regis Archelai nepos, qvi diu Romæ obſes & usqve ad ſervilem patientiam demiſſus fuerat, ad capeſſendum Armeniæ regnum à Nerone delectus, cum præſidio Romanorum militum Euphrate transmiſſo Armenia potitur, rebusqve ſecundè cedentibus, Adiabenos conterminam nationem vaſtat. Monabazus qvem penes Adiabenorum regimen erat, auxilium à Parthis petit. Tyridates qvoqve Armenia pulſus ne deſeratur, Vologeſus & Adiabeno & fratri auxilia decernit, Moneſemqve adverſus Tigranem ducem declarat, qvi etſi famam ſui præiret, non tamen incautum Tigranem offendit: cui Corbulo, qvi jam Syriam acceperat, morte Vinidii legati vacuam, duas legiones auxilio miſerat: reliqvas pro ripa Euphratis locaverat. Tigranes igitur in Tigranocertam ſeſe recepit, copia defenſorum & magnitudine mœniorum valida, qvorum partem Nicepharius amnis haud ſpernenda latitudine ambit, ibiqve obſeſſus eſt. Corbulo Caſperium centurionem ad Vogoleſum mittit, qvi obſidionem ſolvi jubeat: reperitur rex apud Niſibim oppidum, ſeptem & triginta millibus paſſuum à Triganocerta diſtans: qvi acceptis Corbulo-

 nis

nis mandatis, missurum se ad imperatorem Romanum legatos dicit, super Armenia petenda, & firmanda pace: & nihilominus Monesem Tigranocertam dimittere jubet. Scripserat paulò ante Corbulo, ut proprius dux ad res Armeniæ mitteretur. Nero Cesenium Pætum cum qvatuor legionibus, & Galatarum Cappadocumqve auxiliis eò transmisit, legatis Parthorum absqve spe ulla remissis. Revocaverat præsidia ex Tigranocerta Corbulo, & Parthi urbem invaserant: Pætus transmisso Tauro in Armeniam gloriabundus exercitum duxit. Captis qvibusdam castellis gloriæ ac prædæ non parum nactus erat: si aut gloriam cum modo, aut prædam cum cura, habuisset. Sed corrupto qvi captus erat commeatu, & distante jam hyeme, reduxit exercitum. Magnifica de se ipso Cæsari scribens, qvasi jam bellum confecisset. Parthi interea in Syriam irrumpere conati, à Corbulone, cum Euphratis transitu prohiberentur, in Armeniam verterunt, nesciumqve Pætum atqve improvisum magno & infenso agmine invadunt. Pætus qvasi prælio certaturus obviam procedit, deinde amisso centurione & paucis militibus, qvos visendis hostium copiis præmiserat, trepidus remeavit. Tria millia peditum proximo Tauri jugo imponens, qvo transitum regis arceret. Alares qvoqve Pannonios robur eqvitatus in parte campi locavit, conjugem & filium in castello (cui Arsamosata nomen erat) data in præsidium cohorte, abdidit. Sed Vologesus nihil mutato consilio, vi ac minis alares exterruit, legionarios obtrivit, ipsumqꝫ Pætum obsedit. Qvi cognito periculo missis ad Corbulonem precibus, auxilium petiit, sed minime expectavit Nam dum Corbulo per Comagenam & Cappadociam in Armeniam ducit, ad colloqvium cum Vologeso veniens, præsente Monabazo Adiabeno, ita convenit, ut liberatis obsidione legionibus, omnis miles finibus Armeniorum decederet, castellaqve & commeatus Parthis traderentur, fieretqve copia Vologeso mittendi ad Neronem legatos. Pætus una die qvadraginta millium spatium emensus, desertis sauciis ad ripam Euphratis, Corbulonem obvium habuit: Pauca inter se locuti sunt, Corbulo irritum laborem qvestus est, potuisse Parthos deleri, si expectatus fuisset. Pætus integra utriqve cuncta respondit, committerent aqvilas, & victi invaderent Armeniam abscessu Vologesi infirmatam. Corbulo non ea imperatoris mandata dicere, incertumqꝫ esse an Syriam Parthi repeterent, eo qvod reversus esset Pætus,

qvi

qvi per Cappadociam hybernavit. Vologesus Corbuloni mandat castella trans Euphratem facta detrahat, amnemq́; , ut olim medium reddat: ille Armeniam diversis præsidiis vacuam fieri expostulat: uterqve paret. Inter hæc legati Vologesi Romam veniunt, Armeniam petentes, cujus possessionem dii potentiæ populorum arbitri Parthis tradidissent, offerentes Tyridatem, accipiendo diademati in urbem venturum. Nero, ut intellexit vacuam Romano milite Armeniam, & Parthos petere qvod habebant, bellum maluit, revocatoqve cum ignominia Pæto, Corbuloni eam potestatem dedit, qvam olim Cn. Pompejo bellum piraticum gesturo traditam ferunt. Corbulo congregato magno exercitu, Euphratem transmittere parat. Tyridates, & Vologesus legatos ad eum de pace mittunt; nec Corbulo superbe respondet, tempusqve tractando trahit. Interim Megistanas Armenios, qvi primi à Romanis defecerant, suis sedibus pellit: castella excidit, plana edita validos atqve invalidos pari metu complet. Vologesus inducias petit, Tyridates locum diemqve colloqvio poscit, tempus propinqvum, locus, in qvo nuper obsessæ cum Pæto legiones erant, ubi ad colloqvium ventum est, viso Corbulone rex prior eqvo desilit, nec cunctatus Corbulo, sed pedes uterqve dexteras miscuere. Romanus laudat juvenem, qvia omissis præcipitibus consiliis salutaria capesseret: ille de nobilitate generis multa præfatus, deniqve iturum se Romam dicit, laturumq; novum Cæsari decus, non adversis Parthorum rebus supplicem Arsacidem. Tum placuit Tyridatem ponere apud effigiem Cæsaris insigne regium, nec resumere nisi manu Neronis. Paucis inde diebus interjectis, magna utrinq; specie, inde eqves compositus per turmas, & insignibus patriis: hinc nomina legionum stetere, fulgentibus aqvilis, signisqve, & simulacris Deum, in modum templi. In medio tribunal sedem curulem, & sedes effigiem Neronis sustinebat. Ad qvam progressus Tyridates, cæsis ex more victimis, sublatum capiti diadema imagini subjecit, magnis apud cunctos animorum motibus, qvos agebat insita adhuc oculis Romanorum cædes aut obsidio. At nunc versus casus iterum Tyridatem ostentui gentibus qvasi captivum dedit, atqve in hunc modum, qvamvis Armeniam Parthi possiderent, Romanis tamen auspiciis imperabant.

Cap.

## Cap. XL.

### *Qvomodo Armeni Christiani sint effecti, & Tyridates gentis illius rex, sit ad baptismum conversus.*

IN temporibus autem religiosi principis Constantini, Armeni Christiani effecti sunt. Ajunt enim Tyridatem tunc gentis illius regem, ex qvodam mirabili signo circa domum suam divinitus ostenso, Christi baptismum suscepisse, qvi simul omnes suæ ditioni subjectos, una præceptione jussit, ut similiter Deo colla summitterent. Ex qvo factum est, ut ad finitimas qvoqve gentes Christianum dogma transiverit, & multitudine dilatatum sit: qvorum commercio etiam Persæ rudimenta fidei susceperunt, sicut postea suo loco dicetur.

Chersonesus deinceps scribenda est magna & illustris, Armeniæ majori continua, & ad Hellespontum usqve porrecta, qvam pleriqve Asiam vocavere, non illam cui in orbis terræ divortio tertiam dedimus partem, sed minorem ac propriam, & in ea comprehensam, qvamvis augustioribus inclusa limitibus, tertio loco proxima ponitur.

## Cap. XLI.

### *Qvanta sit longitudo qvantave latitudo Asiæ minoris.*

MArcus Agrippa (ut est apud Plinium) minorem Asiam in duas partes divisit, unam inclusit ab oriente Phrygia ac Lycaonia, ab occidente Ægeo mari, Ægyptio à meridie, à septentrione Paphlagonia: cujus longitudinem qvadringentis & septuaginta millibus passuum patere voluit, latitudinem trecentis & viginti: alteram terminavit ab oriente Armenia minore, ab occidente Phrygia, Lycaonia, ac Pamphilia, à septentrione provincia Pontica: à meridie, Pamphylio mari, longam qvingentis septuaginta

qvinqve

qvinqve millibus passuum, latam trecentis vigintiqvinqve millibus. Qvo judice nusqvam Asia Euxinum attingit: modo Paphlagonibus, modo Ponticis gentibus septentrionem obsidentibus. Nonnulli Asiam inter Euxinum & Taurum conclusere, ab Hellesponto Ægeoqve mari, ad Halyn usqve fluvium & Cappadociæ limites extensam, universas in medio gentes complexam, qvibus Crœsus imperavit: qvem Herodotus gentium dominum appellat, qvæ cis Halyn existunt. Alii longe minorem propriam Asiam tradidere præcipuè Ptolemæus. Chersonesum vero Triqvetram pleriqve dixerunt, tanqvam minima æstimatio ejus lateris facienda sit, per qvod ducitur Isthmus: qvi tamen nusqvam tria millia stadiorum complectitur, qvamvis Plinius ducenta millia passuum ei attribuerit, Artemidorum forsan secutus, qvi mille & qvingenta stadia ponit. Verum Isthmi lineam alii à Sinopensi ora, alii ab Amisensi in Cilicum pelagus & Issicum sinum producunt: qvæ descriptio magnam Cappadociæ partem extra Chersonesum collocat. Nobis melior Ptolemæi sententia visa est, qvi Chersonesi hujus Isthmum paulo ultra Trapezuntem incipiens, per Moschicos montes, ad Euphratem producit, ac fluvium ipsum per Antitaurum & occurrentes minoris ac majoris Armeniæ campos, ad Amanum usqve recta fluentem seqvitur, donec Syriam attingat, exin lineam in occidentem per ejusdem Amani monsis juga, usqve ad Issicum sinum reflectit. Nec nobis qvisqvam obliqvatam lineam objecerit. Nam & qvi ab Amiso in Issicum sinum Isthmum accipiunt, lineam non rectam seqvuntur, minus qvi à Sinopico sinu, cui non Issicum ac Pamphylium pelagus è regione opponitur, & Tracheæ Ciliciæ litus. Reliqva Chersonesi latera mari undiqve alluuntur. Aqvilonare Pontico ab ostio Bosphori usqve in Colchidem: Australe primo Doriensi, post Lyciaco, mox Pamphylico, deinde Cilicio, & postremo Issico: Occidentale qvoqve multinomium everberat mare. Intra Byzantium & Chalcedonem Bosphorus Thracius appellatur: ubi latius se pelagus effundit, Propontis est: rursus in angustiis, Hellespontus, exin magis ac magis patens, Ægeum pelagus, cui succedit Icarium, & deniqve non procul à Creta Myrtoum. Multum in qvolibet latere sinus, & multæ peninsulæ, sed nobiliores in occiduo. Longitudo lateris aqvilonaris octo millium stadiorum est, reliqvum aliqvanto minor. Tota Chersonesus septentrionalior est parallelo, qvi per Rhodum

M ducitur,

ducitur, auſtralior eſt qvi per Byzantium. Si Paphlagonum & aliorum qvorundam pleraqve loca exceperis, terra magna ex parte ad qvintum pertinet clima, propter qvod temperata eſt & frugifera, pecori ſalubris & homini.

## Cap. XLII.

### *In qvot ſit diviſa Cherſoneſus.*

PTolemæus totam Cherſoneſum in partes octo diviſit. In prima Pontum & Bithyniam locavit, duarumqve provinciarum apud autores latè memoratarum limites confudit. Secundo loco Aſiam circumſcripſit, & propriam nominavit, Phrygiam ei Myſiamqve & alias plerasqve provincias admiſcens. Tertio Lyciam: qvarto Galatiam, cui & Paphlagoniam, & Lycaoniam, & Piſidiæ partem adjecit: qvinto Pamphyliam: ſexto Cappadociam: ſeptimo minorem Armeniam: cujus partes ita deſignavit, ut intra Cappadociam haud dubiè contineri videatur. Ultimam omnium Ciliciam fecit, ſuos cuiqve parti terminos aſſignans, qvos prout commodum fuerit, referemus. Strabo plurimas partes fecit, & multas gentes, multasqve nationes commemoravit, de qvibus ſuis locis qvantum neceſſe fuerit explicabimus. Nobis aptiſſima totius Cherſoneſi triplex partitio videtur: Prior & nobilior pars eſt Aſia, qvæ ab Helleſponto usqve ad Halyn & Cappadociam porrigitur, & à monte Tauro in ſeptentrionem verſa Ponto procumbit Euxino. Altera eſt Cappadocia, qvæ incipiens ubi Aſia deſinit, orientem verſus ad Euphratem usqve procurrit, & ab Euxino Antitaurum ſuperans, usqve ad Taurum & Amanum montem in meridiem extenditur. Tertia eſt omnis plaga, qvæ à ſummis Tauri jugis, usqve ad mare in Auſtrum vergit: hæc rurſus trifariam dividitur. Nam Lycia in hac parte continetur, & Cilicia, & Pamphylia: ſimiliter & Aſiam partimur & Cappadociam. Aſiam enim propriam ſeorſum ponimus, & Bithyniam, & Galatiam, & minori Cappadociæ minorem Armeniam, & oram Ponticam ſubtrahimus. Facillima hæc partitio, qvæ vel gentes reſpicit, vel fluminum ac montium naturales terminos. Verum reges ac populi qvi rerum potiti ſunt, pro ſua qviqve libidine atqve imperii magnitudine provin-

provinciarum limites aut extenderunt, aut coarctarunt: qvæ res locorum cognitioni maximè adversa, scriptores non modo obscuros, verùm etiam inter se contrarios reddidit. Conandum tamen est, ut qvæ à majoribus tradita sunt, cognoscentes qvantum fieri potest, nova etiam non ignoremus. Magnam igitur Chersonesum ( ut promissum est ) conscripturi, à Cappadocia sumemus initium, qvæ orientalior est, Armeniæ proxima. Exin reliqvas partes proseqvemur: nec insulas memoratu dignas omittemus, qvæ Asiæ propinqvæ sunt.

## Cap. XLIII.

## *In qvot sit divisa Cappadocia.*

CAppadocia mutationes plurimas accepit. Persæ in duas satrapias divisere. Macedones ex satrapiis regna constituerunt, & partem Cappadociæ qvæ Taurum versus est, propriè Cappadociam nominarunt, alteram Pontum, Euxino expositam. Cappadociæ fines ( qvemadmodum Ptolomæo placet ) occidentem versus Galatæ occupant, & Pamphyliorum aliqvi: ad meridiem Cilices, per Taurum montem, & Syriorum qvidam, per Amanum usqve ad Euphratem: ad orientem Moschici montes assurgunt, & Armeni occurrunt Euphratis accolæ: septentrionem Euxinus claudit ab Amiso usqve ad Apsorri fluminis ostia. Paria propemodum Strabo de limitibus Cappadociæ refert. Macedones, & qvi post eos in Cappadocia regnavere, decem præfecturas constituerunt. Cæsar & senatus, qvi Archelao vita functo regnum in provinciam redegerunt, unam addidere: eas nominare nihil svavitatis habet, qvarum aliqvæ ad minorem Armeniam pertinent, aliqvæ ad ipsam propriam Cappadociam: cui etiam Isuriæ pars conjuncta est. Sed diximis Cappadociam tres partes habere, has nunc proseqvi oportet: & primo de minori Armenia dicendum est, qvæ orientem respicit, Euphrati & majori Armeniæ contermina. Australe ejus latus ad Syriam spectat & Amanum montem: boreale, ad Cidissiæ jugum usqve pertendit Pharnaciæ & Trapezunti vicinum: qvæ ad occidentem vergunt, propria Cappadocia excipit.

## Cap. XLIV.

### *De situ minoris Armeniæ, qvomodo Deum coluit, qvamvis in errores nonnunqvam lapsa.*

IN Armenia minori (ſicut Ptolemæo videtur) non parva pars Antitauri, & Melitena regio, qvæ perſimilis eſt Comagenæ. Sola enim ex omni Cappadocia domeſticis arboribus tota conſita eſt, & oleum fert, & Monoraticum vinum, qvod cum Græco decertat. Hæc inter Cataoniam & Euphratem jacet Comagenæ continua, & Sophenæ opponitur, majoris Armeniæ regioni admodum fertili. In hac Strabo civitatem nullam eſſe dixit, ſed caſtella in montibus munita, aſſeruitqve minorem Armeniam ſatis ſelicem eſſe, & ſemper à potentioribus occupatam fuiſſe, qvemadmodum Sophenam: occupatores autem interdum cum cæteris Armeniis amicitiam habuiſſe, interdum per ſeſe vixiſſe: qvi & Chaldæos & Tibarenos ſibi ſubjecere, montanos populos, qvi Cidiſſam incolentes medii fuerunt inter Pontum & minorem Armeniam. Mithridates Eupator qvinqve & ſeptuaginta caſtella apud eos conſtruxit, & opes ſuas in illis velut inexpugnabilibus collocavit. Sed manus humana qvæcunqve facit, eadem deſtruit, nec ullum eſt homini tutum in terra refugium. Mithridates in his arcibus tandem à Pompejo clauſus eſt, & tamdiu immoratus, donec per obſidionem in Boſphorum fugere cogeretur. Pompejus circa hæc loca in Armenia minori Nicopolim condidit, qvæ poſtea optimè habitata eſt. Melas fluvius ex Argeo monte deſcendens, per minorem Armeniam in Euphratem exonerat. Ptolemæus plurimas civitates, & aliqvot provincias minoris Armeniæ commemorat: qvarum auſtraliorem Orbiſenam dicit, Amano monti propinqvam, & magis ſeptentrionalem, Orbaliſenam oræ Ponticæ continuam, Cataoniam qvoqve minori Armeniæ dedit, ſed nos Strabonem ſecuti eam Cappadociæ relinqvimus. Succeſſu temporis minor Armenia Taurum tranſcendit, Ciliciamqve complexa eſt: cujus Turcæ noſtra ætate ſub Caramano duce, imperium tenent. Armenia tamen minor, proprium ducem habet Chriſti cultorem, qvi ad nos anno ſuperiore legatum miſit adverſus Turcas ſuppetias petitum. Armenii

enim post accepta fidei sacramenta nunqvam Christum negavere, qvamvis procul ab Apostolica sede constituti in errores aliqvos inciderunt. Gotfrido autem & reliqvis Christianis ducibus, qvi Hierosolymam petierunt, magno adjumento fuere, commeatus ministrantes, & hostium consilia atqve itinera ostendentes. Fridericus imperator cognomento Barbarossa, qvi primus ejus nominis imperavit, trajectis in Asiam copiis, minorem Armeniam occupavit, gesturusqve res maximas videbatur, nisi lavandi gratia perspicuum amnem ingressus, absorptus aqvis disparuisset, & vanas hominum cogitationes ostendisset.

Cappadocia, qvæ major & propria dicitur, ab orienti minore Armenia terminatur, ab occidente Lycaonia & parte Galatiæ, à meridie Tauro monte, ex qvo boream versus usqve ad Comana Ponti & Amasiorum australia protenditur. Apud veteres separati fuerunt à Cappadocibus Cataones, tanqvam alterius linguæ genus. Ariarates eos Cappadociæ addidit, qvi primus Cappadocum rex est appellatus. Illi postea usqve adeo in Cappadocum linguam ac mores transivere, ut nulla peregrinæ gentis signa remanserint.

## CAP. XLV.

### *De Cataonia, & de Pyramo fluvio ejusq; alveo.*

Cataonia plana est, & concava, & omnia fert præter ea, qvæ semper virent. Montes, cum alii, tum Amanus à parte australi, qvi à Tauro Ciliciæ qvodammodo avulsus est, & Antitaurus in contraria abruptus eam intercludunt, ut Straboni videtur. Sed Ptolemæus Cataoniam inter Taurum & Antitaurum collocat, ut qvi Taurum non ante Amanum vocat, qvam Syriam attingat. Strabo etiam in Cilicia Amanum appellat, & Cataoniæ contra Notum opponit. In Antitauro, qvi per Cappadociam ad septentrionem inclinat, & orientis nonnihil apprehendit, convalles profundæ & angustæ sunt. In his Comana civitas fuit, & Bellonæ fanum, & sacrorum servorum, qvos numine afflatos putabant, ingens multitudo.

Strabo cum ibi peregrinaretur, supra sex millia se invenisse testatur viros ac mulieres: tanta illic hominum turba obseqvio dæmonum mancipata erat. Cataones urbem incoluere, qvi etsi regi subditi erant, sacerdoti tamen parebant: qvi & fani & sacrorum servorum magna ex parte dominus habebatur, ex progenie regum electus, & secundo loco post regem in honore habitus. Sacrorum genus Orestem cum sorore Iphigenia è Scythia Taurica illic attulisse putabant: qvæ Dianæ Tauropoli vocabantur. Creditus est hic Orestes lugubrem comam deposuisse, atqve hinc urbi nomen datum. Eam Sarus amnis interfluit, qvi per Tauri convalles devolutus, ad Cilicum campos, & subjectum pelagus excurrit. Pyramus amnis, ut Ptolemæus existimat, in Orbisena provincia, qvam minori Armeniæ dedimus, caput attollit: ut Strabo, apud Cataoniam è media planitie, qvi mox exortus navigabilis est: nec diu currens memorabilem fossam ingreditur, per qvam aqva purissima magno spatio occultè sub terram fertur, deinde in summum exoritur, tanta vi, ut immergi superne vix hasta possit: cum Tauro se adjungit, mirum in modum contrahitur fluvius, & mira est montis cæsura, per qvam aqvæ ducitur alveus. Imminentes flumini petræ utrinqve ferè usqve ad montis summa pertendentes, duorum triumve jugerum spacio concavæ sunt: solum qvod interjacet totum saxeum, valde profundum, & angustam rupturam in medio habet, ut eam canis ac lepus saliat: & fluminis qvidem alveus ad labrum usqve plenus est, latitudine aqvæductus par, qvi propter obliqvitatem & angustias & vallis profunditatem, tanqvam tonitru procul exauditur: montes egressus tantum limum in mare devolvit, partim ex Cataonia, partim ex Ciliciæ campis, ut non ab re carmina illa in modum oraculi ferantur: Tempus erat rapidis olim cum Pyramus undis In sacram veniet congesto littore Cyprum. In Sargauresina prætura, qvæ Lycaoniæ vicina est, oppidum fuit Herpa apud flumen Carmalum, qvod in Ciliciam emittit, & Argus munitio alta juxta Taurum, & Nora, qvæ postea Noraxus dicta est, in qva Eumenes obsessus diu restitit, & postea Sisinus thesauros habuit, is qvi Cappadocium imperium adortus est, cujus regia fuit Cadyna, in modum urbis ædificata, & in montibus Lycaoniæ sita. Savera qvoqve olim vicus fuisse dicitur, qvi postea magnificè ædificatus, regionis Metropolis extitit. In Morimena regione Jovis fanum celebre fuit, in qvo sacrorum servorum

vorum ferè tria millia habitabant, qvi cum crederent ſe Deo ſervire, dæmoni famulabantur. Sacerdos ejus ſacram regionem habuit admodum fertilem, ex qva proventum annuum accepit talentorum qvindecim, & durante vita ſacerdotium tenuit, qvemadmodum Comanus, ſecundus poſt illum in honore habitus.

## Cap. XLVI.

### *De Tyanenſi prætura, qvot Cappadociæ præturæ, ubi Aſiæ fanum in qvod nudæ mulieres nudis pedibus primores ingrediuntur.*

IN Tyanenſi prætura Tyana urbs fuit Tauro ſubjacens, qvæ apud Cilicas portas eſt, ad qvas montium cacumina in Ciliciam ac Syriam tendentia facillima ſunt & omnibus communia. Ptolemæus Tyanam urbem & præturam ab ea dictam ad Borealeas Antitauri parteis collocavit: hæc urbs aggeri Semiramidis ſubjacuit optimè munita, non procul hinc Caſtabala fuerunt: & Cybiſtra oppida monti propinqva. In Caſtabalis fuit Dianæ Peraſiæ fanum, in qvo ſacras mulieres ſuper prunas nudis ingredi pedibus illæſas crediderunt: tantum præſtigia dæmonum potuere. Peraſiam id eſt translatitiam idcirco deam dixere, qvia ejus ſacra per Oreſtem è Scythia advecta, ſicut Comana, putaverunt. Regionem juxta Taurum Euſebiam vocavere, magna ex parte planam & fertilem, inter præturas Cappadociæ, qvas undecim eſſe diximus, unam Cilicam Strategiam appellarunt, qvæ ultra Antitaurum verſus Boream jacet. In hac mons eſt Argeus omnium altiſſimus Aſiæ minoris centro proximus, cujus cacumina ſemper nive albicant, è qvibus dicunt qvi eo aſcendunt, qvanqvam pauciſſimi ſunt, ſereno cœlo æqvor utrumqve perſpici Iſſicum ſcilicet & Ponticum. Mazacam ſub Argeo ſitam Cappadoces matrem urbium habuere, qvæ etiam Euſebie nuncupata eſt, & magna Cæſarea: hæc ad civitatis habitationem incommoda fuit, (nam & ſicca & debilis erat, & immunita) ſed hoc fortaſſe de induſtria factum, ne freti mœnibus cives nimis confiderent, planitiem habitantes arduis collibus clauſam. Circumſtantia loca omnino ſterilia & inculta erant, qvamvis

vis campeſtria arenis plena & petris, & paulo ulterius igne exuſta, ſolumqve per multa ſtadia incenſum. Qvapropter neceſſaria è longinqvo non ſine periculo afferebantur.

## Cap. XLVII.

### *De Argeo, & qvomodo Cappadocia lignis careat, & de Argei ſitu.*

NAm cum tota ferè Cappadocia lignis careat: Argeus tamen ſylvoſus eſt, ſed loca ſylvæ ſubjecta ignes habent, & gelidis aqvis plena ſunt: nec tamen aut ignis aut aqva in ſummum exit, & ſolum herbidum eſt, & qvibusdam in locis paluſtre, ex qvibus per noctem flammæ conſurgunt. Locorum gnari caute lignantur, periculum eſt præſertim pecori in obſcuras ignis foſſas incidenti. Mazacea flumen habet Melas, loco humillimo: ſed plus damni affert qvam emolumenti, cum non aptum habeat exitum, & in lacus ac paludes diffuſus, urbis aërem æſtate corrumpat, & lapidicinis non parum noceat, alioqvin utiliſſimæ paludes ipſæ ſæpe ardere viſæ ſunt. Rex Ariarates ut regioni conſuleret, anguſtiis qvibusdam obſtructis, ad qvas Melas exitum in Euphratem habet, proximam planitiem totam lacu diluit: atqve inſulas qvasdam tanqvam Cyclades comprehendens ibi per hyemem immorabatur. Clauſura verò ad imum rupta, aqva ſoluta eſt: intumefactusqve Euphrates habitationes ac conſita multa delevit, ob qvam rem iis, qvi damnum paſſi erant, trecentis talentis mulctatus eſt à Romanis. Idem circa Herpam contigit Carmali exitu obſtructo, & ore deinde rupto, cum aqva qvædam Cilicum loca devaſtaſſet: ſæpe enim contra evenit, qvam cogitamus, & damnum ferimus, ubi ſperavimus lucrum. Elegerunt autem reges Mazacinorum loca ad habitandum, qvæ totius regionis media erant: & lignis ac lapidibus abundabant, & herba, qva plurimum ad alenda pecora indigebant: alioqvi incommoda, ſed montibus & vicinis munita caſtellis.

Cap.

## Cap. XLVIII.

### *De Mazaca, de exemplo qvomodo parentes vereri debeant pueri hic gesto, qvibus abundet Cappadocia, Onychitem lapidem in ea inventum.*

Distat Mazaca à Ponto stadiis octingentis Austrum versus, ab Euphrate paulominus qvàm duplum, à Ciliciis portis sex dierum itinere. Mazaceni Charondæ legibus utebantur, assumentes aliqvem legis peritum, qvi leges eis interpretaretur, qvemadmodum apud Romanos jurisconsulti, atqve ita civitatis duplex erat servitus, jurisconsultorum & regum. Nam populi, qvi legibus vivunt, his proculdubio serviunt, qvi leges interpretantur. Mazacenos Tigranes Armenius malè affecit: omnes enim transtulit in Mesopotamiam & Tigranocerta magna ex parte ex his coluit, postea captis Tigranocertis, potentiores reversi sunt. In hac urbe (sicut Aug. in libro de civitate Dei scribit) decem fratres fuere, septem mares & tres fœminæ, inter suos cives non ignobiles: qvi cum matri viduæ parum obtemperarent, ab ea maledicti sunt, moxqve divinitus ea pœna coërciti, ut horribiliter omnes membrorum tremore qvaterentur, ex qvibus duo ad Augustinum pervenere Paulus frater & Palladia soror, & apud memoriam beati Stephani martyris orantes sanitatem consecuti sunt: qvo exemplo, & parentes vereri, & sanctos Christi martyres venerari docemur. Gabadania regio campestris est, & cæteris australior, nam Taurum subit, & vix ullam fructiferarum arborum producit, sed pascua habet optima, sicut reliqva Cappadocia frugibus abundat, maximè frumento, & pecore omnis generis, qvæ cum Ponto australior sit, frigidior tamen est. In ea Sinopica nascitur rubrica omnium optima, qvæ cum Iberica decertat, & appellata est Sinopica, qvia mercatores eò illam deferebant, prius qvam Ephesiorum emporium tam celebre esset, qvam postea factum est. Archelai inqvisitores Onychitem lapidem in Cappadocia, & crystalli crustas invenerunt. Cappadorus amnis (ut Plinius ait) genti

nomen dedit, antea Leucosyri dicebantur, de qvibus in Ponticis rebus mentio fiet. Alexander qvi post Narcissum Hierosolymitanæ præfuit ecclesiæ, vir doctrina clarus, & morum sanctitate conspicuus ex gente Cappadocum fuit, & pontificatum in patria sua gessit, at Hierosolymam peregrinationis causa petens divina illic voluntate retentus est, non ambitione propria, ut multi hodie ad meliores ecclesias migrant.

## Cap. XLIX.

### *De Ponto, qvare Cappadocia aliqvando dicta Leucosyris, cujus sit figura Pontus.*

Seqvitur Pontus qvi (ut Strabo ait) ab occidenti Haly flumine clauditur, ab oriente Colchide, à meridie minori Armenia, & ipsa propria Cappadocia: nec termini in hac parte satis certi ostenduntur: Boream Pontus immittit, à qvo nomen acceptum. Ptolemæus (ut ante diximus) Bithyniam Pontumqve commiscuit: qvamvis & circa Trapezuntem Ponti mentionem videatur afferre. Mithridates Eupator Ponti rex constitutus, ab Haly flumine usqve ad Tibarenos, & Colchos, & Armenios regnavit, & cis Halyn qvasdam Paphlagoniæ partes, usqve Amastrim & oram Heracliam possedit, Pontumqve appellavit, cui minorem Armeniam adiecit: atqve his finibus eo sublato Pompejus provinciam accepit, qvi distributis inter principes secum militantes his, qvæ versus Armeniam & Colchidem sunt, reliqva in undecim gubernationes divisit, & Bithyniæ adiecit, ut ex utrisqve una efficeretur provincia, qvam Ptolemæus videtur describere. Paphlagonum qvosdam his regendos dedit, qvi erant à Pylæmene, qvemadmodum Galatas his qvi erant genere Tetrarchæ. Postea Romanorum duces alias atqve alias partitiones fecerunt: nam & reges & principes constituerunt, & ex civitatibus alias liberarunt, alias principibus tradiderunt, alias sub Romano populo dimiserunt. Qvibus ex rebus haud mirandum est, si Pontus ipse alios atqve alios accepit terminos: & aliqvando à Bosphoro Thraciæ usqve in Colchidem procurrit, aliqvando in Heraclia finem accepit, aliqvando alibi. Nos in hac descriptione Strabonis limites amplectimur,

ab

ab Haly fluvio auſpicantes: hic fontes habet in majori Cappadocia, juxta Cambiſenam, & multus ad occidentem fertur: poſtea ad ſeptentrionem converſus, Leucoſyros in dextera, Galatas & Paphlagonas in ſiniſtra relinqvit: & in Euxinum exit, non procul à Gadilone. Cappadoces (ut diximus) Leucoſyri prius appellabantur, ad differentiam Syrorum qvi extra Taurum ſunt, colore aduſto, qvod albiores eſſent, nomen adepti: his ſedes apud Halyn fluvium Euxinumqve fuerunt. Pindarus ait Amazonas, Syrium haſtatumqve exercitum duxiſſe, ſignificans Themiſcyræ habitatores. Themiſcyra enim Amiſenorum Leucoſyrorumqve fuit, qvi poſt Halyn orientem verſus in Ponto erant. Pontica regio haud multum lata fuit, & formam qvodammodo pyramidis habuit: tantò magis arcta atqve reducta, qvantò in orientem ulterius procedit. Nam circa Pharnaciam & Trapezuntem, plurimum minoribus Armeniæ montibus coërcetur: apud Halyn qvi Galatas & Paphlagonas diſterminat baſim habet: nec tamen hæc latitudo amplior eſt ſexentis aut octingentis ſtadiis, à mari usqve in Cappadociam: hujus oræ partem Amiſini habuerunt, partem Pompejus Dejotaro dedit, ut ea qvæ Pharnaciæ & Trapezunti proxima ſunt in Colchidem & Armeniam minorem, atqve horum regem fecit, cum paternam Tetrarchiam haberet: hic eſt pro qvo apud Julium Cæſarem oravit Cicero.

## CAP. L.

## *De Gadilonitica regione.*

POſt Halys oſtia verſus auroram Gadilonitica occurrit regio usqve ad Saramenam tota campeſtris, & luſtrum omnium ferarum: oves in ea pellis & lanæ mollioris fuerunt, qvod in tota Cappadocia & Ponto perrarum dicunt. Inerant & damæ, qvæ alibi raræ ſunt: poſt Gadilonem Saramenam poſuere, & Amiſum civitatem inſignem, diſtantem à Sinope ſtadiis nongentis: hanc prius Mileſii condidere: poſtea princeps Cappadocum reformavit. Deinde Athenienſes Pyræeum vocantes habitavere. Eupator templis exornavit, & partem muris inſtruxit. Lucullus obſedit. Pharnaces trajecto Boſphoro vexavit, Julius Cæſar libertate donavit. Straton

tyrannus invaſit. Marcus Antonius regibus dedit. Auguſtus Cæſar poſt bellum Actiacum libertati reſtituit, qva diu bene uſa eſt. Hæc regionem optimam habuit, & Themiſcyram poſſedit, antiqvum Amazonum domicilium, & Sidenam.

## CAP. LI.

### *De Themiſcyra campo, & qvomodo Pontus regio ſit fertilis, & in ea viri docti orti ſint.*

THemiſcyra campus eſt ab Amiſo ſexaginta ſtadiis diſtans, qvi pelago alluitur, & monti adjacet arboribus pleno, & aqvis irriguo, ex qvibus flumen unum efficitur, cui Thermodoonti nomen eſt. Id campum percurrit, & Amazonum fabulis clarum habetur. Eſt & alterum flumen huic æqvale, eandem planitiem irrigans, nomine Iris, cujus fontes in ipſo Ponto reperiuntur. Iris mediam Comanorum Ponticorum urbem perfluit, & in occidentem verſus Daximoneticam felicem campum permeat: poſtea apud Gaziuram illuſtrem qvondam regiam, qvæ jampridem corruit, ad ſeptentrionem convertitur, deinde rurſus ad auroram, & Scylace fluvio atq; aliis amnibus aſſumptis, ad ipſa Amaſiæ mœnia egreditur in Phanaroëam. Illic Lycus ex Armenia minori deſcendens, & cum eo concurrens nomen amittit: Poſtremo per Themiſcyram actus, in mare devolvitur. Planicies Themiſcyræ ſemper roſcida & herbida eſt, eqvorum boumqve nutrix, milium & panicum multum producit, nec unqvam fame vexatur. Præterea montana regio agreſtibus pomis abundat, uvæ, pruna, mala, & nuces ſponte in ſylvis enaſcuntur: qvocunqve anni tempore in ſylvas exieris, fructus invenies, aut in arboribus pendentes, aut in foliis jacentes: & propter alimoniæ copiam multa eſt ferarum omnis generis venatio. Themiſcyram ſeqvitur Sidena planities, licet non valde ferax, irrigua tamen, habens in ora maritima loca munita, Sidam, ex qva Sidena nominatur, & alia pleraqve, atqve hucusqve Amiſena pertenditur. Hinc viros in diſciplinis excellentes commemorat Strabo, Demetrium Ratheni filium mathematicum, & Dionyſiodorum, & in grammaticis Tyrannionem, qvem ipſe

ipse audivit. Post Sidenam fuit Pharnacia, oppidum munitissimum, deinde Trapezus græca civitas, in qvam ex Amiso duum millium & ducentorum stadiorum navigatio est, hinc ad Phasim mille & qvadringentorum, sive ut alia translatio habet, qvadraginta: tanta est totius oræ Ponticæ longitudo. In hac ora ab Amiso navigantibus, promontorium Herculanum prius occurrit, deinde Jasonium, mox Genetes, postea Cutoras oppidum, à qvo in Pharnaciam migrarunt inqvilini. Subinde Hischopolis humi postrata, ulterius sinus in qvo Hermonassa est & Cerasus: unde appellata creduntur Cerasa, loca abundè habitata: nec procul ab Hermonassa habitationem ponunt, Zygopolim appellatam: tantum Strabo de hoc littore tradit. Ptolemæus ulterius & promontoria, & urbes, & flumina usqve ad Asporum amnem commemorat: verum sine dignitate & historia. Trapezunti & Pharnaciæ ad austrum imminebant olim Tibareni, & Chaldæi, & Sami prius Macrones nominati, & Armenia minor, & Apaitæ his qvodammodo locis proximi erant, qvi prius Cercitæ dicebantur. Inter hos Cidissa mons asperrimus erigitur, & Moschicis conjungitur, qvi ad Colchidem pertinent: cujus summa ab Heptacometis, id est, Septipagis obtinentur. Pariadra qvoqve per hos præterit, qvi à locis Sidenæ & Themiscyræ proximis, usqve in Armeniam protenditur. Omnes hi agrestes homines fuerunt, præsertim Heptocometæ, qvorum nonnulli super arboribus ac turribus habitarunt. Unde & Mosmœci dicti sunt, id est, turricolæ. Mosmos enim turres vocant. His cibus farina, caro, & arborum fructus erat. Peregrino generi infesti tres Pompeji cohortes obtruncarunt, cum per montana transirent: miscentes enim crateras furentis mellis, qvod rami arborum ferunt: potos & mente alienatos adorti, facilè interemerunt. Qvidam ex his barbaris Bizeres vocabantur. Et qvi Chaldæi dicti sunt, prius Chalybes appellabantur, apud qvos Pharnacia sita est, in mari habens Pelamydum copiam, in terra ferri & argenti metalla. Sed argentaria postea defecere, ut est terrenarum omnium rerum finis. Ora hic maritima prorsus augusta est. Continuo enim rupes incumbunt nemoribus ac metallis refertæ: cultura agrorum exigua, ideo ex fossionibus & piscationibus victum qværunt, & multam ex delphinis arvinam recipiunt ad res varias utilem. Homerus in dinumeratione gentium qvæ ad Trojanum bellum iere, cum Paphlagonum meminisset,

 postea

postea Halizonas adjecit, qvos Strabo Chalybes esse arbitratur: de qvibus modo locuti sumus. Sed qvidam Halizonas, qvidam Amazonas scripsere, qvarum varia historia est: alii eas apud Cariam, Lydiamqve collocarunt, alii Migdonum campum illis attribuerunt, alii in Hellesponto sedes dedere, alii ultra Borysthenem in Scythia eas qvæsivere. Vulgarior opinio Themiscyram illarum fuisse patriam censet, qvamvis Scythicam originem ducerent. Leucosyri earum postea sedes invaserunt, à qvibus Henetes exisse putavit Mæandrius, qvi Trojanis auxilium tulere, atqve inde cum Thracibus digressi, in Adriæ sinu habitavere.

## Cap. LII.

### *De Sidena & soli fertilitate.*

PHarnaciæ versus occidentem, ut diximus, continua est Sidena, postea Themiscyra. His ad Austrum Phanarœa incumbit, qvæ Ponti partem beatissimam obtinet: nam & oleis & vitibus consita est, & cæteris rebus excellit. Hæc à partibus orientalibus Pariadram montem obtendit, in longitudine secum pariter progredientem, ab occasu Phazemoneticam regionem. In Sidena convallis qvædam est, longitudine ac latitudine insigni, qvam Lycus ab Armenia minori descendens irrigat, & in media valle miscetur Iri. In concursu amnium Amasia urbs fuit Strabonis patria optimè munita, qvam primus fundator Eupatoriam à se nominavit. Pompejus cum inchoatam invenisset colonis introductis, & regione illi addita Magnopolim appellavit. Ea in media planitie jacuit, & profunda valle, per qvam fertur Iris, mira providentia & natura constructa, qvæ civitatis usum exhiberet, fuitqve optimè munita turribus & propugnaculis, & præruptæ petræ rupibus, apud qvam & regiæ fuerunt, & regum monumenta. Sub ipsis Pariadræ radicibus Cabira sita fuerunt, stadiis centum qvinqvaginta qvam Magnopolis australiora. Hic erat Mithridatis regia apparatu magnifico structa, hic aqvarum balnea calidarum, ferarum vivaria, propinqvæ venationes, aurifodinæ. Fuit & Novus locus appellatus, stadiis ducentis à Cabiris distans, petra munita ingentis altitudinis, undiqve prærupta,

pta, & mœnibus cincta, qvæ in vertice fontem uberrimum habuit, & ad radicem flumen, & cisternam profundam, & montana in circuitu ad centum viginti stadia altissimis tecta sylvis. Hic preciosissimi Mithridatis thesauri comperti sunt, qvos Pompejus in Capitolio dicavit: qvi cum Cabira in urbis modum struxisset, Diopolim nominavit. Sed Pithodoris eam augens Augustam appellavit, & pro regia sua usus est. Ptolemæus Sebastopolim vocat, qvod idem sonat. Non procul hinc vicus fuit urbis amplitudinem habens, nomine Ameria, in qvo fanum mensis Pharnacis appellatum est, multis sacris seruis ornatum, & regione sacra dives: qvod adeò reges venerati sunt, ut qvod ipsi regis jusjurandum vocarent, id regis fortunam, & Pharnacis mensem dixerint. Supra Pharnaceam versus meridiem Comana fuerunt Pontica, eodem nomine qvo majoris Cappadociæ Comana, eidem deæ sive eidem dæmoni consecrata, simile templi ædificium, & similem fere ritum habentia, & sacrorum, & divinationum, & cultus erga sacerdotes: in his maximè qvæ ante reges fiebant, qvoniam bis in anno in festis, qvæ deæ exitus appellabantur, sacerdos diadema gestabat, & secundus erat in honore post regem. Pompejus huic templo Archelaum sacerdotem præfecit, & sexaginta stadia regioni adiecit, cui sacri servi fuerunt sex millia: cœca & perdita hominum manus. Archelaus filius fuit ejus, qvem Sylla & senatus in honore habuerunt: & qvi Mithridatis Eupatoris se filium effingens, Ptolemæi regis Aegypti filiam duxit uxorem, & à Gabinio postea in prælio interemptus est. Lycomedes post Archelaum sacerdotium accepit, & eo sublato Dyteutus Adiatorigis filius, qvi ob virtutem hanc dignitatem obtinuit. Nam Cæsar Augustus Adiatorigem cum uxore ac filiis in triumphum ducens, illum cum filio majore statuit interimendum: major hic erat. At cum secundus, militibus qvi eum ducebant, majorem se affirmaret, diu inter ambos contentio fuit, & pulchrum de morte certamen, cum præmori vellet uterqve, qvousqve parentes Dyteuto persuasere, ut juniori cederet, asserentes ipsum, qvi ætate provectior esset, majorem de matre ac reliqvo fratre curam habiturum. Itaqve secundus cum patre interemptus est: Dyteutus seruatus vel invitus, qvi hanc dignitatem est consecutus. Nam Cæsar, re cognita, vehementer doluit, & eos, qvi seruati erant, beneficio & cura prosecutus est. Comana

mana urbs populoſa fuit. Multi ex Armenia, & ex vicinis civitatibus ad feſta conveniebant, viri ſimul ac mulieres, & ſacra deæ, ut ipſi putabant, ex voto perficiebant. Incolæ molles ac delicati, mulierum multitudo maxima, & operatrix: & magna ex parte qvamvis ſacra, meretricio vivens. Tanta gentilium ſtultitia fuit, ut lupanaria etiam ſacra putarent. Ager circumjectus vitibus conſitus eſt, aptiſſimus qvi Veneri fomentum præſtaret.

## Cap. LIII.

### *De Coma urbe & qvanta incolarum ſuperſtitio, de variis Ponti regionibus, & unde Germani ſalis habeant excoctionem, de Sandara monte ubi metalla effodiuntur, & qvi Pontici Chriſtum colant.*

REgio Zelitica Comanis ad orientem jacet, in ea urbs fuit Zela ſuper aggere Semiramidis condita, & illic Anaitidis falſæ deæ templum, qvæ ab Armeniis colebatur. Hoc in loco maxima cum ſanctimonia fiebant ſacra, qvamvis dæmoni celebrarent, & jusjurandum maximis de rebus apud aram ſumebatur. Sacrorum ſervorum multitudo ingens, & ſacerdotium præcipui honoris fuit. Zelam olim reges non ut civitatem, ſed ut Perſicorum deorum templum colebant. Sacerdos rerum omnium poteſtatem habebat, eratqve urbs valde dives, & Pompejus multas ei provincias adiecerat minori Armeniæ finitimas, in qvibus ſales foſſiles reperiebantur, & Megaolopolim appellaverat. Poſt Phanarœam occidentem verſus Phazemonetica regio ſeqvitur, cujus ſeptentrionale latus Gazilotus & Amiſenus claudit ager, occidentale Halys, auſtrale Amaſienſium terra, qvæ plurima eſt & cæterorum optima. Pompejus hanc regionem Megalopolim nominavit, & facta apud Phazemonem vicum habitatione eam Nicopolim appellavit. In Phazemonetica lacus eſt pelagi magnitudine nomine Stiphana, cui Cizara caſtellum adiacuit munitiſſimum, qvo deſtructo prope regia con-

ſtructa extitit, reliqva terra magna ex parte nuda, frumenti tamen ferax. Amaſienſibus imminebant aqvæ calidæ, valde ſalubres, qvæ Phazemonenſium ſunt. Imminebat etiam Sagylium caſtellum ſuper monte qvodam ſitum, erecto & excelſo, & aqvis abundantiſſimo, qvod poſtea neglectum eſt: hic Arſaces dominatum & novas res qværens, à filiis Pharnacis regis fame captus & interemptus eſt, cum ex planicie pulſus ſine commeatibus eò confugiſſet. Dehinc eſt Diacopena, & Pimoliſena regio, tota felix usqve ad Halyn. Et hæ ſunt ſeptentrionales Amaſienſium partes qvingentorum ferè ſtadiorum longitudine patentes, nec minor reliqva pars eſt circa Ximenam, qvæ etiam usqve ad Halyn deſcendit. In Ximena ſales ſunt foſſiles à qvibus Halyn flumen dici putant, qvod imitati Germanorum populi, omnia loca, in qvibus ſales excoqvuntur, Halys appellant. In Amaſienſi agro, multa regio ſub Mithridate deſerta fuit, & multa caſtella diruta. Is arboribus plenus erat, & paſcendis eqvis & cætero pecori idoneus, & totus habitabilis. Amaſiam prius reges habuere, poſtea Romanorum provincia facta eſt. Pimoliſena regio Halys fluminis utramqve ripam occupat: in ea Sandaracurgium mons eſt concavus propter metallorum effoſſionem. Operatores ex aliqvo maleficio redempti huc mittebantur, qvi propter laborem & letiferum aerem è glebis prodeuntem cito moriebantur, nec plures quam ducenti adeſſe ſolebant. Tantum eſt qvod de Ponto explicare poſſimus. Pythodoris regina plurimum in Ponto valuit, cui & Tibareni & Chaldæi usqve in Colchidem ſubjecti fuerunt. Sidena qvoqve & Themiſcyra & Phanarœa illi paruit. Hæc filia Pythodori Traliani fuit & uxor Polemonis, cum qvo aliqvandiu regnavit, deinde imperio ſucceſſit, eo in prælio defuncto. Ex Polemone filii duo relicti ſunt, & filia qvæ Coty Sapæo nupſit, eoqve dolo interempto cœlibatum egit, ſuſceptis ex viro filiis, qvorum natu major patris imperium tenuit. Ex filiis Pythodoris alter cum matre paternam hæreditatem adminiſtravit, alter majoris Armeniæ rex declaratus eſt: ipſa Archelao nupta, cum eo manſit uſqve ad extremum. Aqvila Ponticus fuit veteris teſtamenti translator & interpres, neſcimus qva civitate. Is verba Prophetæ de virgine paritura prolata ad juvenculam tranſtulit, non ſatis capiens divina myſteria. Pontus Chriſti ſacra cepit, & usqve in hanc diem qvadam in parte ſervavit. Mar-

cion Ponticus qvamvis Chriſtianus videri vellet, alium tamen creatorem omnium rerum eſſe dicebat qvam Chriſti patrem, illumqve majorem aiebat, & aliqvos in ſuum errorem traxit. Trapezuntii ſub Imperatore ſunt Chriſti cultore, qvi anno proximo legatum ad nos miſit, auxilia contra Turcas orans, qvorum arma atqve impetum verebatur. Noviſſime Venetorum literas accepimus qvæ Turcarum imperatorem in Pontum cum exercitu trajeciſſe ferebant, nec dubium faciebant, qvin Trapezuntii ſeſe dederent, cum Hiſmael Sinopenſium Dominus, qui diu reſtiterat, tandem imperata feciſſet: nondum vero fama æqvata eſt. Trapezuntius imperator uni ex Turcarum principibus filiam nuptui dedit, qvæ res fidem ejus non ſatis firmam oſtendit. Qvis enim Chriſtianus eſt, & inimico Chriſti eccleſiæ ſacramenta communicat? Multa metus & regnandi cupiditas admittit indigna: Sed non eſt cœleſti regno idoneus, qvi pro terreno cœleſtem regem contemnit. Reliqva Ponti & Cappadociæ in poteſtate Turcarum exiſtunt, qvamvis ubiqve miſti ferantur Armenii Chriſti cultores. Atqve in hunc modum abſoluta eſt Cappadocia, qvam totius minoris Aſiæ tertiam fecimus partem: in qva illud memoratu dignum contigit, qvod efferentibus Romanis libertatem & populare regimen, Cappadoces regem petiere, qvæ res ſtupenda Romanis viſa eſt, qvibus regia poteſtas exoſa, & arbitrium populi pro libertate fuit. Sed Cappadoces maximè ſervos arbitrabantur, qvorum cervicibus populare jugum immineret, cujus nec ſuperbiam tolerare, nec avaritiam explere qvisqvam potuit.

Minoris Aſiæ tres partes fecimus: Prima eſt ipſa qvæ propria dicitur, altera Galatia, tertia Bithynia. De Galatia prius dicendum qvæ orientalior eſt: hujus temini erunt (qvemadmodum nos partim ex Ptolemæo, partim ex Strabone atqve aliis accepimus) ab oriente Cappadocia & Haylis fluvius, qvi Pontum diſterminat: ab occidenti Bithynia & Aſia, à meridie Pamphylia, à ſeptentrione Pontus Euxinus. In hac parte Lycaonia continebitur, qvæ totius Aſiæ medium qvodammodo locum, & arcem occupat. Piſidiæ qvoqve pars comprehenditur Auſtrum verſus, & ad Taurum expoſita: circa Pontum Paphlagones & Mariandyni ſedes habuere. Ptolemæus ab Amiſo usqve Cytorum boreales Galatiæ partes perduxit, atqve ibi Bithyniam incipere voluit Eupator, qvi Pontum tenuit, à Colchide usqve

qve Heracliam imperavit. Reliqva usqve ad os Euxini & Chalcedonem reges Bithyni habuere: ſublatis regibus Romani eosdem terminos ſervavere, ut Heracliam Ponto concederent, citeriora Bithyniæ. Strabo Sangario flumine Bithyniam clauſit, qvem ſeqvi non pudet, & hoc litus ab oſtio Sangarii usqve Halyn, deinde mediterranea explicare. Ptolemæus Pruſiam civitatem mox poſt Sangarium collocat, deinde Hippum flumen, poſtea Candiopolim, mox Elatam amnem: nec procul huic Diopolim, cui ſuccedit Heraclea, de qva paulò pòſt dicemus. Mariandyni circa Heracliam collocantur, de qvorum origine parva cognitio eſt. Strabo eos à Thracia profectos arbitratur, Theopompus Mariandynum barbarum qvendam Paphlagoniæ portionem imperio tenuiſſe refert, & facto impetu Bebriam regionem occupaſſe, eiqve de ſuo nomine vocabulum indidiſſe. Fuerunt tamen Mariandyni Bithynis perſimiles, qvos Mileſii qvi primi Heracliam condidere, in ſervitutem redegerunt: hi Caucones expulerant, qvi hanc oram usqve ad Parthenium flumen coluere, habentes urbem Thejum, ex qva Philetærus natus eſt autor generis regum Attalicorum. Caucones alii Scythas, alii Pelasgos fuiſſe putant: qvorum genus omnino interiit.

## CAP. LIV.

### *De Heraclia ex qva Heraclides.*

HEraclia optimum portum habuit, & ad Ponticam provinciam pertinuit, cum Bithynia à Romanis ordinata. Civitas alioqvin memoratu digna, qvæ plurimas colonias emiſit, & cum prius libera eſſet, poſtea ſub tyrannis fuit: deinde rurſum in libertatem ſe vendicavit, & iterum à Romanis regem accepit, & Romanorum coloniam in partem urbis & agri admiſit. Adiatorix Demenecli tetrarchæ Galatarum filius, cujus in Ponticis rebus mentio facta eſt, hanc urbis partem ab Antonio accipiens, qvàm Heraclienſes tenebant, paulo ante Actiaca bella Romanos noctu adortus ad unum jugulavit, id ſibi ab Antonio imperatum dicens: ſed non tulit impunè ſcelus, captus ipſe poſt victoriam Auguſti, & in triumphum ductus (ut ante diximus) cum filio jugulatus eſt. Archiam poëtam, pro

qvo Cicero oravit, in hac urbe honoratum fuiſſe conſtat, & Platonicum Heraclidem hic natum: abeſt à Ponti ora (ut Plinius ait) milliariis ducentis. Portus Acone non procul hic jacet, veneno aconito dirus.

## Cap. LV.

### *De Henetis, Sinopenſibus, & de eorum vico, Harmena: unde Diogenes Cynicus & alii complures.*

POſt Parthenium amnem Heneti ſeqvebantur Cytorum habitantes, apud qvos feroces fuiſſe mulos affirmat. Hi clariſſima Paphlagonum natio fuere: ex qva natus eſt Pylæmon, cum qvo plurimi apud Trojam militarunt. Qvi amiſſo duce in Thraciam poſt captum Ilium trajecere, errantesqve in eam regionem devenere, qvæ poſt Venetia appellata eſt. Qvidam Antenorem & ejus filios claſſi præfuiſſe putant, qvæ in intimum Adriæ receſſum Henetos vexit: alii nationem qvandam Cappadocibus finitimam prodiderunt ſub Henetorum nomine cum Cimmeriis militaſſe, & poſtea in Aſiam perveniſſe. Id genus in Paphlagonia prorſus defecit, qvamvis non procul ab Amaſtri vicum eſſe in Ponti littore nonnulli tradiderint, qvi usqve ad Romanorum tempora coleretur. Ab Henetis Zenodotus Henetiam deſcribens, eam ſignificari putat, qvæ Amiſus appellata eſt, cujus in Ponto fecimus mentionem. Paphlagones inter Mariandynos & Halyn fluvium collocantur, & rurſus inter Galatas & Euxinum. Parthenius amnis occidentalia claudit, cui proxima fuit Amaſtris, de conditricis nomine appellata, qvæ in Peninſula jacuit, & portus habuit ex utraqve Iſthmi parte. Amaſtris uxor fuit Dionyſii Heracliæ tyranni, & Oxiartis filia fratris Darii, Roxanæ ſoror, qvæ Alexandro nupſit, cum qvo Darius bellum geſſit. Hæc mulier ex qvatuor urbium incolis unam civitatem fecit: Seſamo, Cytoro, Cronina, & Teio, qvæ cito à communione defecit, cæteris in ea permanentibus. Seſamus Amaſtris arx dicta dicta eſt, Plinius totam urbem Seſamon olim appellatam tradit. Cytorum prius Sinopenſium emporium fuit

à Cy-

à Cytoro Phryxi filio dictum. In Amastriano agro plurima atq; optima buxus nascitur, præsertim juxta Cytorum, à qvo per centum stadia vicus fuit Cronina appellatus, postea Ægialus, & duo scopuli, qvi à colore vocabantur Erythri, erant enim rubri. Ulterius Carambis occurrit, promontorium magnum ad septentrionem porrectum, arietinæ frontis habens formam, qvod longo spatio pelago incumbens, Scythicæ objectum peninsulæ, Euxinum Pontum bimarem videtur efficere. Post Carambim nonnulla fuerunt oppida indigna qvæ nominentur, præter Armenam, de qva proverbium factum est: Cui nullum negotium erat, Armenam munivit: Sinopensium vicus fuit & portum habuit. Deinceps sita est ipsa Sinope urbiũ qvæ in regione sunt clarissima. Milesii eam condidere, sicut Heracliam. Magna hujus urbis potentia fuit, qvæ classe comparata, mari, qvod intra Cyaneas est, imperavit. Extra verò, multorum certaminum particeps cum Græcis fuit. Sinopenses urbis suæ conditorem Stenidem qvendam putavere, unum ex iis qvi cum Jasone navigarunt, qvem ut deum colebant, & ejus oraculum habebant. Sed Milesii loci oportunitate & incolarum imbecillitate perspecta, illos pepulerunt, & novos induxere colonos. Ea naturali providentia optime munita fuit super collem cujusdam peninsulæ sita, ex utraqve Isthmi parte portus & stationes habens, & miras Pelamydum piscationes. Peninsula undiqve ripas jugosas obtendit, & fossas qvasdam in petris excavatas, qvæ mari tumido complentur, ut non facile adiri possint: petræ qvoqve summa echinis plena, nudo pedi inaccessibilia sunt. In superiore urbis parte optimum solum, & agrestibus hortis ornatum fuit, præsertim suburbanum. Ædificia in urbe magnificè structa, Gymnasium & forum porticus & templa splendida & ampla. Diu civitas cum libera fuisset, amissa libertate Pharnaci tandem obtemperavit, & successoribus ejus usqve ad Eupatorem: & Romanis, qvi eum sustulerunt. Eupator ibi natus educatusqve ac deniqve sepultus eximie illam coluit, & regni Metropolim fecit. A Pharnace subito & præter opinionem ingruente capta fuit, & à Lucullo per obsidionem, Bachide, qvi præpositus erat miris modis cives affligente. Romani coloniam eò misere, cui & urbis & regionis pars data est. Distat ab ostio Ponti Sinope, stadiis tribus millibus & qvingentis, ab Heraclia duobus miliibus, à Carambi septingentis. Hic Diogenes Cynicus, & Timotheus Patrion orti sunt, philosophi

losophi celebres, & Diphilus poëta comicus, & Bathon qvi de rebus Persicis scripsit historiam. Sinopensis ager usqve ad Halyn protendebatur: Hæc urbs jamdudum in potestate Turcarum fuit. Ferunt Sinopis tyrannum prædivitem esse, propter æris metalla qvæ in Sinopica terra effodiuntur. Mahumetes Turcarum imperator, thesauris ejus inhians, anno superiore exercitum ad capiendam Sinopem misit: qvi turpiter rejectus est. Hoc anno majoribus copiis terra mariqve comparatis, ipse per sese urbem invadendam statuit. Sed Ismahel loci Dominus non expectato impetu sese dedit, qvamvis legatum ad nos miserit, multa pollicitus, si sibi auxilia mitterentur. Sed longum est Christianos, non modò armare, sed consulturos de sumendis armis congregare. Non miramur si apud obsessum principem plus instans metus, qvam spes longinqva & dubia potuit. Tota Sinopica regio ac montana qvæ illi imminet usqve in Bithyniam, optimam ad ædificandas naves materiam, & ductu facilem habent. Acerem qvoqve Sinopica gignit, & nucem montanam, è qvibus mensas faciunt: tota oleis consita fuit, paulo supra mare culturam habens. Heracliam, Amastrim, & Sinopem, post Homerum conditas putant: nusqvam enim eas nominat. Olgasis mons altissimus & aditu difficillimus, qvamvis citra Halyn Sinopicæ regioni contiguus esset, tamen ad Ponticam regionem pertinuit, in qvo plurima Paphlagonum templa fuerunt. Blaëna, & Domanetica regio monti adjacet, satis ferax, per qvam Amnias flumen illabitur, qvem Ptolemæus Zaliscum appellare videtur: & Olgasim Oligam. His in locis Mithridates Eupator, Nicomedis Bithynici copias per imperatores suos ita delevit, ut pauci cum eo evaserint, & post eam victoriam Bithynia & Asia usqve in Cariam ac Lyciam ad victorem defecerint. Hic urbs postea Pompejopolis constructa est, prope Sandaracurgium montem, de qvo diximus in rebus Ponticis. Post Pompejopolim, Magni opus, reliqva est Paphlagonia mediterranea, occidentem versus, usqve in Bithyniam: qvæ qvamvis parva est, multos tamen Dominos habuit, priusqvam Romanorum esset. Ciniata castellum munitissimum fuit, Olgasi monti subjectum, qvod Mithridates condidit, eoqve receptaculo usus Ponti imperium acqvisivit, & qvi ab eo profecti sunt, usqve ad Eupatorem successionem servarunt: postea Dejotarus Castoris filius cognomento Philadelphus Paphlagoniæ imperavit, & Gangra regiam habuit, qvæ
oppi-

oppidum simul & castellum fuit. Eudoxus pisces fossiles in Paphlagonia locis siccis reperiri tradidit, nec tamen mendacio suo satis certos limites circumscripsit. Hæc de Paphlagonia traduntur, qvam Plinius Pylæmoniam prius dictam asserit à flumine (ut credimus) Pyli, qvem ipse pro Parthenio videtur accipere, qvi apud Galatas ortus inter Paphlagonas & Mariandynos fertur in Pontum.

Australes Paphlagoniæ partes Galatis hærent, à qvibus Galatia dicta est: cui ab occidente Bithynia & propria adiacet Asia, ab oriente Pontus, à meridie Lycaonia: qvamvis Strabo inter Galatiam & Lycaoniam alam qvandam Phrygiæ collocaverit, & usqve in Cappadociam extenderit, qvem Ptolemæo in hac parte postponimus.

## CAP. LVI.

### *De Galatia, & in eam Gallici hostis pulchra victoria.*

TRes Galatarum gentes fuere, Trogmi, Tolistobogi & Tectosages: priores à Dacibus nominatæ sunt: tertia â gente, qvæ in Celtica est. Galli abundante multitudine, cum eos non caperent terræ, qvæ genuerant, trecenta hominum millia ad sedes novas qværendas emiserunt: & portio in Italia consedit, qvæ post annos ducentos, cum jam Italica esset effecta, urbem Romam cepit atqve incendit: portio Illiricos sinus per strages barbarorum penetravit, & Pannonia subacta in ea consedit, ac per multos annos cum finitimis gravia bella gessit. Hortante deinde successu diversis agminibus, alii Græciam, alii Macedoniam petivere: tantusqve terror Gallici nominis erat, ut etiam reges non lacessiti, ultro pacem ingenti pecunia mercarentur. Ptolemæus Macedoniæ rex, ausus in armis occurrere, victus & multis vulneribus saucius captus est, caput ejus amputatum & lanceæ affixum, tota acie ad terrorem hostium circumlatum. Sosthenes unus de Macedonibus contracta raptim juventute, Gallos victoria exultantes compescuit, & Macedoniam ab hostili depopulatione defendit. Sed adventante Brenno altero Gallorum duce, qvi in Græciam se effuderat, victus est, & in

munitio

munitiones repulſus. Galli nemine prohibente totius Macedoniæ agros vaſtavere, neqve contenti hominum ſpoliis, eorum qvoqve qvos deos putabant, ſpoliare templa agreſſi ſunt. Sed dum Apollinis ædem apud Delphos adoriuntur, partim obruti terræmotu, partim grandine & frigore diſſipati, urgentibus oppidanis, usqve ad interneccionem cæſi ſunt. Brennus in prælio vulneratus, cum dolorem vulnerum ferre non poſſet, pugione vitam finivit. Belgius alter ex ducibus cum parte agminis è Græcia exceſſit, qvem inter fugiendum cum toto exercitu periſſe Trogus affirmat. Tanta dæmonibus cura fuit ejus domicilii conſervandi, in qvo divinos conſeqvebantur honores. Sed conſtat Gallos (ſive horum reliqviæ fuerunt, ſive novum examen fœcunda hominum Gallia miſit) poſt multos errores & multas excurſiones in Aſiam perueniſſe, & loca nonnulla occupaſſe, Attalicis regibus ac Bithyniis ſubdita, ibiqve tamdiu permanſiſſe, donec eam, qvæ poſtea Galatia & Gallogræcia dicta eſt, ab eiſdem regibus non invitis acceperunt. Dux tranſitus in Aſiam Leonnorius qvidam fuiſſe videtur. Una trium gentium lingva fuit, ipſi tamen unam qvamqve gentem in partes qvatuor diviſere, qvas Tetrachias vocavere, ſingulæ proprium tetrarcham habuere, & judicem & tribunum tetrarchæ ſubjectos, & duos ſubtribunos. Fuit & tetracharum concilium, qvi erant viri trecenti, & in locum conveniebant nomine Drinæmetum: concilium de ſangvine, tetrarchæ ac judices de rebus cæteris judicabant. Hæc antiqviora, poſtea ad tres duces res delata eſt, deinde ad duos, poſtremo ad unum Deiotarum, cui ſucceſſit Amyntas, poſtea Romani, omnibus in unam provinciam redactis. Partem, qvæ Pontum & Cappadociam reſpicit, Trogmi habuere, quæ totius Galatiæ optima eſt: ii tria muro caſtella cinxerunt. Tujam, qvod indigenarum emporium fuit, & æneam Jovis ſtatuam habuit, & delubrum ejus, aſylum: & Mithridatium, qvod Bogodiatoro Pompejus dedit: & Danalam, ubi Lucullus & Pompejus convenere: cum alter in belli ſucceſſionem, alter illi poteſtate permiſſa ad triumphum pergeret. Tectoſages verſus majorem Phrygiam juxta Peſſinuntem ſedes obtinuere, caſtello uſi cui Ancyra vocabulum fuit. Toliſtobogi Bithyniis finitimi fuerunt & Phrygiæ qvæ Epictetus dicta eſt. Horum caſtella fuerunt Blutium & Pejum, qvorum alterum Dejotari regia erat, in altero theſauros habebat.

bebat. Nec procul Pessinus fuit, commune regionis emporium, & in eo templum maximum, & magnæ venerationis, matris Deûm. Sacerdotes olim præpotentes qvidem erant, & sacerdotium maximum habebant: postea eorum dignitas imminuta est. Attalici reges hunc locum magnificaverunt, templo & porticibus ex albo lapide structis. Romani statuam hinc deæ accersiverunt, qvemadmodum eam, qvæ Aesculapii erat, ex Epidauro. Mons qvidam urbi imminebat, nomine Dindyma, à qvo Dindymene dicta est, qvemadmodum à Cybelis Cybele. Prope Sangarius amnis fluit, non procul ab ortu suo in Galatia Cim fontem habet, secus qvem antiqva erant Phrygum domicilia, & Mydæ, & prius Gordii; & aliorum qvorundam, qvæ postea in vicos redacta sunt. Hic Gordium fuit, in qvo magnus Alexander nexum plaustri rescidit, de qvo vaticinium erat, eum tota Asia regnaturum, qvi nodum solvisset. Fuit & Corbejus Castoris Saocondari regia, in qva Dejotarus generum & filiam jugulavit, qvamvis ei summas Cicero laudes attribuat.

## CAP. LVII.

### *De Lycaonia & lacu Tatta, & de mira salis congelatione, & cujus fraude interierit Amyntas.*

POst Galatiam Austrum versus usqve ad Taurum inter Phrygiam & Cappadociam Lycaonia extenditur, tota mediterranea. Hic lacus est nomine Tatta, Cappadociæ adiacens juxta Morimenam, qvem Strabo majori Phrygiæ dedit, secundum qvem non fuisset Lycaonia Galatiæ contermina (qvemadmodum Ptolemæo visum est) cujus opinionem seqvimur. In qvo lacu sal nascitur, atqve adeò facile circa res immersas congelatur, ut sæpe cum funalem torqvem dimiserint, salis coronas educant, & volucres aqvas ejus alis contingentes, propter salis concretionem facilè capiantur. In Lycaonia colles sunt frigidi, & nudi, & pascendis onagris apti: ubi multa aqvæ penuria est, nec invenitur, nisi in puteis admodum profun-

dis, ſicut Soatris, ubi aqva venditur. In Garſabora, qvæ Lycaonum regio eſt, vicus fuit in urbis modum ædificatus, qvi multas oves nutrivit, qvamvis ſiccitas circumiaceret. Amyntas ſuper trecentos ovium greges in his locis habuit, ſed lanam aſperam præbuere. Inſunt & duo lacus, Coralis major, Trogitis minor dictus eſt. Circa hoc Iconium fuit oppidum optimè habitatum, qvod fortunatiorem regionem habuit, qvam ea qvæ Onagros producit. Polemo hoc poſſedit. Ptolemæus id Cappadociæ dare videtur Lycaoniæ propinqvum. Conradus Imperator circa hoc obſidionem tenens, periclitatus eſt, cum Hieroſolymam peteret, Manuele ſecundo Græcorum imperatore, qvi commeatum miniſtrabat, gypſum farinæ commiſcente: Qvæ res fecit, ut exercitum morbo afflictum, re infecta in Europam cogeretur reducere. Taurus his in locis appropinqvat, cujus pars in ſeptentrionem vergens Cappadociam & Lycaoniam terminat, ad imminentes Cilicas Trachiotas. Lycaoniæ etiam Iſaurica eſt Taurum verſus, qvæ duos vicos habuit, qvibus alia loca obtemperabant: omnia latronum domicilia, qvæ Romanis negocia exhibuerunt. P. Servilius cognomento Iſauricus ea Romanis ſubegit, & multas piratarum munitiones, qvæ in ora maritima erant, vi cepit. In Iſauricæ lateribus Derba fuit Cappadociæ adjuncta, Antipatri Derbenſis ſedes: cujus & Laranda erat apud Cappadoces, & Iſaura in Lycaonia. Amyntas Antipatrum adortus Derbam cepit, & illum interemit: Iſauram verò à Romanis accepit, ubi antiqva Iſaura diruta regiam ſibi conſtruxit, ſed non perfecit. Huic Antiochia parebat Piſidiæ finitima, & tota Lycaonia, & multa ora montana usqve Apolloniadem Apamiæ vicinam, qvæ Cybotus dicta eſt: eaqve potentia fretus, Cilicas delere conabatur, & Piſidas, qvi è Tauro freqventibus incurſationibus ſuum regnum infeſtabant. Cepit itaqve multa prædonum loca, qvæ prius inviolata fuerant, & inacceſſibilia credebantur, è qvibus Cremna fuit. Sandalium autem accedere non eſt auſus, qvod inter Cremnam atqve Sagalaſſum jacuit. Cremnam habuere poſtea Romani coloni. Sagalaſſus ſub eodem Romano duce fuit, ſub qvo totum Amyntæ regnum, diſtans ab Apamia diei itinere, deſcenſum habens ab arce ferè triginta ſtadiorum, qvæ alio nomine Selgeſſus vocata eſt, & ab Alexandro olim capta fuit: Amintas cum Cremnam cepiſſet, progreſſus ad Homonadenſes Tauri cultores, qvi nunqvam

capi posse existimabantur: multa eorum loca expugnavit, & tyrannum interemit: Sed uxoris illius fraude deceptus, captus est, & ab illis interfectus: neqve ultimus, cui fœmina illuserit. Cyrinius eosdem fame confecit, & qvatuor hominum millia à se capta in alias propinqvas urbes habitatum traduxit, regionem juventute desertam reliqvit. Est etiam in altis Tauri partibus, & in rupibus præruptis & magna ex parte inaccessibilis, in medio planicies concava & ferax, & in multas valles distincta. Hanc excolentes in superioribus montium superciliis ac speluncis habitabant, & cum freqventius armati essent, ad aliena excurrebant.

## Cap. LVIII.

## *De Pisidis, & qvomodo Storace sylva abundent.*

His contigui fuerunt, cum alii Pisidæ, tum etiam Selgenses Pisidarum optimi. Maxima eorum pars summa Tauri obtinuit, Pamphiliæ imminentia loca edita & oleis consita, qvorum qvædam Aspendo & Sidæ Pamphiliæ urbibus imminebant, montana, qvæ supra hos sunt Catennenses incoluere, Selgensibus & Homonadibus finitimi. Selgam urbem ab initio condidere Lacedæmonii, qvæ propter legitimam gubernationem tantum adolevit, ut aliqvando viginti millia virorum haberet. Mira locorum natura, qvæ in summis Tauri partibus adeò ferax fuerit, ut tanti multitudini sufficeret. Pleraqve loca oleis & vitibus consita erant, & omnium pecorum pascuis abundabant: sylvæ materiæ plenæ circumjacebant, in qveis plurimus nascebatur Storax arbor magna & recta, ex qva Storacinæ hastæ fiebant corneis similes: illic lilium optimum ad unguenta reperiebatur: aditus per montana difficilis, è qvibus Enthymedon & Cestius oriuntur flumina, qvæ in Pamphylium mare decurrunt, nec sine multis pontibus transeuntur. Selgenses longo tempore libertate usi sunt, & cum regibus decertarunt. Alexandro per legatos responderunt, se ut amicos imperata facturos: cum Romanis certis conditionibus convenere, postea omnino jugum subierunt, sicut &

vicini qvi ſub Amynta fuerunt. Iſauria igitur eam Tauri partem occupavit, qvæ inter Lycaoniam & Tracheam Ciliciam excurrit: reliqvam partem verſus occidentem usqve Apamiam, Piſidæ tenuere. Hinc ad Tracheam Ciliciam, ac Pamphyliam: inde ad Lycaoniam pertinentes, qvi per tyrannides diviſi, qvemadmodum Cilices, vicinos latrociniis vexabant: inter hos Leleges qvidam vagi olim admiſti fuerunt, & propter morum ſimilitudinem ibi remanſerunt. Artemidorus Piſidarum tredecim civitates nominavit, qvarum aliæ omnino montanæ fuerunt, aliæ usqve ad montium ima deſcenderunt: ex utraqve parte Ptolemæus Celenorum juga apud Lycaonas collocavit, & ſub iis Laodiceam combuſtam & Neapolim & Apolloniam. Lycaoniam beatus Bartholomæus in ſortem prædicationis accepit, qvamvis poſtea usqve ad Indos jubente ſpiritu profectus, ſacro martyrio vitam finierit. Atqve in hunc modum Galatia terminata eſt, cum qva & Paphlagones, & Mariandynos, & Lycaones, & Iſauros, & Piſides oſtendimus. Nunc Bithynia ſeſe offert.

## Cap. LIX.

### *De Bithynia ejusq; urbibus compluribus.*

LImites Bithyniæ ab oriente (ſicut Straboni videtur) Paphlagones & Mariandyni excipiunt & pars Epicteti: à ſeptentrione mare Ponticum, qvod ab oſtiis Sangarii usqve ad os Euxini tendit, qvod inter Byzantium eſt atqve Chalcedonem: Ab occidente Propontis: Ad auſtrum Myſia & Phrygia, qvæ dicitur Epictetus ſive Helleſpontia Phrygia. Nos in hac parte propriam Aſiam collocamus, eiqve Myſiam & Phrygiam adjecimus. Ptolemæus ad orientem Bithyniæ terminos usqve ad Parthenium flumen extendit: nobis Strabonem ſeqvi placet, qvi Sangarium amnem ab oriente confinium facit. In Bithynia urbs eſt Chalcedon, ſita in ore Ponti: Hanc Megarenſes condidere cæci appellati, qvi nunc potius oppoſitum littus elegere, in qvo jacet Conſtantinopolis optimo loco. Hic olim magna Synodus celebrata eſt, qvæ inter octo numeratur, qvibus Romana eccleſia præcipuum impartitur honorem. Chalcedonenſis agri fuit

Chryſo-

Chryſopolitanus vicus, & fanum in extremo angulo ad oſtium Ponti ſitum, ubi ſeptentrionale Euxini Ponti littus incipit, ad dexteram in orientem navigantibus. Flumina qvæ in eam partem labuntur nomen habent Pſillis & Calpas, & poſtremo Sangarius, cujus fontes apud Sangiam vicum reperiuntur centũ & qvinqvaginta ſtadiis à Peſſinunte: hic magnam Phrygiæ ac Bithyniæ partem percurrit, & Gallum in ſe amnem recipit, Modris Phrygiæ ortum, ex qvo auctus efficitur navigabilis. Poſt Chalcedonem ſeqvitur littus qvod Aſtacenum ſinum appellavere,& ad Propontidem pertinet. In eo condita fuit Nicomedia, dicta de nomine regis cujusdam Bithynii, qvi eam condidit: multi enim eodem nomine vocati ſunt, qvemadmodum Ptolemæi propter prioris claritatem. In hujus civitatis villa Magnus Conſtantinus obiit, qvi cum vellet in Jordane fluvio baptizari, atqve idcirco Hieroſolymam peteret, morte præventus ab Euſebio Nicomedienſi epiſcopo Arrianæ perfidiæ ſectatore baptizatus eſt, qvæ res Chriſtiani principis fidem apud plerosqve in dubium vertit. Nobis non eſt veriſimile, eum principem qvi per omnem vitam ſuam Arriani dogmatis hoſtis fuerat, in extremo ſpiritu ei dementiæ conſenſiſſe, qvàm ſummo ſtudio de ſuo imperio prius eliminaverat. Apud Nicomediam tempore Diocletiani Cæſaris ſæviſſima Chriſtianorum perſecutio viguit, multiqve ibi Chriſti martyres ſunt effecti. In hoc ſinu urbs fuit Aſtacus, qvæ illi nomen dedit. Megarenſes & Athenienſes eam condidere, Dedalſus ampliavit, Lyſimachus diruit, & habitatores ejus in Nicomediam tranſtulit. Huic ſinui alius continuatur ad orientem Solem recedens, in qvo Pruſias civitas fuit, qvæ Cius antea vocabatur. Cium Philippus diruit Demetrii filius & Perſei pater, deditqve Pruſiæ Zelæ F. qvi in hac diruenda & vicina urbe Myrlea ſocia arma præſtiterat. Ille eam excitans Cium qvidem à ſe Pruſiadem nominavit,Myrleam verò Apamiam, ab uxoris nomine. Hic eſt ille Pruſias, qvi poſt Antiochum ſuperatum, fugientem ad ſe Hanibalem hoſpitio ſuſcepit, qviqve ex Helleſpontia migrans Phrygia, ſecundum Attalicorum fœdera ceſſit eam. Priores parvam appellavere Phrygiam: poſtea Epictetam, id eſt, acqviſitam. Pruſiadi mons imminet, qvem Argantonium vocavere. Hoc in loco Hylam, unum ex ſociis Herculis, qvi etiam argonauta erat, cum aqvatum egrederetur,à nymphis captum finxerunt. Cius qvoqve Herculis comes à Col-

 chis

chis rediens, & in his locis residens, urbem de suo nomine condidit. Prusienses diu postea festa celebrarunt, in qvibus per montes vagi ac saltantes Hylam vocabant, qvasi in sylvas ad illum inqvirendum egrederentur: hi cum benevolè erga Romanos se gessissent libertatem obtinuere. Apamenses Romanorum coloniam acceperunt. Prusa urbs fuit in Olympo Mysio sita. Hanc Prusias condidit, qvi cum Crœso bellum gessit. Hinc ortus est Dion Philosophus, qvi de regno scripsit, & Trajani tempore claruit. Inter Phryges Mysosiac Bithynios determinare fines arduum est. Nam cum incolæ barbari & militares essent, & qvæ vicissent non firmiter tenerent, sed modo ejicerent, modò ejicerentur, conseqvens fuit sæpe mutari confinia. Strabo tamen inter Bithyniam & Æsepi ostium Mysiam posuit, & mari contiguam fecit, & usqve ad totum pene Olympum progredientem. Ptolemæus duplicem Mysiam minorem & majorem commemoravit & utramqve extra Bithyniam in Asia posuit, non procul ab Ida. Scylax Cariandrus dixit Phryges ac Mysios circa lacum Ascanium in Bithynia habitasse, Dionysius verò conditarum urbium scriptor ait, angustias, qvæ apud Chalcedonem & Byzantium mediæ sunt, olim Mysium Bosphorum nominatas fuisse: Homerus verò Æsepum Mysorum confinium dixit & Troum. Olympus autem Mysius in ipsa Bithynia assurgit, cujus latera versus orientem usqve ad Ascanium lacum Epictetus occupat, Epictetum verò aliam Mysiacam, aliam Phrygiacam dixere: Mysiaca Trojanis propinqvior fuit. Olympus in vertice sylvas habuit ingentes alendis latrociniis accomodatas, & loca optime septa: ex qvibus sæpe tyranni & prædones vicinas gentes infestavere: inter qvos fuit Cleon latro, Sigismundi Malatestæ, qvi nostro tempore proditorum princeps habetur, similis: qvi cum esset è vico Gordo, qvem postea augens urbem fecit, & Juliopolim appellavit, in initio prædonum receptaculo loco validissimo utebatur nomine Callidio. Is Antonio valde utilis fuit, nam profectus ad eos, qvi pro Labieno tributa colligebant, omnia impedivit, qvo tempore ille Asiam obtinebat. In Actiaco autem bello qvum ab Antonio descivisset, Cæsaris ducibus adhæsit, & supra qvam ejus meritum pateretur, in honore habitus est, & ultra munera ab Antonio data, accepit etiam qvæ Cæsar dedit, ita ut pro latrone principis habitum gereret. Idem ætate nostra fecit Jacobus Caudola, qvi centum millibus aureis emptus à Martini qvinti pontificis

tificis

tificis maximi nepotibus, mox novo auro inarrhatus, ad Eugenium pontificem maximum defecit, dicens, adeò se proditionibus auctum, ut proditorem se compellare nemo coram auderet. Cleon Jovis Abretanii sacerdos erat, qvem deum Mysii colebant, postea Comanorum sacerdotium in Ponto accepit, ad qvod cum venisset intra mensem obiit, ex nimia crapula morbo correptus. In eo fano prohibitus erat suillarum esus carnium, unde nec in totam urbem sus inserebatur: sed Cleon latronum morem ostendens, non ut sacerdos, sed ut corruptor primo ingressu consuetudinem prævaricatus est, atqve idcirco creditus est ira deæ percussus interiisse. Olympum in circuitu habitaverunt, à septentrione Bithynii, & Mygdones, & Doliones, reliqvum Mysii habuerunt, & Epicteti: qvidam verò Doliones eos dixerunt, qvi circa Cyzicum habitavere ab Æsepo flumine usqve in Ryndacum & Dascyliticum lacum: post hos Mygdones fuisse, usqve in Myrleanorum agrum: supra Dascyliticum lacum alios duos extitisse lacus, Apolloniaticum, & Miletopolitanum: Dascylium civitatem Dascylitico lacui nomen dedisse, & Miletopolim Miletopolitano: & Apolloniam (cujus Ptolemæus meminit) qvæ prope Ryndacum sita fuit, Apolloniatico: qvorum locorum maximam partem Cyziceni postea possederunt. Ejus Phrygiæ qvam Epictetum vocavere, & circa Olympum fuit, sex civitates nominavit Strabo, inter qvas Cados posuit, qvos qvidam ad Mysiam pertinere dixerunt. Mysiam in Mediterranea posuere, ab Olympina regione usqve in Pergamenam, & Caici campos descendentem: Ex qvo fit, ut manifestè ad Asiam propriam pertineat, extra Bithyniam sita.

## CAP. XL.

### *De Salone & Nicæa ejusqve figura.*

DEin Mediterranea Bithyniæ regio memoratur, Salon appellata, pascendis bobus idonea, unde etiam Salonensis caseus dictus est. Hic Nicæa Bithyniæ Metropolis juxta lacum Ascanium, & campus ingens & valde felix circumstat, æstate non admodum salubris.

bris. Nicæam primus Antigonus condidit Philippi filius, & Antigoniam nominavit: postea Lysimachus, à nomine uxoris Antipatri filiæ Nicæam appellavit. Urbis ambitus stadiorum sexdecim fuit, in figura qvadrata, qvæ in campo sita qvatuor habuit portas ad rectos angulos, ex uno lapide, qvi circa medium gymnasium positus erat, omnes qvatuor portæ cernebantur. Hic jubente Constantino famosa illa Synodus celebrata est trecentorum decem & octo episcoporum, & perfidum Arii dogma recisum. Petrus eremita, & Rainaldus Teutonicus, qvi Gotofredi in expeditione Asiatica fuere comites, in agro Nicæno duo oppida occupavere, Heregorgon ac Cynitum: sed Turcarum subita irruptione conclusi, Petrus per speciem legationis aufugit, Rainaldus cum aliqvot millibus, abnegata Christi fide, deditionem fecit: reliqvi omnes à Turcis trucidati sunt. Paulò post Gotofredus transmisso mari Nicæam circumsedit, & eam post dies qvinqvaginta obsidione pressam obtinuit, Turcis cum rebus & armis abire permissis: postea malè defensam iterum Turcæ occupavere. Hujus urbis ætate nostra pontificatum accepit Bessarion Græcus, qvem Eugenius Pontifex maximus inter Cardinales assumpsit, virum excellentem & moribus & literis: sed nunqvam plebem suam adiit, qvæ vel minima est hodie vel nulla. Ex lacu fluvius oritur, qvem pariter Ascanium prisci vocavere, is in Propontidem cadit. Apud eum Bursam esse tradunt nobile Turcarum emporium, & eorum qui sunt in Asia præcipuam regiam: paulo supra Ascanium lacum ad orientales Bithyniæ partes Otrœa civitas fuit. Ptolemæus Begdonis regionem apud Asiam propriam in Bithynia collocavit, Olympinis vicinam, & Thimuntis regionem ultra Nicomediam versus Pontum: & plurium locorum meminit, qvorum relatio lectori onerosa esset. Bithyniam prius Bebryciam fuisse dictam Julius Solinus affirmat, deinde Mygdoniam: postea à Bithynio rege Bithyniam & in ea Libissam lacum Nicomediæ proximum, sepulchro Hannibalis famæ datum: qvi ne traderetur Tito Qvintio, ob hanc causam in Bithyniam misso, captivusqve Romam duceretur, gustato veneno animam expulit, & à Romanis se vinculis morte defendit. Ex Bithynia fuerunt viri in disciplinis memorabiles Zenocrates philosophus, & Dionysius dialecticus, & Hipparchus, & Theodosius, &

filii

filii ejus mathematici, & Cleophanes orator ex Mirlea, & Asclepiades medicus Prusensis, & qvem paulò antè nominavimus Dion.

Asiam nunc minorem & propriam aggrediemur, huic septentrionem Bithynia claudit: Auroram modò Lycaonia & Pisidia exhibet: occiduas partes maria exterminant, qvæ à Propontide usqve in Cariam & Doricam extenduntur: In Austro Taurus occurrit. Rursus minorem Asiam in qvinqve alias partes subdividimus, qvarum prima major Phrygia erit, altera Mysia, tertia Troas, cum qva Æolis concurrit & aliqvanto major est: qvarta Ionia, qvinta & ultima Caria.

## CAP. LXI.

### *De Majori Phrygia, ejusqve urbibus, & qvomodo à Christo delapsi.*

MAjor Phrygia ab Epicteto incipit, & in Austrum vergens, ad Taurum usqve protenditur: sinistra Bithyniam & Pesinuntem relinqvens: à dextera Mysos, Mæonas, & Lydos, & Cares. Hæc partim montana est, partim campestris: nam & montes attingit, qvos Pisidæ obtinuere, qvibus propinqva fuit Apamia, qvæ Cibotus dicta est, & Laodicea, qvæ Phrygiarum urbium maximæ fuerunt. Sed in Cælenorum jugis, qvæ ad Lycaoniam pertinet, urbs fuit nomine Cælenis, qva destructa Antiochus Soter homines transtulit in eam, qvæ postea Apamia dicta est. Urbem appellavit de nomine matris Apamiæ Artabazi filiæ, qvæ Seleuco Nicanori nupta fuit. Urbs in ostiis Marsiæ sita fuit, qvi amnis mediam urbem percurrebat, ab ipsa ortum habens. Sed vehementi ac prono flumine in suburbanum delatus, in Mæandrum exonerabatur. Insigne hic emporium fuit, secundas post Ephesum ferens laudes, & commune Italicorum & Græcorum hospitium habuit. Non procul hinc lacus extat, qvi calamum gignit ad tibiarum linguas idoneum: hinc fabula conficta est de contentione, qvam cum Apolline Marsias habuit, & sunt qvi putant ab eo lacu Marsiæ & Mæandri fontes emanare. Laodicea cum prius parva esset, postea maximum cepit augmentum, qvamvis ab obsidione Mithridatis plurimum labefacta-

ta fuerit: nam loci virtus & cives qvidam fortunati, eam valde magnificarunt. Primum Hiero, qvi hæreditatem populo dimisit supra duo millia talentorum, & multis donis civitatem exornavit. Postea Zeno orator & Polemo ejus filius, qvi ob res fortiter gestas prius ab Antonio, postea ab Augusto ad regiæ dignitatis fastigium evectus est. Loca Laodiceæ proxima oves optimas ferunt, non modò lanæ mollicie, qva Milesiis præstant, sed etiam colore, unde magnos proventus asseqvuntur. In hoc tractu Caper & Lycus influunt in Mæandrum, & Laodiceam à Lyco dictam putant. Urbi mons imminet nomine Cadmus, ex qvo Lycus fluit, & alter eodem nomine, qvo mons appellatur: hic plurimum sub terram delapsus, postea erumpens in idem influit, in qvo alia flumina: estqve regio valde cavernosa & qvassabilis: nam & Laodicea & proxima ei regio plurimum terræmotibus concussa est. Apamia qvoqve ante Mithridaticum bellum sæpe terræmotibus afflicta fuit: rex verò cum urbem eversam videret, ut repararetur, centum talenta exhibuit. Dicunt & Alexandri tempore similia contigisse, qvibus ex rebus maxima apud eos in veneratione Neptunus fuit, putantqve à Celæno Neptuni filio ex Celæna una Danaidum procreato urbem appellatam, ex qva cultores in Apamiam translatos diximus. Inter Laodiceam & Apamiam lacus fuit pelagi magnitudinem habens, qvi cœnosam & supter errantem exhalationem emisit. Carura Phrygiæ Cariæqve confinium fuit: hic vicus diversoria habuit, & ferventes aqvas in Mæandrum exeuntes. Fama est lenonem cum magno scortorum grege in diversorio hospitatum, facto per noctem terræmotu, cum omnibus periisse: nam tota ferè regio circa Mæandrum terræmotibus qvatitur, & aqvæ & ignis ductibus pererratur. Inter Laodiceam atqve Caruram templum fuit mensis Carii appellatum, in maxima veneratione habitum, in qvo medicorum scholam Zeuxides construxit. Mæander igitur ex Cælenis ortus Caruram usqve per Phrygiam labitur, qvo in loco Lycum excipit, qvem possumus Phrygiæ Cariæqve limitem facere. Lysias præter montana regio & ipsa Phrygiæ datur. Hæc jugum qvoddam habet, qvod ab ortu in occasum vergit: huic planities utrinqve subjacet, & urbes fuere à septentrione Philomelium, & ex altera parte Antiochia juxta Pisidiam, qvæ partim in campo jacuit, partim in colle, & Romanorum coloniam admisit. Magnetes

tes prius eam habitarunt, qvi juxta Mæandrum fuere, Romani ex potestate regum eripuere, & libertate donarunt. In ea sacerdotium qvoddam fuit mensis Arcæi, qvod maximam sacrorum & servorum & locorum multitudinem habuit: sed post Amyntæ obitum, eversum est, ab his qvi in ejus hæreditatem missi fuerant: perraro enim religionis affectus ad hæredes transit. Ptolemæus Antiochiam, qvæ Philomelio opposita fuit, Lycaoniæ dedit. Synnada urbs non magna ad *Phrygiam* pertinebat, ante qvam planities jacuit oleis consita sexaginta ferè stadiorum. Ulterius magis ad septentrionem Docimia vicus fuit, in qvo Synnadicus lapis effodiebatur: sic enim Romani appellabant, indigenæ verò & Docimitem, & Docimeum. Vena à principio parvas glebas emittebat, postea propter maximos Romanorum sumptus columnæ integræ & ingentes extrahebantur, varietate Alabastro persimiles, multaqve hinc onera ad mare devehebantur, & columnæ ac lapideæ tabulæ magnitudine & pulchritudine admirabiles Romam deferebantur. Amorium qvoqve & Eumenium oppida in Phrygia fuere, & alia multa commemorat *P*tolemæus, qvorum insipida est absqve historia nominatio. *P*hrygiæ majori Midas imperavit, partem Galatæ tenuere: Regio Sipylo vicina ab antiqvis Phrygia dicta est, sed utrum majoris, an minoris Phrygiæ pars fuerit, incertum: Unde Niobem, & Tantalum, & Pelopem Phrygas dixerunt. Phryges Christianam fidem receperunt, & diu tenuerunt, sed emersit apud eos Montanus qvidam, qvi se *P*aracletum nominavit, gentemqve illam infecit, cum qvo mulieres *P*risca & Maximilla relictis viris suis incedebant, & illius inspiratione prophetistæ dicebantur, multisqve erroribus & *P*hrygiam & vicinas regiones impleverunt. Hæc de majori *P*hrygia, & Epicteto qvæ minor fuit jam diximus.

Mysiam duplicem esse dixere, alteram Olympinam, Bithyniæ & Epicteto continuam, cui cultores ab Istro venisse Artemidorus affirmat: alteram *P*ergamenam, qvæ ab Olympina in Caicum pergit. Harum circumscribere terminos operosum est, qvando & *P*hryges, & Lydi, & Mæones intermisti fuerunt, neqve separare eos facile est. Dicemus ergo de Mysis, Lydis, & Mæonibus simul, & unam ex omnibus provinciam faciemus, eamqve mediterraneam: qvæ ab Olympo & Bithyniæ finibus, usqve ad Ioniam versus meridiem protenditur: ab oriente majorem *P*hrygiam, ab occidente Trojadem relinqvens.

## Cap. LXII.

### *De Mysis, Lydis, & Mæonibus, qvomodo viri hi literati & ad Christum proni.*

MYsos alii Thraces, alii Lydos fuisse dixerunt: & qvoniam Lydi fagum acetosam (qvæ multa nascitur in Olympo) Mysam vocavere, ab eo Mysos dictos putarunt, qvibus sermo fuit ex Lydo Phrygioqve permistus, & hi circa Olympum habitantes usqve ad Caicum fluvium se extenderunt. Phryges verò ex Thracia profecti circa Trojam consederunt, & aliqvibus in locis commisti Mysis fuere, & aliqvando circa Cyzicum & Practium habitavere: postea mutantes loca, alii circa Olympum in Epicteto, alii magis versus meridiem & orientem sedes accepere, qvos majores Phrygas appellavimus. Hæc autem qvæ de Phrygibus Mysisqve memorantur, Trojanis temporibus antiqviora sunt. Intra Mysiam omnis ager continetur, qvi ab Olympo & Ida montibus usqve ad Caici fontes per mediterraneam protenditur, & qvoniam Lydi & Mæones inter Mysos computantur, ulterius in Austrum, usqve in agrum Fordicensem trans Hermum amnem & Laodiceam Caistrianam, Mysia excurrit, Bithyniæ nonnihil comprehendens, in qva est Olympus. In his termlnis mons Tmolus concluditur, & Simpylus, & combusta regio, & Theutranea, & Pergamenus ager, & Thebanus, qvi supra Adramytteum fuit: hunc propter fertilitatem prius Mysi ac Lydi, postea Græci infestaverunt, deinde Adramyttei obtinuerunt: & sunt qvi dicunt ipsum Adramytteum à Lydis fuisse conditum, in qvo & portæ fuerunt Lydiæ appellatæ. Astyram autem vicum Adramytteo propinqvum, non dubitarunt ad Mysiam pertinere, in qvo Astyræ Dianæ templum fuit, & lucus cui Antandrii religiosè præerant, qvorum civitas propinqva fuit. In mediterranea supra Antandrum & Adramytteum ad stadia circiter qvinqvaginta Theba fuit, qvam cinctam sylvis Homerus dixit: non procul ab Ida inter Thebam & Astyram sexaginta stadiorum spatium posuere, sed hæc nunc loca deserta sunt. Fuit & Lyrnessus locus natura munitus, stadiis octingentis ab Adramytteo distans, qvi prorsus corruit. Hæc loca Trojani belli tempore

pore Cilices tenebant, in duos divisi principatus, alterum Neetionis, alterum Mynetis. Neetioni Theba paruit, Myneti Lyrnessus. Chryseis Thebæ capta fuit: è Lyrnesso Briseis. Prope Thebam locus fuit Cilla appellatus, & Apollinis Cillei templum, & Cilleus fluvius, qvi ex Ida delatus Antandri perlabitur agrum. Inter Elæam Pitanamqve loca maritima, & Pergamum, qvæ mediterranea urbs est, Teuthraniam fuisse dicunt, distantem à qvalibet earum circa Caicum supra stadia septuaginta. Euripides fabulam scripsit in qva refert Aleum cum filiam Augeam ab Hercule corruptam reperisset, in urna qvadam cum Telepho filio impositam in mari demersisse: sed urnam Palladis providentia ad Caici ostia transmissam evasisse. Teuthrantem verò qvi Cilicum & Mysorum rex esset, cum eos excepisset, Augeam in uxorem, Telephum in filium habuisse: fabulosa & contemnenda, qvæ deorum tanqvam hominum stupra commemorant. Alii tradunt Arcadis filiam cum Mysorum rege congressam Telephum peperisse, qvi regno successerit, & Teuthrantem regioni Teuthraniæ nomen dedisse, qvæ Caico proxima est. Telephus ejus filius Eurypylum progenuit, qvem Neoptolemus interfecit, cum qvo Cetii corruerunt, à fluviolo Cetio nominati, qvi torrens similis in agro Elaitico exortus in alium similem incidit, & deinde in alium, qvi in Caicum devolvitur. Caicus autem non fluit ab Ida (ut aliqvi dixere) sed ex Temno monte, qvi in mediterranea Thebano campo imminebat. E Temno Mysius amnis fluit in Caicum emittens, sub fontes ejus, prope cujus ortum vicus Gergetha fuit, in qvem Attalus eos transtulit, qvi in Troade erant, cum locum eum cepisset. Eurypylum (cujus mentio facta est) in locis Caico proximis imperasse Homerus tradit: ob qvam rem credibile est, magnam Cilicum partem sub eo fuisse, & tres extitisse Cilicum principatus, qvamvis duo tantum commemorentur. Caicus amnis regionem valde bonam, & totius ferè Mysiæ optimam percurrit, cujus principatum Pergamum obtinuit.

## Cap. LXIII.

### *De insigni civitate, qvæ diu sub Attalicis regibus fortunata fuit.*

INsignis civitas, qvæ diu sub Attalicis regibus fortunata fuit, & postea Romanorum provincia facta est. Attalici reges à Philætero Tyanensi eunucho ortum habuere. Lysimachus Agathoclis filius, qvi unus fuit ex Alexandri successoribus, turbineum & acutum montem supra Pergamum communiit, & suos ibi thesauros posuit, qvorum custodiam Philætero tradidit, cum optimè esset educatus, & sibi charus: sed is cum ab Arsinoë Lysimachi uxore diffideret, qvæ eum accusaverat, tempus ad defectionem expectavit. Interea Lysimachus malo consilio ductus Agathoclem filium interfecit: Seleucus autem Nicator rursus illum sustulit, & ipse à Ptolomæo Cerauno sublatus est, & dolo interemptus. Inter hos tumultus eunuchus in arce se continens, nunc isti, nunc illi, qvem validiorem esse animadvertit obseqvens, viginti annis castellum & pecunias possedit. Duo ejus fratres erant, Eumenes natu grandior, & Attalus junior: ex Eumene natus est alter Eumenes, qvi Pergami successionem habuit, & Antiochum Seleuci filium apud Sardes prælio superavit, & cum regnasset annis viginti duobus, mortem obiit, cui successit Attalus ex Attalo & Antiochide Achei filia natus, qvi primo rex est appellatus, & prælio maximo Galatas superavit, & Romanorum amicus in classe Rhodiorum cum eis adversus Philippum pugnavit, obiitqve jam senior cum imperasset annis qvadraginta tribus, relictis qvatuor filiis ex Apollonide Cyzicena. Eumenes primogenitus regnum suscepit: qvi cum Romanis adversus magnum Antiochum, & adversus Perseum bellum gessit, & totam eam regionem à Romanis accepit, qvæ sub Antiocho citra Taurum erat, regnavitqve annis qvadraginta novem, urbem munivit, lucum Nicophorum sevit, templa construxit, & bibliothecas & palatia, & mirum in modum civitatem amplificavit. Imperium Attalo filio reliqvit, ex Stratonice Ariaratis Cappadocum regis filia nato, sed admodum puero: fratrem Attalum tutorem constituit, qvi viginti & uno annis regnavit, & adversus Demetrium Seleuci filium

cum

cum Alexandro Antiochi bellum gessit: contra Pseudo Philippum Romanorum socius fuit: Diegylin regem cepit, ducto in Thraciam exercitu: Prusiam interemit, præfecto illi filio Nicomede. Postremo Attalo, qvi sub tutela erat, urgente morte, reliqvit imperium. Is Philometor cognominatus, cum annis qvinqve regnasset, morbo decedens, Romanos hæredes instituit, qvi eam regionem in provinciam redegere: ut sunt res humanæ, qvæ parvis ex principiis, cum multum creverint, postea corruunt. Viri excellentes Pergami fuere, Mithridates Menedoti filius, & Adobogion ex Tetrarchia Galatarum stirpe genitus: qvi contracta Julii Cæsaris amicitia, ad id honoris pervenit, ut materni generis Tetrarcha & Bosphori rex efficeretur. Sublatus est autem à Lysandro, qvi Pharnacem regem occidit & Bosphorum occupavit. Apollodorus etiam orator Pergamenus fuit, qvi artes conscripsit, & Apollodoriam sectam introduxit, & Augusti Cæsaris magister fuit, & discipulum habuit memoratu dignum Dionysium civem suum cognomine Atticum, qui sermones & historias conscripsit. Attalus civis Pergamenus, Christi nomine in Gallia martyrium pertulit, & in ipsa Pergamo complures occisi sunt, Christum Deum esse confessi, inter qvos Papirius & Carpus, & Agathonica optima fœmina martyrii coronam acceperunt. Progredienti ad urbem, orientem versus, urbs Apollonia fuit, in loco edito imposita: ad sinistram Caici fluminis partem, urbem Tyatiram commemorant, Macedonum habitationem, qvam nonnulli Mysorum ultimam dicunt. Hic una fuit ex septem ecclesiis, ad qvas Joannes Apostolus scripsit Apocalypsim. Ulterius ad meridiem Hermi campus occurrit, & Sardis olim urbs magna, posterior Trojanis rebus, antiqva tamen, qvæ promontorium munitissimum habuit, & Lydorum caput fuit: Tmolus ei imminebat mons felix, qvi speluncam in vertice habuit albi lapidis, à Persis conditam: ex qva circumstantes spectabantur campi usqve ad Caystrum. Lydi, & Mysi, & Macedones circum habitavere. Pactolus à Tmolo multa olim auri ramenta deferebat, ex qvo præclaras illas Crœsi & majorum divitias ferunt, nunc auri vena defecit. Pactolus in Hermum defertur, & Hylas, qvi postea Phrygius dictus est. Nonnulli Hermum initium esse Mysiæ dixerunt: è monte Dindymenæ sacro per regionem exustam in Sardianum agrum & mare defertur.

fertur. Urbi Sardianæ planicies ſubjacuit, & Cori, Hermi, & Cayſtri campi, qvi continui ſunt, & camporum omnium optimi.

## Cap. LXIV.

### *De Sardenſibus, & viris apud hos excellentibus, de Troade, & ad hanc pertinentibus urbibus.*

QVadraginta ſtadiis ab urbe lacus fuit, qvem Homerus Gygæum appellavit, poſtea Coloë dictus eſt, ubi Coloëna Diana venerationis maximæ templum habuit. Circa Coloen antiqva regum monumenta fuere: apud Sardes verò Halyattis ingens tumulus ſuper excelſa crepidine, cujus maximam partem ancillæ perfecerunt, qvæ (ut Herodotus ait) omnes meretricabantur: qvidam meretricis monumentum hoc fuiſſe dicunt. Calliſthenes ait: Sardes prius à Cimmeriis captam, poſtea à Treribus ac Lyciis: deinde à Cyro & à Crœſo: exin civitas hæc ob loci virtutem ita inſtaurata eſt, ut nulli finitimarum cederet. Imperante Tiberio Cæſare multa ejus ædificia ex terræmotibus corruerunt, ſed imperator & hanc & multas alias ſuo beneficio reparavit. Viri memorabiles ex Sardis fuere, duo Diodori oratores, qvorum natu grandior cognomento Zonas, multa certamina pro Aſia concertavit: accuſatus autem qvod civitatem ad Mithridatis amicitiam pelliceret, habita excuſatione, omnes calumnias diluit. Junior Diodorus Straboni amicus fuit, & hiſtorias ſcripſit, & poëmata, qvæ antiqvis non cederent. Xanthus rerum ſcriptor antiqvus, Lydus fuit, an Sardianus, incertum eſt. In Sardis eccleſia fuit una ex ſeptem Aſiæ, qvarum Joannes meminit. Melito Sardenſis eccleſiæ antiſtes, pro Chriſtiana fide multa ſcripſit, & Apologeticos libros imperatoribus miſit, qvi propter regnum Dei eunuchus effectus, & ſpiritu ſancto plenus, apud ſuam plebem qvievit. *P*hiladelphia qvoqve, qvæ ad Myſos pertinuit, urbs terræmotibus concuſſa, cujus incolæ magna ex parte in agris degebant, non tamen magnopere agriculturæ ſtudebant, qvamvis terram haberent fertilem. In hac etiam urbe una ex ſeptem

ſeptem eccleſiis & Chriſti ſacra recepit. Supra Philadelphiam orientem verſus exuſta regio patet, ſtadiis longa qvingentis, qvadringentis lata: qvam alii Mæoniæ, alii Myſiæ dedere. Nullæ hic arbores inveniuntur, præter vitem, qvæ exuſtum vinum fert, ita elegans, ut nulli cedat. Summa camporum facies cinerulenta eſt, montana, petroſa, & nigra: qvidam ex crebro fulminum ictu id contigiſſe arbitrantur, nec dubitant, qvæ de Typhone dicuntur, hoc in loco fabulari: ſed credibilius eſt ſubterraneum ignem, qvi poſtea defecerit, regionem exuſſiſſe. Tmolus coactus eſt & ambitum mediocrem habet, atqve in ipſis Lydiæ partibus terminatur. Lariſſa, qvæ in agro Epheſio collocatur, & in campo Cayſtrano ſita, Tmolo qvam Epheſo vicinior, ſub mœnibus fuit. Epheſii enim multos ex agro Mæonio abſciderunt, qvos poſtea Lydos appellavere. Sipylum montem & regionem qvæ circa eſt, qvidam majori Phrygiæ dederunt, qvidam minori, nos Myſiæ apponimus. Sub eo Magneſia fuit Hermo vicina, quam terræmotus dejecit. Altera eſt apud Mæandrum, de qva poſtea dicemus: tantum eſt qvod de Myſis ac Lydis explicare placuit, qvamvis etiam inter Cares & majores Phrygios, usq; ad Taurum, Lydorum Myſorumqve nonnulli concurrerint. Troas fama percelebris Myſiæ ad occidentem ſubjacet, tota mari expoſita: Homerus ab Æſepo usqve ad Caici fluminis oſtia ejus fines produxit, Eudoxus à Priapo fecit initium, Damaſtes à Pario, Charon Lampſacenus à Practio, Scylax Cariandius ab Abydo: tanta veterum diſcordia fuit, ut Strabo refert. Nobis Homeri limites placent, ſed addimus id terræ ſpatium, qvod ab oſtio Ryndaci fluminis eſt, usqve ad Æſepum, ut oram Cyzicenam includamus, qvam Ptolemæus propriè Aſiæ dedit, qvi etiam minorem Phrygiam Troadi commiſcuit: nos eam Bithyniæ applicavimus, Olympo Myſiæ adjacentem: ſed qvoniam Æolis Troadi permiſta fuit, eaqve usqve ad Hermum fluvium percurrebat, non ab re fuerit ad eundem limitem meridiem verſus extendere Troadem, ut inde Ryndaco, hinc Hermo claudatur: qvamvis nonnulla Joniæ loca ad dexteram Hermi jaceant. A Ryndaco igitur incipiemus, qvi Troadis terminus eſt ſeptentrionalior. Hic fluvius ex Azanitide regione, qvæ Myſorum fuit, ortum habet, & per Miletopolitanum & Apolloniaticum agrum decurrit, aſſumptisqve cum aliis, tum etiam Maceſte, ex Abretana Myſia, in Propontidem

tidem juxta Besbidim insulam emittit, qvæ Cyzicenorum fuit, & montem habuit arboribus plenum nomine Artacem. Non procul hinc Cyzicus insula fuit, qvingentotum ferè stadiorum ambitu, admodum ferax, & duobus pontibus juncta continenti, qvæ juxta pontem ejusdem nominis urbem habuit, & portus duos clausos & navalia. Pars urbis in planicie jacuit, pars monti adhæsit, qvi Ursorum appellabatur, cui mons alius imminebat Dindyma nomine, unicum habens verticem, in quo Dindymenæ matris Deum (ut erat stulta gentilitas) Argonautæ delubrum ædificaverunt. Civitas & magna fuit & pulcherrima & optimis instituta legibus & paci & bello aptissima, in qva tria fuerunt armamentaria, aliud armorum, aliud instrumentorum, aliud frumentorum, qvæ ne corrumperentur, chalcidica terra præstabat. Mithridates cum centum qvinqvaginta millibus hominum, & multo eqvitatu hanc urbem obsedit, cujus impetum Cyziceni cum qvadringentis navibus perfregerunt, ipsumqve prope in cuniculo oppresserunt contra effodientes. Lucullus auxilia obsessis misit, & pestis adjumento fuit, qvæ regem multis suorum amissis discedere coegit. Romani liberam civitatem dimiserunt, & multum agri ei addiderunt, cum ex Troadis regione, tum ex aliis. Nam & ad Rhyndacum, & Æsepum Cyzicenorum ager protendebatur. Nunc qvid sit Cyzicus nobis non satis constat, adeò claritatem rebus adimunt tempora, & nos humunciones diuturnam qværimus in hoc seculo gloriam, qvam potentissimæ civitates retinere non potuerunt A Cyzicena regione, & locis Æsepo & Granico vicinis, usqve Abydum Propontidis ora producitur, qvæ ad Troadem pertinuit: ex Abydo verò usqve Lectum promontorium & Ilium & Tenedi, & Trojanæ Alexandriæ regio fuit. Hisqve omnibus Ida imminebat: à Lecto usqve ad Caicum complura alia loca fuerunt, qvibus ex adverso Lesbiorum insula consurgit, qvæ omnia Trojanorum fuere, per principatus octo vel novem administrata, qvibus post deletum Ilium Æoles sese immiscuere, à Cyziceno agro usqve ad Caicum Troadis terminum. Sed Æoles ulterius processere usqve ad Hermum, Cumanum agrum & Phocensem occupantes, ubi Joniæ fuit initium. Dicunt autem Æolicam coloniam qvatuor seculis antiqviorem esse Jonia. Penthilus Orestis filius annis sexaginta post Trojam captam, patre suo in Arcadia mortuo, in Thraciam processit, qvo tempore

Heracli-

Heraclidæ in Peloponnensum rediere. Deinde Archelaus Penthilo natus, cum Æolica classe in Cyzicenam regionem trajecit: Graus verò filius junior, usqve ad Granicum fluvium profectus est, qui ab eo nomen accepit, & deinde in Lesbum insulam transmisit eamqve occupavit. At Clebas Dori filius & Malaus, qvi & ipsi Agamemnonis genus fuere, eodem tempore qvo Penthilus exercitum contraxere, sed circa Locrensem agrum & Phritium montem diu commemorati, postea in Asiam transgressi Cumam condidere, qvam Phritioniam vocavere. Penthili classis transitum ex Thracia anticipavit, Æolesqve per totam Troadem dispersit, atq; idcirco Æolis & Troas simul accipitur. Ida mons altissimus ad Troadem spectat, habetqve multos pedes, latus ejus septentrionale ex angustiis Abydi usqve ad Stesepum & Cyzicenum agrum, ad Propontidem pertinet, & circa Zeliam finitur: occidentale, ad Hellespontum respicit: Australe, promontorium facit, qvod Lectum appellatur, parvo freto à septentrionali parte Lesbi insulæ disjungitur: orientalia Idæ ad Mysos declinant. Primus è mari exitus in Idam ascendentibus apud Lectum fit, abundatqve mons aqvis, & multa flumina ex eo descendunt, in cujus summitate locus fuit Gargarus appellatus, à qvo Gargara Æolica civitas dicta est. Zelia in extrema Idæ prætermontana fuit, distans à Cyzico stadiis centum & nonaginta, à proximo mari, in qvod Æsepus emittit stadiis octoginta. Circa Zeliam Tharsius effluebat amnis, qvem viginti locis ea via pertransibant. Prope Æsepi ostia tumulus qvidam fuit, in qvo Memnonis sepulchrum ostendebatur, ejus qvem Titoni filium dixere, & proximus Memnonis vicus. Inter Æsepum & urbem Priapum Granicus effluxit amnis, magna ex parte per Adrastiæ campos delatus, ubi Alexander Darii satrapas prælio superavit, totamqve regionem cepit, qvæ inter Taurum erat & Euphratem Ad Granicum urbs fuit & regio, nomine Sidena, sed urbs diruta jacet. In Cyziceni & Priapeni agri confinio Harpagia fuit locus, ex qvo Ganymedem gentilis theologiæ dedecus atqve infamiam raptum dixere, qvod alii circa Dardanium promontorium contigisse arbitrantur. Priapus ad mare jacuit, & portum habuit, cultores ejus alii Milesios dixerunt, alii Cyzicenos: Priapus ei nomen dedit, qvem cives tanqvam Liberi patris filium & nymphæ colebant. Lactantius Fir-

mianus obscœnam causam refert, propter qvam matronæ Priapum in exilium actum colere cœperint. Circumvicina regio Adrastia vocabatur, ab Adrasto rege, qvi primus Nemesi, id est Fortunæ templum ædificavit, Adrastiamqve vocavit. Romani qvoqve huic deæ templa dicavere, stulti, qvi substantiam esse aliqvam fortunam putarunt, regnorum & opum dispensatricem, qvæ solius dei nutu huc atqve illuc transferuntur.

## Cap. LXV.

### *De Adrastia, & qvomodo homines cum serpentibus cognationem habere dicantur.*

ADrastia civitas inter Priapum & Parium fuit, qva diruta lapides transvecti sunt, & ibi ara ædificata Hermocreontis, opus magnitudine memorabile. Parium ad mare situm fuit, & portum habuit majorem qvam Priapus: cives Attalicis regibus paruere, qvorum favore multum agri Priapensibus absciderunt. Hic genus hominum fuit, qvos Anguigenus vocavere, & cognationem qvandam cum serpentibus habere crediderunt: qvorum mares proditum est serpentum morsibus fuisse remedio, si eos continuo attigissent, ac primo livorem transtulisse, postea tumorem ac dolorem sedasse. Auctorem gentis heroem qvendam tradidere ex serpente immutatum, ut est antiqvitas fabulosa. Vis ea aliqvandiu in genere mansit, qvemadmodum in Calabria fama est de iis, qvi ex progenie scilicet Pauli appellantur. Nam & hos mederi serpentum morsibus affirmant. Parium Milesii, & Erythræi, & Parii condidere. Ex Pario fuit Neoptolemus cognomento glosographus, vir memoratu dignus. Pyihta apud Pythiadem Parianæ regionis fuit, & montem Pythium imminentem habuit, inter Parium & Priapum sita, juxta Linum, qvi locus ad mare fuit, ubi cochleæ Linusiæ appellatæ optimæ omnium capiebantur. Claritas loco ab irritamento gulæ tradita est. E Pario Priapum naviganti antiqva Proconesus occurrit, & nova, qvæ civitatem habuit, & albi lapidis largam venam apprime laudatam,

tam, unde Cyzicenorum opera pulcherrima extructa fuerunt. Hic fuit Aristeus carminum poëta vir facundis blanditiis vehemens. Rheæ montes alii Zeliæ vicinos putaverunt, alii Lampsaco ad qvadraginta stadia. In his Thera fuit, prima Lydorum regia, postea Persarum, nunc ignota est, & sine nomine jacet. Fuit & templum matri deorum sacrum, qvod Rheæ vocaverunt. Urbs Lampsacus ad mare jacuit, & portum habuit optimum, sicut Abydus, à qva distabat centum & qvinqvaginta stadiis, Pityusa prius appellata. Xerxes hanc urbem Themistocli in vinum dedit, nam tota hæc regio & Pariana vineis abundavit. Hinc fortasse temulenta matronarum turba, & Veneri dedita, Priapi cultum invenit. Lampsacus Calliopoli opponebatur, qvadraginta stadiis ab ea distans. Inter Lampsacum & Parium urbs fuit & Pesus flumen: urbe diruta *Pesini* Lampsacum migravere, cum & ipsi Milesiorum coloni essent, qvemadmodum & Lampsaceni. In agro Lampsaceno locus fuit Gergethium appellatus vineis consitus, & civitas Gergetha à Gergethis dicta, qvi in Cumano erant: ex Lampsaco fuit Charon historicus, & Adimanthus, & Anaximenes, & Metrodorus Epicuri sodalis, ipsum etiam Epicurum qvodammodo Lampsacenum dicunt, ut Lampsaci versatum, atqve Leontei & Idomenei amicitia usum, qvi primi erant in ea civitate: nec alienum est voluptatis laudatorem eam civitatem amasse, in qva vinum erat optimum, sine qvo languida voluptas est. Ex hoc loco Agrippa leonem, qvi corruerat transtulit, Lysippi opus: eumqve collocavit in luco, qvi inter lacum & Euripum erat. Lampsacus & Parius Trojanis temporibus nondum erant, sed Arisbe in his locis fuit propè Seleentem amnem. Asii Hyrtacidis regia fuit, & Practius amnis & urbs sub Asio: sed hæc loca prorsus defecere cum tempore, qvod omnia vorat: post Lampsacum Abydus fuit, qvam Milesii condidere, Gyge Lydorum rege permittente, qvi totius Troadis imperium habuit: & ab eo promontorium qvoddam juxta Dardanium Gygas appellatum est, & in ore Propontidis jacet, & Hellesponti, æqvali spatio à Lampsaco & Ilio distans, per stadia circiter centum & septuaginta. Hic est illud septemstadium mare, qvod Asiam dirimit ab Europa, à Xerxe ponte junctum: Abydus in Asia, & Sestus in Europa, triginta stadiis inter se distabant à portu in portum: locus pontis paululum ab urbibus digredienti versus Propontidem fuit. Thraces post res Trojanas Abydum

habitavere, deinde Milesii. Sed qvum Darius Xerxis pater è Scythia rediens, Nomades adversus se transitum parare intellexisset, ne urbes inimico exercitu commeatum præberent, multas earum concremavit: Inter qvas & Abydus passa incendium. Sæpe enim suis urbibus plus domini qvàm hostes nocent. Abydeorum regioni Astyra imminebat, urbs diruta, qvæ olim suis legibus vixerat, & auri metallis abundaverat, qvæ postea consumpta sunt. Abydus ab Æsepo distabat septingentis stadiis, recta tamen navigatione paucioribus: totumqve hoc spatium Troadis ad Propontidem respicit. Hinc Hellespontus incipit, & Iliensia seqvuntur, qvæ extra Abydum sunt Austrum versus, cum cætera maritima usqve Lectum, qvibus mediterranea Trojani campi, & Idæ prætermontana adjungimus: post Abydum promontorium Dardanium occurrit, & civitas Dardanum septuaginta stadiis ab Abydo distans, & Rhodius amnis: qvem alii in Æsepum emittere tradunt, alii per se in mare putant exonerari.

## Cap. LXVI.

### *De Dardania.*

Dardanum prisca res adeò spreta fuit, ut sæpe reges alii eam Abydum transtulerint, alii rursum in pristinam conditionem habitaverint. Cornelius Sylla & Mithridates Eupator, ut bellum dissolverent, hoc in loco convenerunt. Non procul hinc Hectoris lucus fuit in loco conspicuo, deinde lacus Ptheleus, & urbs Rhœtejum in colle sita, & regio littoralis Rhœtejo continua, & Ajacis tumulus; & templum, & statua, qvam ab Antonio ablatam & in Ægyptum asportatam, Augustus Cæsar sicut pleraqve alia restituit Iliensibus. Post Rhœtejum Sigæum urbs fuit, & navale, & Achivorum portus, & Achaica castra, & lacus, qvi Os dicitur, & Scamander in campo concurrentes multum devehunt, & maritimam oram exaggerantes, ore obstructo, maria stagnantia, & loca palustria efficiunt. A Rhœtejo usqve Sigæum & Achillis tumulum recta navigantibus stadia intercedunt septuaginta, totaqve hæc ora novo Ilio subjacet, duodecim ferè stadiis ab eo distans, juxta Achivorum portum, à priore autem aliis triginta stadiis. Ad partem qvæ est Idam versus Achilles tem-

templum habuit, & tumulum juxta Sigæum, Patroclus & Antilochus tumulos, qvibus omnibus & Ajaci ſacrificabant Ilienſes, tanqvam dii eſſent, qvi homines fuerant, & qvidem ſanguinarii. Herculem non colebant, cauſam aſſerentes, qvod is urbem fuerit depopulatus. Sed aliud in cauſa eſſe oportuit, ſiqvidem Achillis & ſociorum opera urbs funditus corruit, & Hercules parvam civitatem diripuit, qvi cum ſex tantum navibus & paucis viris potitus eſt victoria. Græci qvi cum Achille fuerunt, magnam & præclaram urbem delevere. Nam Priamus ex parvo magnus, & rex regum effectus erat. Paulum ab hac ora progredienti Achejum fuit, & ad ulteriorem Tenedorum regionem pertinuit: hæc omnia ad mare ſita erant, qvibus Trojanus campus imminebat, usqve ad Idam ſtadia plurima aſcendens orientem verſus. Hujus prætermontana perangusta qvidem partim ad meridiem extenſa, usqve ad loca qvæ apud Scepſim erant: partim ad Septentrionem, usqve Lycios, qvi juxta Zeliam habitabant. Hanc Homerus ſub Ænea & Antenoride poſuit, Dardaniamqve vocavit: qvod nomen & urbi dedit & regioni: ſed urbis nec veſtigium qvidem extat. Plato poſt diluvium tria hominum genera fuiſſe putavit. Primum ſimplex & agreſte, eorum qvi aqvas formidarent, & montium cacumina incolerent. Secundum, eorum qvi plus aliqvid audebant: & in ipſis montium radicibus habitabant. Tertium eorum qvi omni ſemoto metu, in patentes campos exiere. Et has differentias ab Homero traditas dixit, qvi pro primo exemplo Cyclopeos poſuit, fructibus ſponte naſcentibus utentes, & montium cacumina in ſpeluncis habitantes. In ſecundo Dardanum, qvi Dardaniam ædificavit anteqvam Ilium conderetur. In tertio Ilum, qvem Ilii conditorem tradunt. Unde par eſt eum in medio campo ſepultum eſſe, qvoniam prior auſus eſt in campis habitare: poſſent & plura hominum genera inveniri, eorum qvi vel in littore maris, vel inſulis habitarent. Sed nec omnino auſus eſt Ilus, qvi non ad mare, ubi novum fuit Ilium, ſed ſuperius triginta fere ſtadiis ad orientem Idam & Dardaniam verſus, urbem condidit. Poſt Dardaniam Cebrenia occurrebat, magna ex parte campeſtris, qvæ qvodammodo pariter cum Dardania progrediebatur, & in ea urbs Cebrena. Demetrius usqve huc Ilii agrum Hectori ſubditum pertendere arbitratus eſt, progredientem à navali usqve in

Cebre-

Cebrenam, ibiqve Alexandri & Oenones ſepulchrum oſtendi, qvam dicunt Alexandri uxorem fuiſſe, priusqvam Helenam raperet. Cebreniam verò Scepſim usqve procedere, & eorum confinium eſſe Scamandrum. Cebrenos cum Scepſiis ſemper inimicitias exercuiſſe, donec Antigonus eos in Antigoniam tranſtulit, qvæ poſtea Alexandria dicta eſt: & Cebrenos cum aliis Alexandriæ remanſiſſe, Scepſios Lyſimacho permittente domum rediiſſe.

## Cap. LXV.

### *De Ilio duplici, de Ida & ejus fluminibus, deqve pinu qvæ mira magnitudine pulchra eſt cognominata.*

SEd qvoniam Ilienſia jam attigimus, qvæ toto orbe decantata ſunt, monſtrandum eſt qvo in loco fuerit Ilium, pro qvo Græci decertavere, & de qvo ſcripta eſt Ilias Homeri. Dictum eſt Idam montem Helleſponto imminere, in qvo multæ convalles exiſtunt, & multi colles ab eo derivantur, nec pauci amnes deſcendunt ex eo: duo flexus, tanqvam duo cubiti, ad mare decurrunt, alter Rhœtejum, alter Sigæum verſus atqve dimidiati circuli lineam afficiunt, duodecimqve fere ſtadiis in planicie procul à mari deſinunt. Duplex Ilium antiqvi commemorant, alterum inferius intra dictorum flexuum finem, alterum ſuperius intra initium. Interius Simoiſius campus comprehendebatur per qvam Simois ibat: & Scamandrius, per qvem Scamander: atqve hunc proprie Trojanum campum appellavere, & Homerus maximam certaminum partem hoc in loco factam oſtendit: nam & latior eſt, & loca hic celebrata fuerunt, & flumina Simois, & Scamander, qvorum alterum Sigæo, alterum Rhœtejo proximum in conſpectu inferioris Ilii concurrunt: poſtea Sigæum delata lacum efficiunt, qvi Os dicitur: utrosqve campos, alterum ab altero ingens qvidam collis dictorum flexuum dirimit, qvi ab inferiori Ilio incipiens, & ei conjunctus, uſqve in Cebrenam tendit, ſuper qvo alterum Ilium fuit, qvod ſuperius appellavimus, diſtans ab inferiori ſtadiis triginta. Ulterius decem ſtadiis Caliconam tu-

mulum

mulum qvendam fuiſſe tradunt, juxta qvem ad ſtadia qvinqve Simois labebatur. Caliconia verò ſtadiis qvadraginta ab inferiori Ilio diſtabat. Erat & Tymbra campus Ilio ſuperiori proximus, & Tymbræus fluvius, qvi per eum ad Apollinis Tymbræi templum fluebat in Scamandrum. Superius Ilium qvadraginta duobus ſtadiis à mari aberat: Inferius duodecim. Hoc antea vicus fuit, quia Palladis templum habuit, qvod Alexander, ex victoria apud Granicum habita rediens, magnificis donis exornavit: & arbitratus illic Priami ſedem fuiſſe, vicum appellari urbem juſſit, & ut ædificia repararentur, curatoribus mandavit, ac liberam & immunem cenſuit, ſubactisqve Perſis facturum ſe majora promiſit. Erat enim Homeri ſtudioſus & propter Æacidarum cognationem, qvi Moloſſis imperarunt, apud qvos regnavit Andromache Hectoris uxor, erga Ilienſes magnopere affectus. Poſt ejus obitum Lyſimachus urbis cura ſuſcepta delubrum conſtruxit, & murum ad ſtadia qvadraginta circumduxit, ac vicinas & antiqvas urbes in eam habitatum deduxit, qvæ jam erant labefactatæ. Sed cum Romani Aſiam ingreſſi magnum Antiochum ejecerunt, collapſa erant Lyſimachi mœnia. Extabat tamen vicus, urbis amplitudinem habens. Demetrius Scepſius inqvit, cum adoleſcens in eam urbem peregrinaretur, adeo neglectam vidiſſe, ut coctiliciis tectis careret. Hageſianax ſcribit Gallos ex Europa transgreſſos, tutelæ gratia in urbem transcendiſſe: ſed eam ſine mœnibus repertam, illico reliqviſſe: poſtea multum reparata fuit, & deinde à Romanis, qvi cum Fimbria erant, labefactata. Fimbria qvæſtor cum Valerio Flacco conſule adverſus Mithridatem miſſus orta ſeditione conſulem in Bithynia occidit, & exercitu potitus Ilium venit: unde cum tanqvam latro excluderetur, admoto ad urbem exercitu, undecimo die eam cœpit. Sed glorianti qvod tam cito urbem cepiſſet, qvam vix anno decimo cum mille navibus ex tota Græcia ceperat Agamemnon, reſpondit qvidam ex Ilienſibus: Non enim Hector aderat, qvi pro civitate pugnaret. Sylla verò cum Fimbriam ſuſtuliſſet, Mithridatemqve domum cum qvibusdam conditionibus remiſiſſet, Ilienſes multis beneficiis ſolatus eſt: deinde Julius Cæſar maximam de his curam ſuſcepit, Alexandrum æmulatus, cujus erat amantiſſimus, & certiſſima cum Ilienſibus ſigna cognationis habebat, tanqvam Romanus. Romani enim autorem generis ſui Æneam putaverunt.

taverunt. Julius ab Julio qvodam viro ex progenitoribus & ille ab Julo cognomen hoc habuit, qui unus fuit ex posteris Æneæ, qvem Vergilius filium fuisse testatur. Regionem itaqve eis tribuit libertate & immunitate servata, in qvibus diu permansere. Sed hoc non fuit Ilium Homericum, qvod Græci everterunt. Illud enim qvadraginta duobus stadiis (ut antè diximus) à mari distabat, hoc duodecim, cum Alexandri jussu reparatum est, & campus ante urbem fluminis aggestio erat, qvem Trojani tempore belli multo minorem esse oportuit, nec poterant tam brevi spatio inter urbem & mare Homerica prælia fieri, neqve urbs in hoc loco propter perpetuum jugum circuiri poterat, Homerica verò poterat. Multa præterea ex Homero colliguntur, qvibus palam fit Hectoreum Ilium superius fuisse, cujus Alexandro aut Julio imperante, nullum extabat vestigium. Nam vicinæ urbes vastatæ, non prorsus erutæ. Exusto Ilio lapides inde ad instauranda sua mœnia transtulerunt. Ito nunc & in rebus humanis spem ponito, aut te diu mansurum credito, qvando Ilium ingens, & totius Asiæ columen adeò extinctum est, ut neqve cadaver inveniatur, & dubium sit, qvo in loco tanta gloria fuerit. Sunt qvi putant reliqvias Iliensium noluisse super ruinis antiqvæ urbis novum Ilium ædificare, existimantes locum eum, in qvo prius fuerat inauspicatum esse, & calamitatibus obnoxium, vel qvod Agamemnon antiqva consvetudine eum fuerit execratus, & sunt qvi urbem hanc multa loca mutasse tradunt. Postremo juxta mare in loco, qvem designavimus, ex oraculo constitisse. Neqve ab initio urbs fuit, sed multis annis vici formam habuit, & paulatim (ut diximus) crevit. Hellanicus volens Iliensibus gratificari, concessit novam & antiqvam urbem eandem fuisse, qva deleta, qvi Sigæum & Rhœteum habitabant, regionem inte sese diviserunt, ea autem restituta omnia reddiderunt. Sed hic non satisfacit his, qvæ ab Homero sumpta contrarium svadent: vicum postea in eo loco ædificatum dicunt, in qvo vetus Ilium fuit, & Trojanorum regia, ex qva originem cuncti se ducere jactitant, qvi nobilissimi videri volunt: nam & Franci & Angli, & alii complures hinc majores suos venisse tradunt. Sed Romanorum genus ab Ilio profectum multi autores prodidere, qvibus fides habenda est.

## CAP. LXVIII.

### *De Ida & ejus fluminibus, deq; pinu, quæ mira magnitudine sua pulchra est cognominata.*

SUpra Ilium Idam esse diximus, qvem multi fontem appellaverunt, propter fluminum multitudinem ex eo cadentium, præsertim ubi Dardanica regio ei subjacet usqve Scepsim & Iliensia. Demetrius collem qvendam Idæ esse dixit, nomine Cotillum, ultra Scepsim ad centum & viginti stadia, ex qva Scamander, & Granicus, & Æsepus fluunt. Sed hi ad septentrionem & Propontidem tendunt manantes è pluribus fontibus, Scamander ad occasum ex uno fonte, cursus Æsepi qvingentis ferè stadiis terminatur. In Scamandrum Andrius influit, ex qvadam Caresinæ montana regione, compluribus vicis habitata, & optime culta, qvæ Dardaniæ adjacebat, usqve ad loca Zeliæ, & Pityjæ finitima: eam regionem à Careso flumine dictam putant. His in locis & Rhesum fluvium posuere, qvi postea Rhoites dictus est, & in Granicum influit, Septemvadus ab Homero vocatus, qvia septies pertransitur, in locis pulchræ Pinui finitimis: digna fuit arbor qvæ nomen haberet. Attalus, qvi primo regnavit in Attalica gente, ambitum ejus fuisse pedum viginti qvatuor scripsit, altitudinem à radice sexaginta & septem, postea in tria scissam æqvaliter in se distantia, & iterum in unum apicem cohiberi, totam ejus altitudinem duorum jugerum, & qvindecim cubitorum spatio contineri, distantem ab Adramytteo stadiis centum & octuaginta, septentrionem versus. Nunc nulla est, habent & arbores suam mortem, aut percussæ cadunt, aut suo tempore arescunt. Nihil est in terra non mortale. Caresus à Malunte fluit, qvi locus inter Palæscepsim jacuit & Achæum: ulteriores Tenediorum agri. Immittit autem in Æsepum Rhodius, qvi fluit in Ænium à Cleandria & Gordo descendens, qvæ loca sexaginta stadiis à pulchra Pinu distabant, in Æsepi convalle, qvæ à sinistra cursus ejus est. Polichna locus munitissimus fuit, deinde Palæscepsis, mox Hallazonium, qvod Amazonum fabulis applicatum est. Postea Caresus urbs deserta, & Caresina regio, & amnem ab eo dictum qvod vallem ingentem efficit, minorem tamen

ea, qvæ Æſepi eſt. Deinceps Zeliæ ſeqvuntur campi, & loca collibus plena, & olim optime culta. In Æſepi dextera Argentariæ fuerunt, apud novum vicum Polichniæ & Palæſcepſi oppoſitæ. Palæſcepſis ab Æſepo ſtadiis triginta diſtabat, ab urbe Ænea qvinqvaginta. Sed ad oram maritimam revertamur.

## Cap. LXIX.

### *De Tenedo inſula, & qvod in ea caſtellum fuerit nobiliſſimum, qvod cum Veneti & Genuenſes pro eo multis inter ſe prœliis contenderent, communi conſenſu eſt deletum. Item de urbe Alexandrina quæ prius Sigæa vocabatur, deq; in ea Sminthæi delubro ſacris muribus habitato.*

POſt Sigæum promontorium Achillæum ſeqvebatur, & Achæjum, & regio Tenediorum, atqve in ipſa Tenedos inſula, diſtans à continenti ſtadiis qvadraginta. In qva priusqvam in agrum Trojanum Græci deſcenderent, ſtationem habuerunt, & Agamemnon Iphigeniam immolare non dubitavit. Vincebat patris affectum regnandi cupiditas, & qvod credenti Abrahæ ad juſtitiam reputatum eſt, huic ad iniqvitatem ceſſit. Ambitus hujus inſulæ ſtadia octuaginta continebat. Urbs Æolica in ea fuit, & portus duos habuit, & Apollinis Sminthæi delubrum. Duæ inſulæ circumſtabant, Calydnæ olim appellatæ, & aliæ qvædam ignotæ. Tenedum alii Calydnam vocaverunt, alii Leucophryn, id eſt, candidum ſupercilium. Vergilius opulentam fuiſſe ſub Priamo inſulam dicit. Diodorus ait Tennem Cygni filium Coloniæ Lesbiæ, qvæ erat in Troade, imperaſſe, deinde relicta patria, congregatis colonis, in inſulam deſertam nomine Leucophryn navigaſſe, diſtributisqve inſulæ agris inter eos qvi ſecum erant, urbem condidiſſe, atqve inſulam nomine Tenedon vocaviſſe, & cum multa hominibus, beneficia contuliſſet, poſt obitum inter deos relatum. Nonnulli ferunt Cygnum patrem uxoris calumnia inductum, Tennem filium in arca poſitum in mare dejeciſſe,

qvi

qvi mirabili deorum ope servatus, tempestate in Tenedum appulerit, & in odium tibicinis, qvi novercæ faverat insidiis, lege sanxerit, ne qvis Tibicen templum ingrederetur. Belli Trojani tempore, cum Achilles, post Græcorum in Tenedum ascensionem, urbem Temnum delevisset, statuerunt postea Tenedi, ut in templo qvod noviter ædificaverunt, nemo Achillem nominaret. In hac insula nobilissimũ postea castellum fuit, propter qvod Veneti & Genuenses multis inter se præliis contenderunt. postremo ea lege pax facta est, ut castellum deleretur comuni consensu, apud Sabaudiæ comitem, qvi pacis arbiter electus erat, depositum. Achæo continua erat Larissa, & Colonæ prius, post Chrysa in loco excelso & portuoso, & Hamaxitus Lecto subjacens in promontorio. Nec procul ab Achæo in mediterranea constituta est Alexandria, in qvam plurium oppidorum incolæ migravere, sicut ex Larissa, Chrysa, Amaxito, Cebrena & Mæandria, & aliis compluribus. Locus in qvo Alexandria condita est, prius Sigæa vocabatur. Lysimachus Alexandriam curavit, qvæ jam ab Antigono habitata erat, & Antigonia appellata. Lysimachus nomen mutavit. Pium enim visum est Alexandri successoribus ut prius de nomine illius urbes conderent, postea de suo: multò justioribus, qvam hi qvi alienis operibus sua imponunt nomina, nec verentur deletis veri autoris signis, sua vel pingere, vel sculpere. Alexandria diu permansit & aucta est, & Romanorum coloniam accepit, & inter claras nomen habuit. In urbe Chrysa priusqvam rueret, Apollinis Sminthei delubrum fuit, & signum qvod nominis veritatem servaret. Nam mus qvidam pedi statuæ subjacebat, statuam Scopas Parius fecerat. Ferunt Teucris è Creta profectis oraculum fuisse datum, ut ibi sedes ponerent, ubi terrigenæ eos adorirentur: idcircò Amaxitum & Chrysam contigisse, maximamqve agrestium murium multitudinem noctu exortam, qvicqvid armorum & utensilium ex corio invenissent corrosisse, Teucros ibi mansisse, atqve Idam ab Ida, qvæ in Creta erat appellasse: ajunt & mures ibi circa templum abundasse, qvos vana gentilitas sacros existimavit. Simulacrum verò ita constructum fuisse, ut murem pedibus premeret. Alii Teucrum qvendam prodidere ab urbe Troum, qvæ postea Xypeteon nominata est, ex Attica profectum: Teucros verò nullos ex Creta venisse, signumqve conjunctionis Troum cum Atticis dicunt, qvod apud utrosqve Erichtonius qvidam generis autor prædicatur.

Multi hodie qvi videri docti volunt, Turcas appellant Teucros, qvos Scytharum genus esse haud ambiguum est, qvemadmadum postea dicemus, cum de Turcis agemus. Alia Chrysa in agro Thebano fuit, de qva dictum est, & illi magis Homerica conveniunt.

## Cap. LXX.

*De agro Lecti, campo Halesio, idem de salibus Tragesæis qvi Etesiis ventis spirantibus, sponte nasci dicuntur.*

IN agro Lecti seorsum est Halesius campus, & Tragesæi sales qvi sponte nascuntur, & Etesiis ventis congelascunt. Duodecim deorum aram (verius dæmonum dixerimus) apud Lectum construxit Agamemnon. Hæc loca contra Ilium erant ad stadia ducenta vel paulò plura, sicut ex altera parte Abydensia, qvanqvam paulò antè propius Abydus fuit, ex qvo usqve Lectum stadia computarunt circiter qvadringenta: cum Lectum circumflexeris, clarissimæ occurrunt Æolum urbes, & sinus Adramyttinus, in qvo maximam Lelegum partem Homerus collocavit, & duplices Cilicas. Hic & Mitylenorum littus fuit, qvod vicos aliqvot habuit in continenti. Hunc sinum etiam Idæum nominarunt. Nam jugum à Lecto ad Idam porrectum, primis partibus hujusce sinus imminet, in qvibus Leleges siti erant, & urbs eorum Pedasus fluvio Satmoëti juncta, qvæ prorsus deserta est. Hæc loca Dardanio agro & Scepsio continua erant, tanqvam alia qvædam Dardania, humiliora tamen. Neandrini ultra Amaxitum erant magis mediterranei, & magis Ilio propinqvi qvam Lectus. Nam centum & qvinqvaginta stadiis ab Ilio distabant. Ultra hos erant Cebreni, & postea Dardanii, usqve Palæscepsim atqve Scepsim. Alceus Antandrum urbem Lelegum esse dixit, Scepsius ad Cilicas traxit australe Idæ latus terminantes usqve ad oram maritimam. Post Lectum Polymedium seqvebatur, in qvo parvus erat lucus supra mare: octuaginta stadiis peractis, Gargara reperiebantur, in promontorio, qvod sinum efficit Adramyttinum vocatum. Nam tota ora à Lecto usqve ad Canas, qvod est alterum promonto-

montorium hoc eodem nomine appellabatur: in qvo & Elaiticus comprehendebatur, ſed proprie Adramyttinum dicebant, qvi à promontorio, in qvo Gargara fuerunt, claudebatur, & ab altero qvod Pyrrham vocabant, in qvo Aphrodiſiũ ſitum fuit. Oris latitudo à promontori ad promontorium eſt centum & viginti ſtadiorum. Interius Antandros jacuit, cui mons im̃inebat Alexandria vocatus, ubi deas à Paride judicatas dicunt, qvarum qvæ ſpretæ fuerunt, Trojanum incendium paraverint: Indigna res qvæ divinitati attribuatur. Proximus Aſpaneus erat lucus, ubi materies Idæ cædebatur, hic enim eam aptabant: poſtea per flumen deducebant. Deinde vicus Aſtyra & lucus Aſtyrenæ Dianæ ſacer: in proximo Adramytteum Athenienſium colonia, qvæ portum habuit, & navale extra ſinum, & promontorium Pyrrham. Urbs Ciſthena cum portu fuit, qvæ deſtructa eſt, & ultra eam in mediterranea æris vena & multa habitatio. In ſeqventi Mitylenæorum ora Coriphantis lucus, & Heraclia, & Actea, & Atarneos, & Pitana usqve ad Caici fluminis oſtia, qvæ loca ad Elaiticum ſinum pertinebant. & ultra flumen Mæa, & reliqvus ſinus usqve Canas. Sed in his locis paululum immorandum eſt, propter ea qvæ propriam hiſtoriam habent.

## CAP. LXXI.

### *De Palæſcepſi, & qvi ex ea Socratici fuere Philoſophi, item de Theophraſto & ejus bibliotheca.*

PAlæſcepſis ultra Cebrenam fuit ad excelſiorem Idæ partem prope Polichnam. Ea olim Scepſis vocabatur, qvæ cum eſſet in loco circumſpecto, à Scamandrio Hectoris & Aſcanio Æneæ filiis, ad ſexaginta ſtadia inferius traducta eſt, qvorum genus multo tempore in eo imperavit, poſtea in paucorum principatum civitas declinavit. Deinde cum Mileſiis popularem ſtatum accepit, & nihilominus, qvi ex eo genere erant, reges dicebantur, & honores qvosdam habebant. Succeſſu temporis Antigonus Scepſios Alexandriam deduxit, qvi deinde Lyſimacho permittente domum rediere.

Scepſius

Scepſius Æneæ regiam Scepſim fuiſſe putat, qvæ media erat inter regionem illi ſubditam, & Lyrneſſum, in qvam ab Achille agitatus fugiſſe dicitur. Homerus (ſicut Straboni placet) Æneam imperii ſucceſſorem apud Trojam ſignificat remanſiſſe, ac Trojæ imperium, extincto Priamidarum genere, natis natorum tradidiſſe. Alii (qvæ vulgatior fama eſt) fatentur eum propterea, qvod Priamo eſſet inſenſus, bello ſuperfuiſſe, ſicut Antenoridas, qvi propter hoſpitalitatem cum Menelao habitam evaſerunt, & cum Henetis primo in Thraciam, deinde in Adriam pervenerunt, qvæ ab eis Henetia dicta eſt, nunc addita litera Venetia nominatur. Æneam cum patre Anchiſa, & Aſcanio filio, multis comitantibus enavigaſſe, qvem pleriqve circa Macedoniam & Olympium habitaſſe dicunt, nonnulli circa Mantineam Capuas in Arcadia condidiſſe. Alii, qvibus accedit Vergilius, in Siciliam profectum cum Elimo Trojano, Erycem & Lilybeum occupaſſe tradunt, & fluvios circa Egeſtum appellaſſe Scamandrum & Simoentem. Poſtremo in Latium trajeciſſe, ibiqve permanſiſſe, jubente oraculo ut ibi maneret, ubi menſas ederet: qvod in agro Lavinio completum eſt, ubi panis ingens pro menſa per imprudentiam appoſitus, cum carnibus qvæ ſuper eo erant, abſumptus eſt. E Scepſi fuerunt Philoſophi Socratici, Eraſtus & Coriſcus, & Neleus Coriſci filius, qvi Ariſtotelem & Theophraſtum audivit, & ſucceſſor fuit bibliothecæ Theophraſti, in qva erant Ariſtotelica. Nam Ariſtoteles & bibliothecam & ſcholam Theophraſto reliqvit, & primus fuit (ut Strabo arbitratur) qvi libros congregavit, & Ægypti reges bibliothecæ ordinem docuit, incertum plus boni an mali rebus humanis attulerit, qvoniam componendi libros nullus eſt finis, & multorum ingenia depravata ſunt, qvæ in perverſa dogmata inciderunt: ob qvam rem conſultè agunt, qvi damnata volumina exurunt, neqve paſſim omnibus ſcribendi facultatem permittunt, ut eſt illud Perſianum, Scribimus indocti doctiqve poemata paſſim: ſed hodie tanta eſt doctorum turba, ut nemo fere indoctus reperiatur, ex his qvi aliqvid ſcribunt, qvi non doctoris nomen titulumqve receperit. Theophraſtus bibliothecam Neleo tradidit, Neleus eam Scepſim detulit ad homines imperitos, qvi libros incluſos ac negligenter compoſitos tenebant: cumqve Attalicorum regum, ſub qvibus erant, ſtudium ſentirent, ad inſtruendam Pergami bibliothecam, eos in foſſa
qvadam

qvadam sub terra occuluerunt: & demum tineis & humiditate labefactatos qvi ex eo genere erant, Apeliconi Tejo tradiderunt magno emptos argento, Aristotelicos scilicet atqve Theophrasticos. Apelicon qvi magis librorum esset studiosus qvam sapientiæ, qvales multos ætate nostra cognovimus, volens corrosiones emendare, eos transcribendos dedit, scriptura non recte suppleta, librosqve dedit erroribus plenos. Continuo post Apeliconis obitum, Sylla, qvi Athenas cepit, ablata illius bibliotheca, eam Romam transtulit: qvo in loco Tyrannion grammaticus, cum Aristotelis amantissimus esset, conciliato sibi bibliothecæ præfecto & librarii qvidam scriptoribus utentes non bonis, nec scripta conferentes, opera minus emendata ediderunt. Qvod si græca exemplaria corrupta fuerunt, qvid de his putandum est, qvæ in latinum conversa sunt? illa præsertim priora, qvæ qvi legunt, non tam qvod dicatur qvam qvod dici velit, nosse laborant. Qvippe si reviviscerет Aristoteles, multa sua esse negaret, qvæ nos illi attribuimus. Sed melius cum eo actum est qvam cum aliis, qvorum opera funditus periere, & ipse causa extitit, cur multa perirent, qvi aliorum gloriam ad se traxit: ruet etiam qvamvis magnus. Neqve enim verum est qvod sibi aliqvi persuadent, literarum monumenta non interire: omnia occidunt, nec literis sua mors negata est, qvamvis aliæ aliis plus vivant. Ætas cuncta aufert, nec hominis opus est, qvod in tempore non evanescat. Apud Scepsim ultra eos qvos nominavimus, Demetrius grammaticus floruit, qvi Trojanam extructionem exposuit, & post Metrodorus, qvi è philosophica vita in civilem mutatus est, & propter elegantiam, qvanqvam pauper erat, clarum conjugium apud Chalcedonem obtinuit, & à Mithridate reddendo juri præpositus fuit, à qvo non erat provocatio. Sed legatus ad Tigranem missus, cum descivisset, invitus remissus est Mithridati jam è pateano regno fugienti, & in itinere, sive regis opera, sive morbo, decessit: sensitqve philosophicam vitam imprudenter se reliqvisse, qvæ si neqve honores neqve opes accumulat, at saltem periculis & molestiis qvam pluribus caret.

## Cap. LXXII.

### *De Anderis, mirandoq́ lapide, qvi solus combustus in ferrum, cum terra qvadam in argentum falsum. Qva terra, si æs accepisset, in aurichalcum vertebatur: de Pitana urbe Æolica, qvodq́ apud eam lateres inventi sint, qvi super aqvas innatarent.*

POst Scepsim Andera fuerunt, circa qvæ lapis qvidam inveniebatur, qvi combustus ferrum fiebat, deinde cum terra qvadam in fornace decoctus, pseudargyrum, id est, mentitum argentum exsudabat: qvæ terra si æs accepisset, in aurichalcum vertebatur. In his locis Leleges habitaverunt, qvi & Pionias, & Gargarensem agrum, & Assensem occuparunt. Assus & arte & natura munita civitas fuit, qvæ à mari & portu longum & rectum ascensum habuit, ex qvo Stratonici dictum est: qvi celeri passu Assum it, mortis periculum adit. Hinc fuit Cleantes philosophus Stoicus, qvi Zenonis Citiensis scholæ successit, qvam postea Chrysippo Solensi reliqvit, Hermias eunuchus Trapezitæ cujusdam famulus Athenas profectus, Platonem Aristotelemqve audivit, & domum reversus cum Domino suo Atarnenses & Asienses aggressus eos subegit, & illis simul cum Domino imperavit, qvo mortuo solus dominium adeptus, Aristotelem & Zenocratem ad se accersitos diligenter curavit: Aristoteli etiam fratris filiam uxorem dedit. Sed non illi, ut tyrannidem invaderet, philosophi svaserunt, nec rursus ut retineret, præstare potuerunt. Memnon Rhodius, simulata cum Eunucho amicitia, cum ad se vocatum comprehendit, & ad regem Persarum misit, ibiqve vitam suspendio terminavit. Philosophi fugientes loca à Persis occupata, incolumes evasere. Assum aliqvi dicunt à Methymneis conditam, aliqvi Æolicam fuisse volunt: ipsi verò Assii Gargara & Lamponia condiderunt, qvæ cum non bene habitarentur, reges ex Mileto incolas eo deduxerunt, & pro Æolibus semibarbaros effecere. Leleges hæc loca sub Priamo tenebant, & inter eos misti erant, qvi sub Ænea fuere. Cilices

qvoqve

qvoqve cum his habitabant, & Cares aliqvi: ſed ab Achille vaſtati Leleges, in Cariam migravere, qvo & Cares Cilicesqve Taurum tranſivere. Oram, qvæ poſt Leleges ſeqvitur, Adramyttini habuerunt, & Atarnenſes, & Pitanei, usqve ad Caici fluminis oſtia. Non procul ab Adramytteo Apollinis Cillei templum fuit, & Cilli monumentum, ingens qvidam tumulus. Hunc Pelopis aurigam & ducem eqvorum dicunt, à qvo forſan Cilicia dicta eſt. Adramytteum in bello Mithridatico calamitate maxima oppreſſum fuit, culpa Diodori, qvi civium conſilium delevit, cum regi cuperet gratificari, & ſe principem Academicorum philoſophorum oſtendere. Rege autem everſo pœnas dedit, qvi de multis criminibus accuſatus, infamiam ferens, turpiter & obſtinate periit. Sæpe enim eorum ignominioſus eſt finis, qvi nimium gloriæ cupidi ſunt. Ex Adramytteo fuit Zenocles orator, clarus Aſiatici ſtyli, qvi in ſenatu pro Aſia dixit, qvo tempore Mithridaticæ factionis eſt accuſatus: dehinc Atarneus fuit Hermiæ tyranni ſedes, poſtea Pitana urbs Æolica, qvæ portus duos habuit, & fluvium Evenum, qvi eam perfluebat, ex qvo aqværductus Adramyttenus factus eſt. E Pitana Archeſilaus academicus fuit, qvi cum Zenone apud Polemonem didicit. Fama eſt apud Pitanam lateres inventos eſſe, qvi ſuper aqvas innatarent, qvod de aliis locis traditum eſt. Poſt Pithanam Caicus amnis ad ſtadia triginta in ſinum Elaiticum emittit, qvi Pergamenum agrum irrigat. Eleapolis duodecim ſtadiis ultra Caicum ad meridiem fuit, Æolica civitas, & Pergamenorum portus, centum & viginti ſtadiis à Pergamo diſtans, deinde ad ſtadia centum eſt Cana promontorium, qvod contra Lectum conſurgens, Adramytteum efficit ſinum, cujus pars eſt Elaiticus. Canæ Locrorum oppidulum fuit, ad auſtralia Lesbi extrema, ſitum in agro Caneo, qvi usqve ad Arginuſas protendit: & ulterius promontorium, qvod Ægam nominarunt, eodem modo qvo animal: ſic enim totum montem appellabant, qvem poſtea Canam & Canas vocavere. Circa montem Auſtrum & occaſum verſus mare procumbit, ad orientem Caici campus, ad Aqvilonem Elaiticus ager: mons ſatis per ſe contractus eſt, vergit tamen ad Ægeum pelagus, unde ei nomen eſt. Poſtea id promontorium (ut Sappho dicit) Ægea eſt appellatum: reliqvum verò Cana: & Canæ urbs. Deinceps Elæa ſeqvitur, qvæ portum habuit, & navale regum Attalicorum, Mneſthei opus & Athenienſium,

ſium, qvi cum eo apud Ilium militarunt: diſtans à Gryneo Myrineorum oppido ſtadiis ſeptuaginta, hæc Elaitico ſinui nomen dediſſe videtur. In Gryneo Apollinis fanum, & pervetuſtum oraculum, & templum candido lapide ſumptuoſum plebes admirabatur: deinde Achivorum portus extitit, in qvo duodecim deorum aræ conſtitutæ fuerunt certiſſima dæmonum theatra. In ultimo vero ſinus receſſu, ad ſexaginta fermè ſtadia Myrina fuit Æolica civitas, qvæ portum habuit, & ab una ex Amazonibus nomen accepiſſe credita eſt. In ora ſinus Hydra promontorium fuit, qvod Amatunti adverſum Elaiticum ſinum efficit. Oris latitudinem ſeptuaginta ferè ſtadia complexam dicunt: poſt Hydram Adæ fuerunt ad ſtadia qvadraginta.

## Cap. LXXIII.

### *De Cuma Æolicarum urbe maxima, & qvomodo Cumani inſulſi & hebetes ſint putati: item de Lariſſa.*

Deinceps Cuma, Æolicarum urbium maxima & optima, & omnium ferè metropolis, qvas numero triginta fuiſſe tradunt, qvarum maxima pars corruit. Cumanos inſulſos & hebetes homines putavere, qvi poſt trecentos annos ab urbe condita portoria exegerunt: tamdiu proventum ejusmodi non cognovere. Feruntur etiam publica pecunia mutuo recepta porticum ſtruxiſſe, cumqve die conſtituta pecuniam non reddidiſſent, à deambulatione fuiſſe prohibitos: creditores verò, cum plueret, edictum miſiſſe, ut Cumani porticum ſubirent: ex qvo proverbium factum eſt: Cumanos non ſentire porticum in pluvia ſubeundum eſſe, niſi præco admoneret. Ex Cuma vir ſine controverſia clarus Ephorus fuit, Iſocrati oratori familiaris, & hiſtoriæ conſcriptor, & antè ipſum Heſiodus poëta, qvi patrem ſuum, relicta Æolica Cuma, in Bœotiam migraſſe dicit. Homerum hinc fuiſſe non ſatis conſtat, multi enim de eo diſceptant. Qvod ſi Cumanus fuit Homerus, non eſt cur miremur concives ejus obtuſioris ingenii fuiſſe. Nam qvicqvid in urbe divinum erat, id ſecum Homerus abſtulit. Cum Æolicis urbibus Ægæ fuerunt, & Temnus,

Temnus, unde Hermagoras fuit, is qvi de dicendi arte conscripsit. Hæ urbes secus montanam regionem jacuere, qvæ Cumano & Phocensi & Smyrneo imminet agro, juxta qvam Hermus labitur. Post Cumam Larissa fuit, qvam Pelasgi coluere. Larissas tres in Asia reperimus: Primam apud Hamaxitum, de qva dictum est: Alteram apud Cumam: Tertiam apud Caistrum: Qvartam in Thessalia, unde Larissæus Achilles appellatus. Invenimus Lelegum populos, & Cilicum, & Pelasgorum, & Cetiorum, multis in locis permistos fuisse, sed intra Caicum qvem Troadis terminum esse diximus. Post Caicum Pelasgi per sese usqve ad Hermum habitavere, prius qvam Æoles adventarent. Leleges sub Alceo fuerunt, Cetii sub Eurypylo, Pelasgi sub Hippothoo & Pylæo. Cilices alios duces habuere. Qvod autem Pelasgi magna natio, Menecrates autor est, qvi totam oram qvæ postea Ionica dicta est, facta à Mycale initio, prius à Pelasgis habitatam fuisse tradit, & propinqvas insulas. Lesbii qvoqve se sub Pylæo positos affirmabant, qvem Homerus Pelasgorum ducem appellavit. Chii suos autores Pelasgos ex Thessalia profectos putavere: Qvæ gens errabunda & ad transmigrandum facilis, ut multum crevit, ita pariter tota extincta est, eo maximè tempore, qvo Æoles Ionesqꝫ in Asiam trajecere. Larissa Hamaxito proxima ducentis fere stadiis ab Ilio distabat, non ergo ei conveniunt ea, qvæ de Hippothoo dicuntur, qvoniam procul à Larissa cecidisse Homerus tradit, dum pro Patroclo pugnatur, sed ab ea qvæ Cumæ proxima est, nam mille stadia intersunt. Caystrianam vero seu Ephesiam Larissam non satis constat, an Trojani belli tempore condita fuerit, de Cumana certum putant. Tradunt enim eos qvi Phrycio Locrensi monte ultra Thermopylas erant, inde profectos in eum locum venisse, ubi postea Cuma condita est. Cumqve Pelasgos invenissent Trojano bello labefactatos, adhuc tamen Larissam obtinentes, septuaginta stadiis à Cuma distantem, condidisse apud illos locum, qvi Novus murus appellatus est, triginta stadiis à Larissa, atqve inde profectos, Cumam condidisse, homines qvi superfuerant, eò habitatum deduxisse. Cumam verò à Locrensi monte Phryconida appellasse, eodem modo Larissam, qvæ postea omnino deserta est. Hactenus Æolis protenditur. Deinceps Phocea est, & Hermus non ignobilis amnis, & Ioniæ initium: verum qvia Troadi à Lecto promontorio usqve ad Cumas, Lesbos insula

opponitur, qvæ & ipſa Æolica fuit, & ad Troadem pertinuit, de hac dicendum eſt prius qvàm Joniam attingamus.

## Cap. LXXIX.

*De Lesbo Ægæi maris inſula, & qvot in ea urbes memoratu dignæ ſint: item qvi philoſophi, poëtæ, & rerum ſcriptores ibidem floruerint: inſuper de fœmina, qvæ urbem à Turcis una ſervavit.*

LEsbos olim non ſolum Æolica ſed Æolicarum urbium altera Metropolis fuit & univerſæ Troadis imperium obtinuit: ambitus ejus ſtadiorum centum ſupra mille à Borea in Auſtrum protenſa: qvingenta & ſexaginta ſtadia longitudinis habens, feraci agro, & multa materia ad claſſes conficiendas idonea. Tantum à Chio Lemnoqve diſtans, qvantum à Tenedo intra qvinqvaginta ferè. Urbes in ea fuere memoratu dignæ, Mitylene, qvæ adhuc extat, & ab ea nunc inſula vocatur: & Pyrrha in occidentali latere ſita, qvæ ab antiqvo ſubverſa eſt, relicto ſuburbano, qvod habitaretur. Fuit & Ereſſus in colle jacens, & Antiſſa cum portu Methymna promontorio Lecti oppoſita. Mitylene inter Methymnam jacet & Maliam, qvod eſt auſtraliſſimum extremum inſulæ, Canis oppoſitum. Hæc urbs rebus omnibus pulcherrimè inſtructa fuit, portusqve duos habuit, qvorum Auſtralis clauſus erat, qvinqvaginta triremium ac navium capax. Borealis verò magnus ac profundus aggere protectus: ambobus qvædam parva inſula objecta fuit, partem urbis habens ibi habitatam: diſtat à Malia ſtadiis ſeptuaginta, à Canis centum ac viginti, totidem ab Arginuſis, qvæ tres inſulæ ſunt parvæ continenti proximæ, & Canis adjacentes. Inter Mitylenem & Methymnam ubi vicus Ægirus fuit, anguſtiſſima inſula eſt tractum habens in Pyrrheum Euripum, paſſuum duorum millium & qvingentorum. Ex Mitylene fuit Pittacus unus ex ſeptem ſapientibus, & Alcæus poëta, & Antigenides frater ejus, qvem Babyloniorum ſocium Alcæus dicit

cit magnum certamen peregiſſe, atqve eos è maximis laboribus eripuiſſe, viro pugnaciſſimo, & (ut inqvit) regum luctatore interempto: cum his & Sappho claruit, admiranda mulier & poëticæ peritiſſima, cui poſt tot ſæcula non eſt reperta, qvæ poſſet æqvari. Diophanes orator multo tempore poſterior fuit, & Potamon & Lesbocles, & Crinagoras, & Theophanes rerum ſcriptor, qvi Pompejo magno admodum familiaris fuit: nam & res ejus geſtas poſteritati commendavit, & Græcorum omnium clariſſimum ſe exhibuit: cujus filius Marcus Pompejus Cæſari qvoqve Auguſto charus fuit, à qvo Aſiæ curator conſtitutus eſt, & poſtea inter primos Tiberii familiares locum obtinuit. Ex Ereſſo fuere Theophraſtus & Phanias philoſophi peripatetici, & Ariſtoteli familiares. Theophraſti patris Tyrtamo nomen fuit, Ariſtoteles mutato vocabulo Theophraſtum vocavit, ſimul prioris nominis abſurditatem evitans, & futuram ſimul ejus facundiam ſignificans. Ariſtoteles enim diſcipulos ſuos omnes eloqventes fecit, Theophraſtum verò eloqventiſſimum, qvæ res admodum eos confundit, qvi Ariſtotelis opera omni eloqventia nude in noſtram linguam converterunt. Altera qvoqve Sappho (ut nonnulli aſſerunt) hinc orta eſt poëticæ perita, ſed Mitylenenſi minor. Ex Methymna ortus eſt Arion, is, qvem Herodotus à prædonibus in mari obrutum, & à delphine incolumem devectum in portum ad Tænarum fabulatur, qvem Citharœdum fuiſſe conſtat. Ex hac inſula & Terpandrum fuiſſe dicunt, muſicæ artificem, qvi primus pro tetrarchordo lyra heptachordo uſus eſt, ad qvem verſus illi referuntur. Hos tibi mutato chordarum qvattuor uſu, Jam nova pars ſeptem modulamur carmina nervos. Hellanicus qvoqve rerum ſcriptor, & Callias (qvi Alcæum & Sapphon expoſuit) Lesbii fuiſſe perhibentur. Mitylenæis duriſſima fuere cum Athenienſibus certamina, & vecordia: adeoqve Athenienſes in eos ſævicre, ut ſenatus conſulto decreverint, omnem Mitylenæorum pubem jugulare, pænituit tamen eos, decretumqve mutatæ ſententiæ una die antè allatum eſt ad imperatores, qvam mandata eſſent peracturi. Non tam benigne cum Capuanis Fulvius egit, qvi ſuſceptis reipublicæ literis ut ſenatu Capuano ignoſceret, qvem ſtatuerat perdere, prius ſævitiæ ſuæ ſatisfecit, qvam literas legeret: tanta illi ſangvinis aviditas erat. Plurimæ apud Mitylenæos inteſtinæ ſeditiones fuere, & plu-

res

res tyranni civitatem oppressere, inter qvos & *P*ittacum numerant. Sed is ad dominatus eruendos, principatu usus est, non ad tyrannidem exercendam, qui sublatis tyrannis, mox cives in pristinam libertatem restituit, ostenditqve sapienti principatum non esse appetendum. Sed neqve libertas diuturna speranda est civibus neqve perpetuo metuenda servitus: altera succedit alteri, sicut montibus valles. Hanc insulam (ut Diodorus ait) Pelasgi primum habitavere. Xanthus enim *P*riapi filius, Pelasgorum qvi ex agro venerant rex, parti Lyciæ imperavit, deinde Lesbum cultoribus vacuam petens, agro Pelasgis dimisso, insulam qvæ Issa prius dicebatur, ab eis Pelasgiam vocavit. Septima deinde progenie, ob diluvium tempore Deucalionis factum, cum insula deserta remansisset, Machareus in eam pervenit, Cyrnaci Ionis filius apud Achajam natus, eoqve Ionas transtulit, & humanitate ac justitia plurimum auctus, & hanc & vicinas insulas possedit. Successu deinde temporis Lesbus Lapithi filius in hanc insulam navigans, sumpta in uxorem Macharei filia Methymna nomine, apud eum perseveravit, & claritatem assecutus insulam à se Lesbiam nominavit. Fuit & altera Machareo filia Mitylene appellata, quæ nomen civitati dedit, in hoc usqve tempus permanenti. E Lesbo coloni in Chium, & in Samum, & in Rhodum missi feruntur. Eæ insulæ cum saluberrimum aërem haberent, & frugibus abundarent: loca verò in continenti opposita, propter diluvii humiditatem, pestilentia & frugum sterilitate laborarent, Fortunatæ sunt cognominatæ. Machareus legem valde utilem apud Lesbios edidit, qvam Leonem ab ejus animantis virtute ac robore appellavit. Res Mitylenenses nunc prosperæ, nunc adversæ, per multas manus actæ sunt. Pelasgi, ut diximus, priores insulam habitavere, cum staret Troja. *P*ostea Æoles successerunt, deinde *P*ersarum imperium subiit, postea Macedonum, deinde Romanorum. Cum Romana res in Constantinopolim translata esset, sub Græcorum imperatoribus, varia insulæ fortuna fuit. Postremo cum Kalo Johannes Constantinopolitanus imperator à Cantacuceno per arma pulsus, ope Francisci Gatalusii Genuensis imperium recuperasset, hæc insula ob gratitudinem auxiliatori tradita est, atqve in ejus posteris usqve in hæc tempora durat. Ab eo qvi nunc regnat, cum frater natu major aliqvandiu rem administrasset, in vincula con-

jectus

jectus est, publicata causa, qvod insulam Turcis Christianamqve fidem prodere statuisset, ut est calamitatis infamia comes. Ætate nostra Turcarum classes sæpenumero in Lesbum delatæ, homines & armenta abegerunt, nihil extra urbium mœnia relinqventes, qvarum unam fœminea manu servatam tradunt. Oppugnaverat Turcarum exercitus insulæ oppidum non contemnendum, muriqve partem machina dejecerat, & facta clypeatorum testudine irrumpere properabat: nec oppidanis animus erat ad ferendum impetum, aliis deditionem, aliis fugam meditantibus. Sed affuit virgo virilibus armis induta, qvæ, mirabile dictu, salutem patriæ peperit. Adhortata enim cives ne hostem metuerent, primam se Turcis obiecit, ac pro loci fractura depugnans, nonnullos obtruncavit: cujus audaciam admirati oppidani, & ipsi animum resumpsere, tantamqve hostium stragem ediderunt, qvantam vix credere qvispiam possit. Turcæ è terra pulsi ægrè in navigia se receperũt, qvos Catalusia classis insecuta, magno detrimento affecit. Laus tamen servatæ insulæ penes virginem fuit, cujus tædet non habere nomen: digna enim erat non minori memoria qvam Sappho: sed isti majora præmia in cœlesti patria reservantur. Episcopus Caphensis Calisto pontifici maximo nobis præsentibus hæc enarravit, qvi tunc transitum per Mitylenem fecerat, ab ecclesia sua Romam petens. Atqve in hunc modum tota Æolis ac Troas absoluta est, quæ invicem (ut sæpe diximus) permistæ fuerunt. Hæc cum aliundè scribere statuissemus, tum Federicus Comes Urbinas nos impulit literis clarus & armis, nostriqve temporis ductor exercitus. Nam cum è Roma Tybur peteremus, obvius in itinere cum parte copiarum suarum, dum Christianos eqvites, armorum splendorem admiraremur: qvæsivit ex nobis, an priscorum militiam tàm splendidè armatam fuisse arbitraremur, respondimus: nisi apud veteres hujusmodi armaturæ fuissent, non potuisse Vergilium atqve Homerum eas describere, qvas & pulcherrimas & ornatissimas commemorant, his, qvibus nostra utitur ætas, perqvàm similes. Qvæsivit ulterius Comes qvæ nobis opinio de rebus Trojanis esset, nam ipse eas fuisse minimas censebat, sed Poëtarum studio amplificatas: diximus minores fuisse, qvam fabulæ ferant: magnas tamen qvando hinc Græcia, inde Asia in bellum ruit. Etsi enim non tota Chersonesus sub Priamo fuit universa, tamen ei suppetias misit, & multi etiam qvi ultra Halyn, & ultra Euphra-

tem habitabant: nec regnum Priami minimum fuit, qvod à Rhyndaco fluvio meridiem versus Caicum usqve protendebatur, & ulterius circa maris littora usqve Cumam, per stadia circiter mille qvingenta in mediterranea. Non satis explicare possumus orientem versus qvousqve imperium ejus excurrerit. Nam Troas in mediterraneis Mysiæ Phrygiæqve permista fuit, & Mysorum Phrygumqve duces Priamo suberant. Diximus regnum ejus in octo sive novem principatus fuisse divisum, ita enim Strabo refert, sed qvi fuerint hujusmodi principatus, & qvi duces non satis explicat. Videtur tamen Hectorem, Æneam, Antenorem, Pandarum, Asium, Eurypilum, ac filios Meropis Adrastum & Amphium, simulqve Hippothoum, & Pylæum, inter duces referre: ii fratres erant, & Pelasgis dominabantur, unumqve tantum principatum efficiebant, sicut & filii Meropis, qvi Adrastiæ campos, & Pityiam atqve Apæsum possidebant. Dardani qvoqve in duos principatus dividebantur sub Ænea & Antenore constituti, Lycii sub Pandaro, Zelienses & Aphini sub Asio, Ilienses sub Hectore, Cetii & Lyrnessa sub Pylæo. Qvodqve magna fuerit Priami potestas, & ad Lesbum insulam se extenderit, Achilles ipse testatur, qvem ita loqventem inducit Homerus: Ante tuas noramus opes spatiosaqve regna, qvod felix pariter Lesbos complectitur, & qvæ comprehendit Phrygiæ tellus atqve Hellespontus. Non igitur contemnenda sunt, qvæ de Trojanis dicuntur, nec minima existimanda. Qvamvis nec Ilium nec Iliensia bella famam æqvarint.

## CAP. LXXV.

### *De Ionia minoris Asiæ regione, de Mileto & Epheso, qvæ totius Ioniæ urbes fuere clarissimæ, de Branchidis oraculum Didymeum Xerxi prodentibus, de viris ex Mileto memoratu dignis, de Latino Endymionis astrologi monte. Item de Averno pestiferas exhalationes habente.*

IOnia Æoliæ succedit, qvæ ab Hermo fluvio & urbe Phocea meridiem versus, usqve ad Milesiorum & Caricorum montium Posideum juxta mare procurrit. Pherecides Miletum & Myuntem ad hanc oram perti-

pertinere dixit: & Cares prius Mycalensia & Ephesia habuisse, oram verò seqventem Leleges usqve Phoceam & Chium, & Samum: sed utrosqve ab Ionibus ejectos ad reliqvas Cariæ partes evasisse. Fama est multos ex Pyliis cum Melantho Codri patre Athenas concessisse, & totam hanc gentem cum Ionibus in Asiam transivisse, ibiqve duodecim urbes condidisse, qvæ Ionicæ & Coloniæ appellatæ sunt. Androclus Codri Atheniensium regis legitimus filius Ephesum condidit, & Ionum regiam ibi constituit: hujus posteri usqve ad tempora Romanorum reges nominabantur, & honores qvosdam habebant, in certaminibus præsidentes, & purpuram gestantes regii generis insigne, qvamvis hodie apud Italiam purpura etiam mercatorum, apud cæteras gentes histrionum gestamen existat. Neleus Miletum condidit, qvi genere Pyleus fuit, & aram in Posideo collocavit. Cydrelus Codri filius nothus Myuntem ædificavit, Androcopus Lebedum, Colophonem Andræmon Pylius: Prienem Epitus Nelei filius: Theum prius Athamas: qvapropter Anacreon Athamantidam eam vocavit, postea Naudus Codri filius spurius: eam auxit Erythras Gnodus atqve is etiam Codri filius nothus: Phoceam Athenienses cum Philogene: Clazomenas Paralus: Chium Egertius, mistam multitudinem ducens: Samum Tymbrion, ac deinde Patrocles. Addita est loco tertiodecimo Smyrna Ephesiorum opera: nam his olim cohabitabant, cum Ephesus Smyrna vocaretur. Smyrna Amazon fuit, qvæ Ephesum tenuit, urbiqve nomen dedit: Smyrnei à Milesiis secedentes exercitum in eum locum duxere, in qvo postea Smyrna condita est, non procul ab Hermo fluvio, cum Leleges eum tenerent, qvibus ejectis antiqvam Smyrnam condidere, distantem ab ea, qvæ postea ædificata est stadiis viginti: deinde ab Æolibus pulsi Colophonem aufugerunt, & cum Colophoniis redeuntes regionem suam recuperavere: sed de his posterius dicemus. Nunc de principalioribus agendum est, Mileto scilicet atqve Epheso: hæ namqve totius Ioniæ optimæ urbes clarissimæqve fuerunt: hodie parum habitationis habent, & ruinas magnas ostendunt. Nam Turcæ regionis Domini nauticarum rerum ignari, & Piratas & Christianorum arma timentes, ad mediterranea se contulerunt, Græci tantum, & hi non multum in maritimis urbibus remanserunt. Diximus supra Australem Ioniæ terminum Milesiorum Caricorumqve montes esse, in qvibus Posideum fuit; ab eo septentrio-

nem versus iter habenti oraculum fuit Apollini Didymæo sacrum, quod Branchidæ decem & octo stadiis in mediterranea ab eo distantes, Xerxi prodiderunt, & cum eo abierunt, ne pœnas darent: sed ab Alexandro (ut antè diximus) qvamvis sero, graviter tamen puniti sunt. Xerxes templum incendit, sicut cætera Asiana Epheso excepto: Milesii postea id reparare aggressi, cum & omnium maximum erexissent, propter magnitudinem cooperire non potuerunt, ut sæpe spes humanas destituunt vires: hinc ad Miletum brevis admodum via fuit. Cretenses Miletum prius supra mare condidere. Sarpedon habitatores ex Mileto Cretensi deduxit, & urbi nomen ab illo imposuit, cum prius Leleges hunc locum tenerent: postea Neleus urbis locum mutavit, & Iones introduxit. Urbs qvatuor portus habuit, qvorum unus classis erat capax: multæ hinc coloniæ exiverunt, & maxima pars Euxini ab his habitata est & Propontis, & Hellespontus, & alia multa loca. Ex Mileto fuere viri memoratu digni, Thales unus è septem sapientibus, qvi primus Physiologiæ ac Mathematicæ autor inter Græcos est habitus, & Anaximander ejus discipulus, & Anaximandri Anaximenes, & Hecatæus qvi scripsit historiam, & Æschines orator, non ille qvi cum Demosthene contendit, sed alter, qvi assumpta nimia erga Pompejum magnum licentia pariter in exilium missus est. Ruit enim omnis audacia, & moderata tantummodo durant. Hæc civitas, cum Alexandrum exclusisset, vi capta est, qvemadmodum Halicarnassus: prius etiam à Persis oppressa fuerat. Phrynichus tragicus cum actum fecisset, qvi Miletum à Dario captam ostendit, mille drachmis ab Atheniensibus mulctatus est. Neqve enim semper tuto veritas dicitur, ubi cum tyrannis aut plebibus agitur. Ante Miletum in proximo jacuit Lada insula, & aliæ pleræqve stationes Piraticas habentes. Deinceps Latmius occurrit sinus, in qvo Heraclia oppidulum fuit, & ibi mons Latmius, qvem Hecatæus eum esse putat, qvi, ab Homero Pediculorum appellatur, & à Milesiorum agro per Cariam versus orientem tendit. In eo Endymionis sepulchrum in spelunca qvadam ostendebatur. Post Heracliam Pyrrha succedit, centum ferè stadiis ab ea remota, à Mileto duplum, si qvis in sinum sese inserat. Nam recta navigatio ex Mileto Pyrrham stadia triginta continet: adeò longum iter habet littoris prænavigatio: E Pyrrha usqve ad Mæandria ostia qvinqvaginta stadia computaverunt, propter

stagna

ſtagna & paludes: ſubminiſtratoriis ſcaphis adnaviganti ſtadia triginta, Myus occurrit, una ex duodecim Ioniæ civitatibus, qvàm propter hominum paucitatem Mileſii habitavere. Hanc Themiſtocli Xerxes in obſonium dedit, cum Magneſiam in panem, Lampſacum in vinum dediſſet. Huic proxima fuit Thymbria vicus, juxta qvem Avernum eſſe dixere, & ſacrum ſpecu Charonium appellatum, peſtiferas exhalationes habens. Ulterius Magneſia fuit Mæandrum verſus, de qva poſt dicemus. Poſt Mæandri oſtia Boream verſus Prienenſium littus fuit, & ipſa Priene, & Mycale mons feris & arboribus plenus, qvi Samiæ regioni adjacet, & ad eam qvaſi octo ſtadiorum efficit Iſthmum, ultra Trogilium promontorium. Priene à qvibusdam Cadme appellata eſt, qvoniam Philotas ejus conditor è Bœtia venit. E Priene fuit Bias unus è ſeptem ſapientibus. Ante Trogilium parva inſula jacet eodem nomine. Trogilium promontorium pes qvidam eſt, qvi à Mycale procurrit, & alius ei mons adjacet, qvi Epheſii agri eſt, nomine Pactyes, ad qvem mediterranea deflectit: à Trogilio Samum usqve ſtadia inſunt qvadraginta.

## CAP. LXXVI.

*De Samo Ægei maris inſula, de tabulis, ſtatuis, & coloſſis in ea pulcherrimis, de Polycrate annulum aureum in mare projiciente, & eum paulo poſt in piſcis à piſcatore accepti ventre inveniente, de Pythagora philoſopho, & qvod Calliphontis confabulatoris ſui animam, diu noctuq; ſecum degere dicebat.*

SAmus urbs ad Auſtrum ſpectavit, maxima pars ejus in plano fuit, & mari abluebatur: pars in montem aſcendit: ad dexteram naviganti urbem verſus Poſideum fuit, qvod promontorium Mycalen verſus ſeptem ſtadium efficit fretum, & Neptuni templum habuit, ante qvod Narthecis parva inſula jacuit: ad ſiniſtram ſuburbanum fuit, & Imbraſus amnis, & æreum vetuſtiſſimum ſa-

crarium, & ædes, qvæ pictarum tabularum armarium erat, & locus sub divo pulcherrimis statuis plenus, qvarum tria colossica opera Myronis erant, super una Basi sita. Qvæ cum Antonius abstulisset, Augustus Cæsar duo in eandem basim reposuit, Palladem & Herculem: Jovem autem transtulit in Capitolium, & sacellum ei construxit, errore sui temporis imbutus, in qvo idola colebantur & falsorum deorum statuæ. Circumnavigationem insulæ Sami sexcentorum stadiorum esse dixerunt. Ea prius Parthenias dicebatur à Caribus inhabitata, postea Anthemus, deinde Melamphylus, postremo Samus à qvodam heroë indigena, qvi colonos ex Ithaca & Cephalenia deduxit. Mons qvi insulam corrigit, Ampelus vocatus est. Insula est vino infelix, cum cæteræ circumvicinæ vino optimo abundent. In cæteris rebus feracissima, propter qvod bellis afflicta est: qvi eam laudant, eam Gallinæ lac ferre dixerunt. Multæ ei cum Atheniensibus inimicitiæ fuerunt, & plurimas tyrannides passa est. Polycrates & Syloson fratres cum varia fortuna ejus dominium tenuere. Polycrates adeò clarus fuit, ut etiam mari dominaretur. Is annulum de industria gemmis & sculptura pretiosum in pelagus projecit. Paulò pòst piscator qvidam piscem eduxit, qvi eum devoraverat, in cujus ventre annulus est inventus. Qvod cum rex Ægyptius Amasis intellexisset, finem ejus infortunatum dixit, qvi talibus prosperitatibus uteretur. Ille à Persarum satrapa dolo captus, suspensus est. Nam qvæ prosperitas fine clauditur non luctuoso? Policratis tempore fuit Anacreon Lyricus, tota poësis ejus mentione plena erat. Mirabilis & ipsius Anacreontis exitus, qvi (ut est apud Plinium) acino uvæ strangulatus interiit, magnum fragilitatis humanæ documentum. Pythagoras philosophus famatus, tyrannidem Polycratis fugiens, urbem deseruit, & in Ægyptum ac Babylonem discendi studio abscessit: cumqve reversus durare tyrannidem invenisset, in Italiam navigavit, ibiqve vitam contrivit, totamqve illam Italiæ partem erudivit, qvæ olim Magna Græcia dicta est. Illud hic non est subticendum, qvod Hermippus de Pythagora tradit (ut est apud Josephum) Pythagoras uno consabulatorum suorum defuncto nomine Calliphonte genere Crotoniate, illius animam dicebat secum degere die noctuqve, ac præcipere, ne transiret de loco unde asinus onus portaret, & ab aqva fœtulenta semetipsum abstineret,

neret, & ab omni blaſphemia recederet: digna verba qvæ memoria teneantur. Syloſon privatus relictus, cum Dario Hyſtaſpis filio, priusqvam regnaret, veſtem qvam ferebat cupienti largitus eſſet, ab eo regnum conſecutus, Sami tyrannidem obtinuit, qvi acerbè imperans urbem hominibus viduavit, ex qvo proverbium fecerunt: Syloſontis opera locus amplus eſt: qvod etiam de multis Italiæ civitatibus noſtro tempore dici poteſt. Nam & Piſa in Hetruria Florentinorum, & Sena paucorum civium opera facta eſt ampla: amplior Aqvileja, atqve Ravenna apud Adriaticum ſinum: ampliſſima juxta Tiberim Roma, non ſine culpa ſuorum civium. Athenienſes miſſo Pericle imperatore, & Sophocle poëta cum eo, Samios non obtemperantes gravi obſidione affecerunt: poſtea duo municipum millia ex ſuis miſerunt, qvi vaſtatam urbem incolerent. In his Neocles fuit Epicuri pater Grammaticæ magiſter, qvem & hic & in urbe Teo educatum ferunt, adoleſcentiam verò Athenis egiſſe, cui Menander comicus æqvævus fuit. Creophylum eſſe Samium tradunt: qvi cum aliqvando Homerum hoſpitem accepiſſet, creditus eſt ab eo inſcriptionem poëmatis obtinuiſſe, qvod Oechaliæ captivitatem vocavere. Sed Callimachus in epigrammate contrarium oſtendit, opus ſcilicet à Creophylo compoſitum, Homeri tamen exiſtimatum. Qvidam hunc Homeri magiſtrum fuiſſe tradunt, qvidam non hunc, ſed Ariſteum Proconneſium: qvicunqve is fuerit, multo eſt à diſcipulo ſuperatus.

## Cap. LXXVII.

### *De Icaria inſula & qva de ea dicta ſunt fabuloſa, de Ortygia inſula in qva Latona peperiſſe fertur, de Curetibus & Epheſia Diana templo nonnihil ſcitu digniſſimum. Item qvi apud Epheſum viri memoratu digni fuerint.*

SAmo adiacet inſula Icaria, à qva Icarium pelagus nominatur. Ea ab Icaro Dædali filio nomen habuit, qvem dicunt paternæ fugæ comitem, cum ambo pennati à Creta aufugiſſent, in hoc loco cecidiſſe, via non ſervata qvam pater oſtenderat. Nam cum

cum celsius se ad solem extolleret, liqvefacta cera pennæ effluxerunt. Fabulosa hæc, documentum tamen habent, mandata parentum ne filii contemnant. Insulæ ambitum trecentorum stadiorum esse dixerunt, & in ea Dianæ templum, Tauropolium appellatum, & oppidulum Oenoem. Distat à Samo stadiis octoginta, cum defecissent in ea homines, Samii pro pascuis usi sunt. Post Samium fretum, qvod Mycalen respicit Panionia fuit, tribus stadiis supra mare: ubi Panionia, communia omnium Ionum festa Neptuno Heliconio celebrabantur, qvæ qvamvis in agro Ephesio fierent, Prienenses tamen sacrificiis præerant. Proxima huic loco Neapolis fuit, qvàm Ephesii pro Marathesio agro cum Samiis permutarunt. Deinde Pygella oppidum, ubi Agamemnon Munichiæ Dianæ templum edidit, & Pygalios dimisit, gentem morbis defatigatam, qvos natibus agnatos Pygas vocant: unde locus nomen accepit. Exin portus fuit nomine Panormus, & Dianæ Ephesiæ templum memorabile, deinde civitas ipsa: de qvibus mox dicemus. In eadem ora paulò supra mare Ortygia fuit, lucus omnis generis materiæ pulcherrimus, præsertim cyparisso. Cenchrius amnis per eum fluebat, in qvo dicunt Latonam ex partu lotam. Hic enim eam peperisse fabulabantur, & nutricem partus Ortygiam fuisse: adytum in qvo peperit, & proximam deam, ad qvam primo post partum qvieverit, ostendentes: & montem luco imminentem nomine Solmissum, in qvo Curetas armorum sonitu Junonem obtuderint, ex æmulatione insidiantem, eoqve modo Latonæ partum eam latuisse. Scilicet ea diis cura erat, & adulterinis partubus implere cœlum oportebat. Urbem Ephesum Cares & Leleges habitavere, sed cum maximam eorum partem Androclus ejecisset, eam ex his supplevit, qvi ad se circa Athenæum & Hypelæum convenerant, assumpta prætermontana Corisso proxima: atq; in hunc modum usq; ad Crœsi tempora habitata fuit. Postea à prætermontana descendentes circa templum habitavere, usqve ad Alexandri tempora. Lysimachus condita urbe alio loco magis eminenti, cum homines non libenter eò migrarent, observato vehementi imbre canales obstruxit, urbemqve submersit, atqve ita cives vel invitos traduxit, urbemqve de uxoris nomine Arsinoën appellavit, sed antiqvum nomen obtinuit. In ea senatus conscriptus erat, cum qvo & hi conveniebant, qvi vocati dicebantur, & omnia admini-

administrabant: qvemadmodum Venetiis cum domino & duce togati conveniunt. Dianæ templum primus Chersiphron mire fabricatus est, postea aliud fecit majus illo, qvod Herostratus famæ gratia incendit. Senatus decretum edidit, ne qvis ejus nomen literis mandaret, dignum supplicium: sed minimè obtemperatum est, qvando usqve ad nostram ætatem sacrilegi nomen pervenit, verum cum infamia & dedecore, cujusmodi & Neronis nomen, & proditoris Judæ: & ejus, qvi nunc vivit, Sigismundi Malatestæ invidiosum est nomen. Ephesii incenso templo, cui Xerxes pepercerat, aliud præstantius construxerunt, mulierum ornamentis & multis operibus ad id collatis, non ut Timæus Tauromenitanus ait ex Persarum depositis, cum nulla essent: & si qva fuerant, cum templo conflagraverant. Ferunt Alexandrum, cum templum instaurari accepisset, factas & futuras impensas polliticum, si ejus rei titulus sibi adscriberetur, illos ajunt renuisse, Ephesiumqve laudibus qvendam attollunt, qvi regi dixerit, non decere Deum diis qvicqvam dedicare. Norat scilicet amicam regibus adulationem esse, & in magna fortuna plurimum posse. Sed Alexander ab India reversus, & veneno apud Babylonem hausto, mortalem se esse cognovit, qvamvis Deus existimari vellet. Cheromocrates ultimo loco templum instauravit, qvi Alexandriam construxit in Ægypto, & Alexandro pollicitus est, se montem Athon in ejus formam fabricaturum: facturumqve duas urbes, alteram ad dexteram, alteram ad sinistram: ita ut ab altera in alteram amnis afflueret. Sed homines facilè ea promittunt, qvæ ventura in periculum non creduntur. Ædes plena fuit *Praxitelis* operibus, & nonnulla Thrasonis inerant. Sacerdotes eunuchi honore maximo potiebantur: cum his virgines aliqvas sacras esse oportebat. Templum Asylum erat, cujus libertatis termini sæpe mutati sunt Alexander ad stadium extendit, Mithridates paululum plus addidit. Antonius etiam urbis partem comprehendit. Augustus Cæsar id irritum fecit, qvod multis causam malefaciendi præstabat. Sentiunt id Romani, apud qvos tot sunt asyla, qvot Cardinalium ædes, in qvibus servati fures atqve sicarii, urbem alioqvi pacatam & nobilem veluti latronum speluncam efficiunt. Ephesus navale & portum habuit, & loci opportunitate multum crevit, & maximum citerioris Asiæ emporium fuit. Viri memoratu

 digni

digni ex ea fuerunt, Heraclitus cognomine Scotinus & Hermodorus, qvi propter excellentiam ingenii & doctrinam, & qvia frugi erat, in exilium missus fuit, dicentibus Ephesiis: Nemo nostrum frugi esto, alioqvi cum aliis ejiciatur. Propter qvod ait Heraclitus, dignos esse Ephesios, ut omnes strangularentur. Pari supplicio & Nursinos dignos censuisset, qvi literatos ex Concilio pellunt. Ephesius fuit etiam Hipponax poëta, & Parrhasius pictor, & Appelles, & Alexander orator, & Theodotion Judæus, qvi sacram scripturam interpretatus est. Timotheus apostoli Pauli comes apud Ephesum episcopatum accepit. Irenæus dicit Ephesiorum ecclesiam à Paulo qvidem fundatam fuisse, sed à Joanne ædificatam, qvi supra pectus Domini in cœna recubuit. Is enim non solum Ephesinæ, sed omnium ecclesiarum, qvæ erant in Asia, gubernacula suscepit, & usqve ad Trajani tempora prudentissimè rexit, post Domitianum ex insula regressus. Polycarpus Smyrneorum episcopus referre solebat Joannem apostolum, cum balneas apud Ephesum aliqvando lavandi gratia fuisset ingressus, & Cerintum ibi vidisset, continuo exiluisse, dixisseqve: fugiamus hinc, ne balneæ ipsæ corruant, in qvibus Cerintus lavatur veritatis inimicus. Tanta erat apud illos fidei fundatores cura, ne ab hæreticis inficerentur: qvorum consortia nostra secula facile admittunt, non sine magno religionis damno. Duo fuerunt apud Ephesum sepulchra, & utrumqve Joannis appellabatur. Nam & duo Joannes fuerunt, qvorum etsi alter non fuit apostolus, magnus tamen vir extitit, & eum Papias Hieropolitanus episcopus audivit, & sunt qvi Apocalypsim illius esse asserunt, qvibus non consentit ecclesia, qvæ sub nomine apostoli legit Apocalypsim. Hic Drusiana fuit mulier sanctissima, & apostoli amantissima, qvę ut reversum eum ab exilio cernere mereretur, à mortuis suscitata est. Multa in hac urbe dilectus à Christo discipulus signa peregit, & tandem dormitione sua eam honoravit. Antrum ejus ibi ostenditur, in qvo multa scripsit, id sacrum incolæ habent. Una qvoqve ex filiabus Philippi apud Ephesum sepulta est. Pauci nunc habitatores in urbe semidiruta morantur, & ii Græci non parum ab Romana ecclesia dissidentes. Ephesinus episcopus disputator vehemens sub Eugenio qvarto Florentinum concilium adiit, nunqvam tamen sæpe & multum rogatus veritati acqviescere voluit. Post Ephesum Caystri ostia ad septentrionem

nem ſeqvuntur, & deinde lacus nomine Selinuſius, ex pelago refuſus, deinde alius in eum confluens, qvi deæ ſacri, magnos proventus templo afferebant. Reges eos abſtulerunt, Romani reſtituerunt, poſtea publicani ſibi vendicavere. Artemidorus legatus Romam miſſus lacus deæ recuperavit, & Heracleotim qvæ deſciverat evicit, propter qvas res aurea affigie in fano donatus eſt.

## Cap. LXXVIII.

### *De Colophone, & qvi ex ea viri fuere clari, de Lebedo, & qvod eo in loco ſcenicorum hiſtrionum fuerit collegium, de Erythris civitate Jonica, de Coryco monte à qvo & Corycæi Piratæ ſunt dicti.*

PAulo ulterius Galleſius mons aſſurgit, & civitas Colophon Jonica, & ante eam Apollinis Clarii lucus, in qvo tradunt Calchantem augurem cum Amphilocho Amphiarai filio, è Trojano bello redeuntem declinaſſe, & Mopſum augurem ex Mantho Tireſiæ filia natum inveniſſe, ac propoſitis qvæſtionibus cum eo contendiſſe, & alterum de fructibus caprifici, alterum de prægnante ſue qvæſiviſſe, victumqve Calchantem mœrore obiiſſe. Colophonii navales opes ſatis amplas habuere, & in eqveſtribus certaminibus tantum excelluere, ut victoriam inde futuram ſperarent, unde Colophonius pugnaret eqvitatus, & in proverbiis dicerent: *Colophonem addidit:* cum ſumma operi manus imponebatur. Par gloria apud Italos ſuperiori tempore Peruſinorum fuit, nec adhuc prorſus extincta eſt. Majus tamen hodie Sfortiadum nomen habetur, & major eqvitatus, qvi Longobardorum imperium armis adepti ſunt. Ex Colophone fuit Mimnermus tibicen, & elegiæ poëta. Item Xenophanes phyſicus, qvi poëmata de Pſyllis edidit, & Polymnaſtus muſicus: ſunt & qvi Homerum hic ortum dicunt. Ab Epheſo Colophonem usqve ſtadia numerant recta navigatione ſeptuaginta: po-

ſtea Coracium montem collocant, & inſulam Dianæ ſacram, in qvam cervas parituras tranare crediderunt, tanqvam Diana numen haberet, & opem poſſet animalibus afferre. Lebedus deinde ſuccedit, centum & viginti ſtadiis à Colophone diſtans. Hoc in loco Scenicorum hiſtrionum collegium fuit, qvi ludos ac certamina Libero patri qvotannis celebrabant. Prius Teo habitaverant, qvæ conſeqvens Ionum civitas erat, ſed orta ſeditione Epheſum confugerunt. At cum Attalus eos in Myonneſo collocaret, qvi locus inter Teum & Lebedum medius erat, Tei Romam miſerunt oratum, ne Myonneſum ſibi admuniri paterentur: Romani illos Lebedum transmiſere, ubi propter hominum paucitatem benignè ſuſcepti ſunt. Teos à Lebedo centum viginti ſtadiis procul fuit, in peninſula portum habens, Anacreontis Lyrici patria: cujus tempore Tei relicta domo Abderam Thracum urbem migraverunt, cum Perſarum contumelias ferre non poſſent. De Apelicone diximus, qvi Tejus fuit, & Hecatæus hiſtoricus. His in locis pulchra Cherſoneſus eſt, qvam Tei & Erythræi habitaverunt, & Clazomenii. Chalcides Iſthmum facit, cujus auſtrale latus Tei habuerunt, boreale Clazomenii, extrema Cherſoneſi Erythræi. Chalcidibus lucus imminebat, Alexandro Philippi filio dicatus, in qvo Iones ludos, Alexandria vocatos, qvotannis celebrabant. Circumnavigatio Cherſoneſi ſtadia plusqvam mille continuit. In fronte Erythræ civitas Ionica fuit, qvæ portum habuit, & qvatuor oppoſitas inſulas admodum parvas. Priusqvam Erythras perveniretur, oppidulum Eræ fuit, deinde Teum, poſtea Corycus mons excelſus, & portus Caſyſtes ſub eo: & alii nonnulli. Tota Coryci prætemavigatio latronibus plena fuit, qvi Corycæi dicebantur. Hi per varios diſperſi portus, mercatorum conſilia explorabant, eosqve ſolventes in alto aggrediebantur & diripiebant. Hinc factum eſt, ut omnes curioſi, occulta ac ſecreta auſcultare conantes, Corycæi appellarentur, & in proverbio diceretur: *Hunc ergo Corycæus auſcultavit*, cujus conſilia ſecreta patefacta ſunt. Poſt Corycum Halonneſus inſula jacet, deinde Argennum promontorium agri Erythræi, qvod Chiorum Poſidio proximum fuit, ſexaginta ferè ſtadiorum interjacente freto. Inter Erythras & præcipitium, qvod in boreali parte Cherſoneſi reperitur Clazomenis proximum, Mimas aſſurgit, mons altiſſimus, felix, atqve arboribus plenus: deinde

de vicus Cybelia, & promontorium nomine Melæna, ubi molæ effodiebantur. Ex Erythris Sibylla fuit, qvam numine afflatam crediderunt: antiqva ſane mulier & divinatrix: & tempore Alexandri alia qvædam eodem modo futura prædicens, nomine Athenais. Ex eadem civitate fuit Heraclides Hierophilus medicus, Apollonii condiſcipulus, ejus qvi Mus eſt cognominatus.

## Cap. LXXIX.

### *De Chio inſula, deq; in eo vino Ariuſio Græcanicorum optimo. Item de Maſtiche ibi naſcente.*

CHius inſula nongentorum ſtadiorum ambitu continetur. Urbs in ea portum habuit optimum, ſicut & hodie. Si qvis circumnaviget, & inſulam à dextris habeat, locum primo inveniet, ubi Poſidium fuit: deinde Phans, portum profundum: poſtea ubi Apollinis templum erat, & palmarum lucus. Deinceps litus auſtrale, qvod ſtationes habet: mox alterum littus, Leus appellatum, Deinde Melæna promontorium, cui oppoſita eſt Pſyra inſula excelſa, qvadraginta ſtadiorum ambitu, & urbs ejusdem nominis. Deinde Ariuſia, locus aſper & importuoſus, ſtadiorum trecentorum, qvi vinum fert Græcanicorum optimum: propter qvod Chii nomen aſſecuti ſunt. Huic ſuccedit mons Pelinæus, omnium ejus inſulæ altiſſimus, ex qvo marmor effoditur. Viros protulit Chius memorabiles Ionem tragicum & Theopompum hiſtoricum, & Theocritum ſophiſtam. De Homero ambiguitas eſt, Chii ſuum civem eſſe volunt, atqve eos in teſtimonium adducunt, qvi Homeridæ vocabantur, ab illius genere profectos, qvorum Pindarus meminit, & cantores optimos eſſe dixit. Chii olim claſſem habuere, & maris imperium & libertatem ſibi vendicarunt. Hujus inſulæ ſicut & aliarum varii caſus fuere, poſtremo ruente Conſtantinopolitanorum imperio, in Genuenſium poteſtatem facta eſt, qvi eam non ſine magno diſcrimine contra Turcarum impetum defenderunt. Maſtiches hic naſcitur, qvæ res Genuenſium reipublicæ magnum emolumentum affert: ſunt qvi ajunt

nusqvam alibi nasci, qvod non credimus. Ait enim Strabo in Lybia regionem esse Cyrenensis proximam, qvæ Silphium id est masticheni gignit: qvamvis Barbari odio qvodam ingruentes, radices ejus penè omnes eruerint. Sed possent alia qvoqve loca ejusdem naturæ inveniri, ex qvibus difficile sit ad nos aliqvid asportari, mercatoribus ea inferentibus, qvæ facilius haberi possint.

## Cap. LXXX.

### *De Clazomenis & Smyrneorum sinu ac civitate, de Leucis gentibus, & qvod apud eas P. Crassus in prælio occubuerit.*

Post præcipitium Clazomenæ seqvuntur, qvæ octo insulas in fronte habitatas habuerunt. Hæc Anaxagoræ physici patria fuit, Anaximeni Milesio familiaris. Auditores ejus commemorantur Archelaus physicus, & Euripides poëta. Deinceps Smyrneorum sinus & civitas succedit, subinde alius sinus, & antiqva Smyrna, distans à nova stadiis viginti. Lydii Smyrnam everterunt, qvæ per annos qvadringentos vici modum retinuit. Antigonus eam suscitavit, Lysimachus ampliavit, deinceps omnium pulcherrima facta. Pars ejus in monte sita fuit, sed pars maxima in campo: portum habuit & gymnasium, & matronarum locum, & vias in rectum distinctas, lapidibus instratas, & porticus qvadratas magnas & altas, & bibliothecam, & Homerum cum ejus statua. Nam & hæc civitas hunc sibi poëtam maximè vendicavit, & nummo æneo utebatur, qvi Homerius vocabatur. Melas amnis mœnia præterfluebat: sed cloacarum commodo caruit, propter qvod imbrium tempore excrementa fluitabant è vasis dimissa. In hoc Dolabella Trebonium obsidione cepit, unum ex his qvi C. Cæsarem dolo occiderunt, & multas urbis partes diruit. Patrum nostrorum memoria Tamerlanes Parthus, hanc urbem funditus evertit Rhodiis parentem. Post Smyrnam Leucæ fuere, parvum oppidum, qvod Aristonicus post Attali Philomatoris obitum ad defectionem produxit, & putans se regia stirpe natum, imperium sibi vendicare cogitavit. Sed prælio superatus ab Ephesiis, in

Mediterra-

mediterraneam confugiens, hominum inopum ac ſervorum ad libertatem vocatorum, qvos Heliopolitanos appellabat, tumultuariam manum congregavit: Thyatiramqve & Apolloniadem capiens, alias civitates invadebat: qvæ ſuis viribus & aliqvorum regum auxiliis ejus impetum ſuſtinuerunt. Qvinqve tamen legati Romanorum in bellis contra Ariſtonicum fatigati ſunt, & deinde conſul P. Craſſus, qvi in prælio apud Leucas occubuit. Deinde M. Perpenna, qvi capto Ariſtonico qvoqve Romam miſſo, bellum abſolvit: Ariſtonicus in carcere obiit, qvamvis honeſtiori titulo bellum geſſiſſet qvam noſtri prædones Italici, qvi ex infima plebe nati, qvamprimum militare cœperunt, urbes ſibi & regna deberi putant, multos tamen digna ſupplicia exceperunt. Manlius Aqvilius conſul cum decem legatis in Aſiam miſſus, ea qvæ Ariſtonicus occupaverat, in provinciæ formam compoſuit. Poſt Leucas in ſinu Phocea fuit Athenienſium colonia, unde profecti ſunt qvi Maſſiliam apud Gallos non procul à Rhodano condidere, de qva ſuo loco dicemus.

## CAP. LXXXI.

*De Magneſia, & de juxta eam Thorace monte; apud qvem Daphita grammaticus, propterea qvod reges verſibus inceſſerat, cruci eſt affixus, unde & proverbium (Cave à Thorace) natum eſt. Item de Trallibus, & ex eis viris illuſtribus, de Niſſa, & mirabilis naturæ antro Coronio.*

DEinceps Ionum fines atqve Æolum, qvos in Mediterraneis ſeparare arduum eſt, ſicut & Phrygas & Myſos & Cares in mediterranea. Oræ Ionicæ via fuit qvæ ab Epheſo uſqve Mæandrum & Antiochiam protendebat, per loca Lydis Caribus, & Græcis admiſta, inter qvæ prima erat Magneſia, qvæ ad Mæandrum vocabatur, cui propinqva fuit: ſed vicinior Lethæo qvi fluit in Mæandrum, ex Pactio cadens Epheſiorum monte. Magneſia in campo jacuit juxta montem, qvi Thorax appellabatur, in qvo dicunt

dicunt crucifixum fuisse Daphitam grammaticum, propterea qvod reges versibus incesseret. Ex qvo proverbium tractum est: *Cave à Thorace.* Neqve enim consultum est in eos scribere, qvi possunt proscribere. Malè hæc animadvertit Sigismundi Malatestæ poëta, qvem cum suo domino non Thorax, sed durior eo ultima fœtentis horti expectabat cella. Magnetes à Delphis profectos putant, qvi Didymos montes in Thessalia coluerunt. Hæc urbs Dianæ fanum habuit, qvod magnitudine & multitudine rerum dedicatarum ab Ephesio superabatur: artificio verò & structuræ concinnitate longè præstabat. Magnetes olim à Treribus funditus deleti fuerunt, qvæ gens Cimerica diu secundis rebus usa est, postea Milesii eum locum occupavere. Viri ex Magnesia clari extiterunt Hegesias orator, qvi Asiatici styli autor fuit, immutato more Attico, qvi tunc vigebat: & Simon modulator, qvi & ipse corrupto prisco cantandi instituto, novum introduxit. Item Cleomachus pugil, qvi in amorem ancilliæ incidens, qvæ à Cinædo alebatur, Cinædorum & orationem & mores est imitatus, propter qvod minoris pretii habitus est. Post Magnesiam via est qvæ Trallis ducit, mediterraneam à sinistris habens, à dextris Mæandri campum, qvem Lydi simul & Cares, & Iones, & Milesii, & Æoles habitabant: Eademqve locorum ratio fuit usqve Nyssam & Antiochiam. Trallianorum urbs in vertice qvodam plano sita fuit, qvi promontorium natura munitum habuit, & circuitum abundè septum. Multus in ea populus & opulentissimi cives fuere, & inter principales Asiæ, qvi Asiarchæ appellabantur, semper aliqvi ex Trallianis erant. Inter hos Pythodorus fuit, vir ab initio Nyssaënsis, postea propter claritatem huc migravit, Pompejoqve amicissimus fuit, & regales opes supra duo millia talentorum possedit, qvas à Julio Cæsare venundatas, cui propter Pompejum erat infensus, postea redemit, & filiis non minores reliqvit. Hujus filia Pythodoris fuit Ponti regina, cujus supra meminimus. Trallianus Menodorus vir doctus & Larissæi Jovis sacerdos, ab amicis Domitii Ænobarbi accusatus, tanqvam classem prodidisset, ab illo interemptus est: tanta est delatorum potentia. Oratores clari fuerunt Dionysocles, & Damasus Scombrus. Hanc urbem ab Argivis & Thracibus conditam ferunt, & aliqvandiu circa Mithridatis tempora sub tyrannide filiorum Cratippi fuisse. Hic una è septem ec-

clesiis

clesiis fuit, ad qvas scripta est Joannis Apocalypsis. Nyssa ad Mediterraneam jacuit supra Tralles ad orientem, & maxima ex parte monti accubuit, torrente qvodam divisa, qvi convallem efficit, ponte tamen conjuncta. Inter Tralles atqve Nyssam vicus fuit, Acharaca nomine, & Plutonium luco sumtuosè circumdatum, & Plutonis ac Junonis delubrum, & antrum Charonium natura admirabile, in qvo ægrotantes multos dies jejuni & qvieti permanentes excubabant, & aliqvando ex propriis insomniis sacerdotum consilio curas recipiebant. Non procul à Nyssa trans Mæandrum multæ habitationes fuere, & ultra urbem in monte Aroma. o. litera correpta, unde vinum Aromense ex mediterranneis optimum judicarunt. Viri è Nyssa illustres fuere, Apollonius philosophus Stoicus, Panætii familiaris, & Menecrates Aristarchi discipulus, & Aristodemus ejus filius, qvem valde senem juvenis admodum audivit Strabo. Item Sostratus Aristodemi frater, & alius Aristodemus ejus consobrinus, qvi magnum Pompejum erudivit. Trans Mæandrum meridiem versus, his in locis ad Cariam cuncta pertinebant. Superius verò ad orientem loca permista fuere, & modò Phryges, modò Lydi, modò Mysii urbes coluerunt, invicem coëuntes.

## Cap. LXXXII.

### *De Mycale monte, de Hierapoli urbe, & qvod aqvas caldas habeat, qvæ in Tophum durabantur. Item de ore Plutonio non nihil mirum creditu.*

MYcale mons est, qvi à Celænis incipit, & in occidentem vergit: ejus oppida versus Celænam & Apamiam, partim Phryges, partim Mysi ac Lydi occupaverunt, partim Cares & Iones. Flumina qvoqve eodem modo se habebant, præsertim Mæander Caystriano campo, qvi inter mediterraneam cadit, & Tmolum montem. Continuus fuit orientem versus, Cilbianus campus multus & bene habitatus, qvi regionem optimam habuit. Postea Hyrcanius, cui Persæ nomen imposuere, & Hyrca-

nos incolas adduxere. Pari modo & Cyri campus ſic à Perſis appellatus, deinde Peltinus jam Phrygius, & Cillanus & Tabenus, in qvo ſemi Phrygia ſuerunt oppida, Piſidicum qviddam obtinentia. Superantibus verò Mediterraneam inter Caras & Nyſæum agrum, trans Mæandrum ad meridiem usqve in Cibyrenſem & Cabalenſem regionem, contra Laodiceam urbs fuit Hierapolis, ubi aqvæ calidæ ſcaturiebant, qvæ in tophum admodum facile durabantur, & Os Plutonium in parvo qvodam montis ſupercilicio ita commenſuratum, ut hominem ſuſcipere poſſet, mira profunditate: cui vallum præpoſitum erat qvadratum ambitu ſemijugeris, nebuloſa & craſſa caligine plenum, ut vix ſolum diſcerni poſſet: exterius tranqvillo cœlo aër innoxius. Animal ſi qvod ingrederetur, ſtatim moriebatur, & tauri introducti mox cadebant, educebanturqve mortui. Strabo ſe paſſeres immiſiſſe ait, qvi ſubito expiraverint. Galli execti usqve ad os illæſi appropinqvabant, & immergebantur, nec delebantur, qvousqve poſſent ſpiritum continere. Apud Hierapolim aqva qvædam adeò tingendis lanis idonea fuit, ut ex radicibus tincta cum his decertarent, qvæ ex vermiculo purpuraqve tingebantur: atqve hactenus de Ionibus aliisqve gentibus, qvæ cum eis coierunt.

## CAP. LXXXIII.

### *De Caria, & apud Halicarnaſſum Mauſoleo. Item de Salmaci fonte celeberrimo.*

CAriam, qvam propriæ Aſiæ ultimam partem fecimus, Strabo à Borea Mæandri flumine clauſit, ab occidenti Icario & Myrtoo pelago, à meridie Rhodienſi, ab ortu Lyciis & aliis gentibus: magnamqve Tauri montis partem in Caria concluſit, oram omnem Rhodiam ei attribuens, qvæ meridionalis eſt. Nos partitioni noſtræ inhærentes, Cariam inter Mæandrum & montem Taurum collocabimus, reliqva Lyciæ attribuemus, qvanqvam Miletum & alia pleraqve maritima loca Ioniæ attribuerimus, qvæ Iones condidere. Principium nobis Halicarnaſſus præſtabit, qvæ prius Zephyra dicta eſt, & Cariæ principum regia fuit, circa initium Tauri

ri ſita. Hujus urbis varii caſus fuere. Hecatomnus Cariæ rex tres filios habuit, Mauſolum, Idryeum, & Pixodorum: & filias duas, è qvibus Artemiſia natu grandior, Mauſolo majori ex fratribus nupſit: Idryeo, qvi ſecundus erat, altera ſoror nomine Ada. Mauſolus regnum obtinuit, qvo mortuo uxor imperium habuit, qvæ ſepulchrum illi conſtruxit adeò magnificum, ut ex ſeptem ſpectaculis orbis hoc unum cenſeretur, & nihilominus Artemiſia tabe conſumpta eſt propter luctum, qvem ex viro ſuſceperat. Trogus Artemiſiam Halicarnaſſi reginam in auxilium Xerxi adverſus Græcos veniſſe commemorat, inter priores duces acerrimè bellum cientem: & in Xerxe qvidem muliebrem timorem, in Artemiſia virilem audaciam fuiſſe. Incertum an hæc Mauſoli conjunx fuerit. Poſt Artemiſiam Idryeus imperavit, cui ex morbo abſumpto pariter ſucceſſit uxor. Pixodorus autem, qvi reliqvus erat ex filiis Hecatomni, hanc ejecit, & Perſicarum partium ſatrapem ad communicationem imperii accivit, qvi eo defuncto Halicarnaſſum tenuit, & adventantis Alexandri ſuſtinuit obſidionem. Huic Ada Pixodori filia conjunx erat. Altera verò Ada Hecatomni à Pixodoro ejecta ad Alexandrum confugit, opemqve ad capiendam urbem ei præſtitit, propter qvod Regina ab eo declarata eſt, & ad obſidendam arcem dimiſſa, qvam paulò pòſt obtinuit. Apud Halicarnaſſum Salmacis fons caluminatus eſt, qvod eos emolliat, qvi inde bibant: ſed veroſimilius eſt divitias & victus incontinentiam molliciei cauſam præbuiſſe. Ex Halicarnaſſo fuit Herodotus hiſtoricus, qvem poſtea Thurium vocavere, eo qvod particeps fuiſſet coloniæ in Thurios miſſæ, & Heraclitus poëta Callimachi ſodalis, & alter hiſtoricus Dionyſius. Deinceps Temerium ſeqvitur Myndiorum promontorium, qvod Scopiæ Ptolemæus appellat, ei Scandaria opponitur Coum promontorium, à qvo diſtat ſtadiis qvadraginta.

## Cap. LXXXIV.

### *De Coo maris Ægæi insula, Langoum à nostris jam dicta, deqve in ea Venere ab Apelle picta, & qvod in ipsa domus Hippocraticæ ostendantur adhuc ruinæ.*

COorum urbs antiqvitus Astypalæa vocabatur, & in alio loco habitabatur ad marę: Postea propter seditionem inde migratum est, & juxta Scandariam civitas ædificata, qvam (sicut insulam) Coum appellavere: qvæ olim magna fuit, optimè habitata, & aspectu jocundissima, iis qvi eo navigabant. Ambitus insulæ qvingentis & qvinqvaginta stadiis clauditur, tota fertilis, & optimo vino abundans, sicut Chius & Lesbus. Ad austrum promontorium habet nomine Lacterium, in qvo Halisarna locus fuit. Ad occiduas partes Drecanum habuit, & vicum nomine Stomalimnes id est, os paludis. In suburbano Coi Æsculapii templum fuit valde insigne, & multis donis opulentum: inter qvæ nuda Venus erat, qvæ posta Julio Cæsari Romæ dicata est. Augustus eam patri posuit, ut generis parentem. Apellis hanc picturam crediderunt, pro qva remissa Cois centum talenta ex imperato tributo dicunt: tanti erant illius artificis opera. Ex hac insula Hippocrates fuit divinus ille medicus, cujus adhuc extant opera, & Simus ejusdem artis & Philetas poeta, & Nicias, qvi Coorum tyrannus fuit, & Ariston Peripatetici auditor & hæres, & Theomnestus vir clarus, cantor nobilis, & in administranda republica Niciæ æmulus. Hanc insulam ætate nostra Rhodii habuere, qvam Turcæ diris calamitatibus afflixerunt, nostri Langoum hodie vocant: ruinas ibi domus Hippocraticæ ostendi asserunt, & hortum, in qvo medicas herbas habuit in ora continentis.

Cap.

## Cap. LXXXV.

### *De Astypalæa maris ejusdem insula, ex Cycladibus una, & qvod in ea Dianæ Myndiadis templum fuit, qvod circumplui crederetur, dein mediterraneis tribus memoratu dignis urbibus Mylasis, Stratonicia, & Alabandis.*

PRope Myndium agrum Astypalæa promontorium assurgit, & Zephyrion, postea Myndus ipsa seqvebatur, qvæ portum habuit: deinde Bargylia civitas, & inter hæc Carianda lacus, & insula eodem nomine, à Caryandensibus habitata. Unde Scylax ortus est, antiqvus rerum conscriptor. Prope Bargylia Dianæ Myndiadis templum fuit, qvod circumplui crediderunt: ut erat gentilium dementia. Ex Bargyliis vir clarus fuit, Protarchus Epicureus, præceptor Demetrii, qvi Lacon appellatus est, si modo claritas ulla debetur Epicuri sectatoribus, qvorum Deus voluptas fuit. Deinde Iassus in insula qvæ continenti adjacet, sita fuit, & portum habuit, cujus incolæ magna ex parte victum ex mari captabant, cum sterilem regionem haberent, piscosam tamen. Fama est Iassios, cum citharœdum qvendam audirent, ut tintinnabulum increpuit, qvod erat vendendorum piscium signum, ilico omnes à foro piscium discessisse, præter unum surdastrum. Citharœdum propius ad illum accessisse, gratiasqve egisse, qvi & se & musicam honorasset, cum cæteri abiissent. Surdastrum verò interrogasse an jam tintinabulum sonuisset, & affirmante citharœdo, surrexisse pariterqve discessisse: Tantum distant inter se palati voluptas & aurium. Ex Iasso fuit Diodorus dialecticus cognomento Cronus. Post Iassum Milesiorum Posidium seqvitur, ubi Ioniæ templum fecimus. In Mediterranea tres urbes memoratu dignæ fuerunt Mylasa, Stratonicea, Alabanda: cætera castella magna ex parte sub his fuere. Mylasa in campo jacuerant admodum fertili, cui supra verticem mons imminebat, & albi lapidis vena, qvæ ad publicas & privatas fabricas magnum præbuit adjumentum: urbs enim & porticibus, & templis, pulcherrimè instructa fuit. Sed mirandum

eſt, qvod tam erecto & acclivi præcipitio conditores urbem ſubjecerunt, qvod ſi non metuebant, at certe erubeſcere debebant. Labranda vicus fuit in monte juxta tranſitum, qvi ex Alabandis ad Mylaſa fuit, & in eo per vetuſtum Jovis militaris templum, à circumvicinis mirificè cultum. Via per ſexaginta ferè ſtadia usqve ad urbem inſtrata, nomine ſacra, per qvam ſacrorum pompa mittebatur: Sacerdotes ex civibus nobiliſſimi eligebantur, qvorum ſacerdotium cum vita durabat. Traditum eſt hanc urbem olim vicum fuiſſe, patriam ac regiam Carum regum & Hecatomni, mari proximam, non procul ab Phyſco, in qvo Mylaſii portum habuere. Hinc viri memoratu digni fuerunt rhetores ſimul & oratores, Euthydemus & Hybreas, prior ingentes opes à majoribus ſuis accepit, & ipſe magnas per ſe paravit, non ſolum in patria clarus: ſed tota in Aſia primos honores adeptus. Hybreæ, ut ipſe narrare ſolebat, & cives confitebantur, pater mulum lignarium & mulionem reliqvit, à qvibus aliqvandiu nutritus eſt: poſtea Diotrephem Antiochenum audivit, & domum reverſus ædilitati ſe tradidit, nec multa lucratus ad gubernandam rempublicam animum intendit, ac forum ſecutus cito crevit, & in admiratione maxima habitus eſt, vivente adhuc Euthydemo: nam his creſcunt patrimonia fabris: Sed illo mortuo civitatis compos omnino fuit. Euthydemus dum viveret multum anteibat, cum ſimul & potens eſſet, & utilis in republica: & ſi qvid erat in eo tyrannidis, id reipublicæ utilitate compenſabatur. Qvapropter laudatum eſt vehementer illud Hybreæ, qvod extremo in concione dixit: Euthydeme, malum es civitatis perneceſſarium: nam nec tecum vivere poſſumus, nec ſine te. Qvod in plerisqve civitatibus Italiæ noſtra ætate erga nonnullos haud inconvenienter diceretur. Habent enim & noſtra tempora ſuos Euthydemos. Hybreas cum plurimum creviſſet, & optimum ſe civem atqve oratorem exhibuiſſet, ad extremum erravit, contra Labienum aliter atqve alii in re publica ſentiens. Nam cum cæteræ urbes Labienum admitterent, cum ſocietate Parthorum adventantem, hic ſuis civibus ut reſiſterent, ſvaſit. Sed Labienus impetu facto urbem vi cepit, & domum ejus commolitus eſt cum pluribus aliis. Hybreas Rhodum aufugit, & poſt tempus reverſus ſe atqve urbem reparavit, cum jam Labienus Aſiam reliqviſſet. Stratonicea qvamvis in Caria ſita eſſet, Macedonum tamen habitatio fuit, ſumptuoſis fabricis à regibus

gibus exornata. Prope urbem Jovis Chrysaorei templo Cares omnes convenire solebant, de communibus rebus deliberaturi, conventus Chrysaoreus appellabatur, ex vicis constans, ubi qvi plures viros afferebant, in suffragiis antecellebant. Stratonicenses qvamvis non Carici generis, in conventu tamen participabant. Ex ea urbe vir fuit memoratu dignus Menippus orator, cognomento Catocas, qvem supra omnes Asiaticos oratores à se auditos Cicero laudat. Magnum tanti viri præconium fuit. Est & aliud oppidum Stratonicia Tauro monti adjacens. Alabandam urbem duobus montibus subjectam, ita dispositam extitisse dicunt, ut cistæ inversæ præberet speciem. Unde Apollonius cognomento Malacus, cum sales dicacitatis in hanc urbem jactaret, propter scorpiones qvi multi inerant: Urbs est (inqvit) cista inversa scorpionibus plena. Gvarinus Veronensis hunc Strabonis locum è Græco in latiuum convertens, asellum pro cista posuit: tanta est translatorum diversitas. Alabanda homines molles, & Psaltrias multas habuit. Hinc viri memorabiles fuere duo fratres oratores, Menecles & Hierocles, & Apollonius & Molon, qvi Rhodum migraverunt.

## CAP. LXXXVI.

### *De Antiochia Asiatica & Cibyreis populis qvatuor linguis utentibus, qvodq; apud eos facile erat ferrum extornari, de Caribus, qvi Leleges dicti sunt. Item qvi propriè dicebantur Barbari.*

AD Cariam & Antiochia pertinuit, qvæ mediterranea fuit, Phrygiæ proxima, mediocris urbs, ad Mæandrum sita, Phrygiam versus: & pontem habuit in flumine, & regionem multam ex utraqve parte amnis totam fertilem, & caricam plurimam producentem, qvam modò Antiocheam, modò Triphyllon vocavere. Locus facile concutiebatur, sicut cætera regionis ejusdem. Hinc fuit Sophista clarus Diotrephes, qvem Hybream diximus audisse. Antiochiæ propinqvi Cabalenses fuere, de qvibus non satis certum est, an Cares fuerint an Pisidæ. Sunt qvi eos Solymos fuisse credidere:

didere: nam collis qvi Termeſſio promontorio imminebat, Solymus vocabatur, & ipſi Termeſſii Solymi dicuntur. Proximum erat Bellerophontis vallum, & Piſandri filii ejus ſepulchrum, qvi in bello cecidit contra Solymos geſto. Termeſſus Piſidica urbs ſine controverſia fuit, qvæ proximè ac plurimum Cibyræ imminebat. Cibyrei è Lydis profecti dicuntur, qvi Cabalenſem agrum tenuerunt. Poſtea Piſidæ finitimi eam habitavere, atqve in alium locum tranſtulerunt, & munitiſſimam reddiderunt, ambitu ferè centum ſtadiorum. Hæc urbs propter eqvitatum plurimum crevit, & vici propagati ſunt, à Piſidia & finitimo Myſiæ agro usqve in Lyciam, & ulteriorem Rhodiorum regionem, additis tribus urbibus proximis Bubone, Balbura, & Oenoandro, qvarum conventus Tetrapolis dictus eſt: harum ſingulæ ſingula ſuffragia habuere. Cabyra verò duo de triginta peditum mittebat, eqvitum duo millia. Cabyra longo tempore ſub Tyrannis fuit, qvorum regimen temperatum erat, & in Moageta finem habuit. Muræna tyrannidem ſuſtulit, & Balburam Bubonemqve Lyciis adjecit, qvæ montana erant loca. Cibyrenſis tamen adminiſtratio inter maximas totius Aſiæ cenſebatur. Cibyrei qvatuor linguis utebantur, Piſidarum, Solymorum, Græcorum, ac Lycorum. *Proprium apud Cibyreos fuit, ferrum facile extornari.* Milyas montana eſt, qvæ ab anguſtiis Termeſi, & à tranſitu qvi per eas fit ad citeriora Tauri, usqve ad Apameorum regionem & Sagalaſſum protendit. Sed qvoniam de Caribus hoc in loco tractatio eſt, ſcire oportet eos ſub Minoë fuiſſe, ſed tunc Leleges dicebantur, & inſulas habitabant. Poſtea in continentem migravere, multumqve maritimæ oræ & mediterraneæ occuparunt, prioribus habitatoribus expulſis, qvi & ipſi magna ex pate Leleges erant & Pelasgi. Rurſum his Græci partem abſtulerunt, Iones ſcilicet ac Dores. Fuerunt autem Cares circa rem militarem admodum ſtudioſi, cujus rei indicium eſt, qvod lora, criſtas, & cætera inſignia militaria olim Carica dicebantur, ut eſt illud Anacreontis: Nectite bene compactum Cariæ lorum, manum inſertantes: & Alcæus: Caricam, inqvit, qvatiens criſtam. Sed qvæſitum eſt: cum multæ barbaræ nationes in auxilium Priami veniſſent, cur ſolos Cares barbarici ſermonis Homerus dixerit? Strabo arbitratur ab initio confiсto nomine eos barbaros appellatos, qvi difficulter aſperè atqve duriter loqverentur, ut blæſos, balbosqve dicimus. Sumus

mus enim ad confingenda cognata rebus nomina ingeniosi. Omnes igitur qvi crasse loqvuntur, barbaros dici, qvales sunt nationes omnes præter Græcos, & primo qvidem per convitium, qvasi duriloqvis, & crassilinguibus barbariem imputatam. Postea verò id nomen per abusionem receptum esse, cæteras gentes à Græcis distinguens: fuisse qvoqve in Græca lingua qvandam loqvendi pravitatem, eamqve barbaram vocatam, si qvis non rectè græca pronunciaret, sed ita nomina proferret qvemadmodum Barbari solent, qvi ad græcam dictionem introducti expedire lingvam non possunt, sicut nec Græci illorum orationem, qvod apprime Caribus contigit. Nam alii non multum cum Græcis diversabantur, nec Græcè vivere, nec eorum dictionem discere pertentabant, nisi perrari admodum. Cares verò per totam Græciam erraverunt, stipendia merentes, & ex illo tempore Barbari sunt appellati, & multo magis postea qvam insulas habitaverunt, & cum in Asiam profecti sunt, ubi cum Græcis vixerunt: nam Iones cum eis ac Dores trajecere. Rectè igitur barbarum eis sermonem imputat Homerus, qvi græcè minus expeditè loqvebantur. Barbarismus qvoqve in his dicebatur, qvi malè græcizabant, non autem in his qvi Carice loqverentur. Apostolus Paulus in epistolis omnes inter sese barbaros esse dicit, qvi se invicem non intelligunt; & Romani omnes barbaros vocavere, qvi latinè loqvi nescirent, præter Græcos, qvibus honorem detulerunt, barbariemqve nonnunqvam etiam de moribus traxere. Soloecismum autem qvi orationis artem respicit, à *Solis* ductum putant, qvæ civitas Ciliciæ fuit, postea Pompejopolis appellata: nec plura de Asia propria, cujus ultimam partem Cariam fecimus.

## Cap. LXXXVII.

## *De Lycia minoris Asiæ tertia parte, deqve in ea Dorica Chersoneso, de Gnido promontorio. Item de Caunis populis viridem colorem habentibus.*

Restat minoris Asiæ tertia pars, qvæ trans Taurum appellatur, objecta noto: in hanc Lyciam Pamphyliam, & Ciliciam collocavimus. Lycia (ut Ptolemæus voluit) & ab occasu & à septentrione Asiam propriam habuit, ab ortu Pamphyliæ partem, à meridie Lycium mare. Nec Strabo Ptolemæi sententiæ multum adversatur: qvamvis Lyciæ terminos angustiores ab occidenti fecit. Multa ii extra Taurum Cariæ tradiderunt, qvæ nos Lyciæ concedimus, totam scilicet oram Rhodiensem, qvæ à Phœnicis promontorio usqve ad Dædala protenditur, & insuper totam Doricam regionem, in reliqvis concordes erimus. Prima igitur Lyciæ pars, Dorica Chersonesus erit, qvæ Myrtoo Rhodiensiqve pelago cincta, ultimum Asiæ angulum ad occidentem ac meridiem occupat: qvemadmodum Bithynica Chersonesus Borealem & occidentalem alterum tenet angulum. Nam his veluti duabus columnis basis ipsa sustinetur Asiæ, sive duo velis cornua dicere, qvorum alterum Thraciam respicit, alterum Cretam, oram Hellespontiam in medio constitutam, qvasi bovinam frontem habentia, etsi non est hinc atqve inde par distantia. Circa Isthmum Doricæ Chersonesi in australi parte mons Phœnix est, omnium ejus regionis altissimus, in cujus summo castellum fuit ejusdem nominis, & in fronte ad qvatuor stadia insula Eleusa, octo ferè stadia in ambitu habens: & Loryma ora aspera, ubi flexus qvidam Chersonesi ad Aqvilonem inclinat: deinceps recta navigatio usqve in Propontidem qvasi qvandam meridianam lineam facit, qvæ millia circiter stadiorum qvinqve complectitur. Post Loryma Cynossema fuit Canis sepulchrum, & insula Syma. Postea Gnidus promontorium, qvod nostra ætas Chii caput appellat, & civitas qvæ portus duos habuit, & in fronte insula, qvæ stadia septem ambitu complectebatur, theatralis & alta, aggeri-

aggeribus juncta continenti. Ea Gnidum qvodammodo biurbem fecit: nam maxima pars civitatis insulam habitat, ambos portus contegentem. E Gnido viri memorabiles fuerunt, Eudoxus mathematicus Platonis sodalis, & Agatharchides peripateticus historiæ conditor, & Theopompus Julio Cæsari familiaris, qvi apud eum plurimum potuit, & Artemidorus ejus filius, & his antiqvior Ctesias, qvi Xerxem medicatus est, & res Syriacas Persicasqve conscripsit. Post Gnidum in septentrionali Chersonesi latere, duo supra mare oppida fuerunt, Ceramus & Bargasa, Coorum insulæ è regione opposita. Deinceps Halicarnassus extra Isthmum, qvem vix duorum stadiorum esse arbitrantur: eum sæpe Rhodii interrumpere cogitaverunt. In ruinis Halicarnassi castellum sancti Petri Rhodii apprime communitum possident, apud qvod multæ insunt antiqvæ nobilitatis ruinæ & res. Halicarnassum Cariæ dedimus. In australi verò littore, & in Rhodiorum regione Physcus oppidum fuit, in qvo Mylasii ad Cariam pertinentes portum habuere: ibi Latonæ lucus erat, qvam gentiles Dianæ matrem, deamqve fuisse falso credidere, qvamvis ex adultero peperisset. Ulterius ad orientem Caunus civitas fuit, & in proximo Calbis profundus amnis, per qvem res invehebantur: urbs navalia habuit, & portum clausum, & imminentem in colle arcem nomine Imbrum, & regionem felicem adiacentem: sed aërem æstate & autumno gravem propter æstum, & pomorum copiam. Stratonicus citharœdus cum Caunios viridi colore animadvertisset, hic est (inqvit) qvod poëta dicit: Tale qvidem genus est hominum qvale & foliorum. Reprehensus autem qvod urbem veluti morbidam carperet: Ego (addidit) eam morbidam dicere ausim, ubi mortui ambulant? Hæc eadem ad eos transferri possent, qvi maritimam Senensium oram incolunt. Caunii cum aliqvando à Rhodiis descivissent, judicantibus Romanis recuperati sunt. his eadem lingva cum Caribus fuit, sed propriis legibus utebantur, ex Creta originem ducentes. Calymna civitas huic proxima fuit, & promontorium Artemissium & templum, & alter Latonæ lucus. Calymna sexaginta stadiis à mari recessit. Ulterius Glaucus sinus sine portu, & magis ad orientem Dædala loca, & promontorium in qvo Rhodiensis ora finiebat, & Lyciæ secundum Strabonem prænavigatio incipiebat, mille & septingenta ac viginti stadia continens:

 tinens:

tinens: aſpera ſanè ac difficilis, ſed portuoſa, & ab hominibus temperantibus habitata, qvam paulò poſt attingemus. Nam prius de Rhodo dicendum eſt, qvæ his locis expoſita eſt, de qvibus modò locuti ſumus.

## Cap. LXXXVIII.

*De Rhodo inſula, & qvod apud eam Telchines populi ferri & æris fabricam primi inveniſſe dicuntur, de Coloſſo & Protogenis tabula, de viris in ea claris, de religioſis militibus beato Joanni dedicatis. Item de canibus Chriſtianis adventantibus blandientibus, & Turcas morſibus impetentibus.*

RHodus inſula noningentorum ac viginti ſtadiorum ambitu patet, ſecundum noſtram deſcriptionem Lyciæ oppoſita, ſecundum Ptolemæum & Strabonem Cariæ, inter Aſiaticas inſulas tertia. Lesbus enim & Cyprus majores habentur, Rhodii tamen rerum geſtarum gloria prævaluerunt. Inſula prius Ophiuſa dicta eſt, deinde Stadia, & poſtea Telchinis, eò qvod Telchines inſulam incolerent, qvos, nonnulli faſcinatores & maleficos fuiſſe tradunt, tanqvam Stygiam aqvam ſtirpibus & animalibus perniciei gratia inſpergerent. Alii contra ſentiunt, Telchines eximios artifices extitiſſe, primosqve ferri & æris fabricam inveniſſe, qvos ex Creta in Rhodum profectos, vicini per invidiam faſcinationibus perdiderint: ſed priorem infamiam valuiſſe. Sæpe enim apud homines ſuccumbit veritas. Poſt Telchines Heliades inſulam tenuere, qvorum poſteri Lindon ac Ialyſon, & claram Camiron condiderunt: alii tamen à Tleopolemo conditas ajunt, qvi cum primum virilem iniſſet ætatem, patris ſui avunculum Licymnium ſenectute gravem interfecit, & navibus ædificatis freqventem cogens populum, fuga in Rhodum pervenit, ibiqve habitavit ab Argis profectus: propter qvam rem originem Rhodiorum, alii Æolicam, alii Doricam eſſe tradunt. Sunt enim qvi Dorienſes cum maximas ædificaſſent urbes, poſt Codri obitum

tum partim Argivorum aggregatos regno tradant, partim coloniæ in Cretam missæ participes factos, partim Rhodum petisse. Sed hæc posteriora sunt his, qvæ ab Homero dicuntur, qvi Rhodios non Dores nominat; sed Æoles, ac Boeotios innuit, apud qvos Herculis & Licymnii habitatio erat. Est autem Rhodiorum vetustissimum nomen, siqvidem ante olympiadum institutionem claruere, qvi longè à domo profecti in Hispaniam navigarunt, ibiqve alteram Rhodum urbem condidere, qvam postea Massilienses occuparunt, & in bello Trojano fuisse traduntur, atqve eo peracto Gymnasias insulas ædificasse, qvas qvidam Baleardes esse putant. Poëtæ antiqvitatem ac nobilitatem insulæ astruentes, fabulam confinxerunt, dicentes aurum in insula pluisse, cum Pallas ex Jovis capite nasceretur, ut Pindarus inqvit. Nomen insulæ ab urbe sumptum, qvæ pari modo Rhodus appellatur, in orientali promontorio sita: ea portubus olim, & viis & mœnibus, & reliqvis ornamentis tantopere cæteras superavit, ne ullam putaretur æqvalem habere. Legum præstantia, & navalis rei peritia adeò valuit, ut annos multos maris imperio potiretur, & piratarum latrocinia sustulerit, Romanis & Græcis amica: qvæ cum libera esset, multis & donis & simulacris excellentissimis claruit: præcipua tamen fama Colossi extitit. Statuam enim alii Jovis, alii Solis fuisse tradunt, qvam Chares Lindius decies septenum cubitum altam edidit ære: postea ex terræ motu fractis genibus corruit, nec Rhodii ipsam attollere ausi sunt, oraculo qvodam prohibiti. Hoc inter oblata dona excellentissimum, & inter septem miracula maximum omnes confessi sunt. Soldanus Ægypti cum insulam invasisset, ex ære hujus statuæ, qvam confractam reperit, noningentos camelos onerasse fertur, atqve in Alexandriam terrestri itinere transmisisse. Fuit & Protogenis pictura insignis in valvis, scilicet Satyrus juxta columnam stans, super qva perdix erat, ad qvem ita homines hiabant, cum nuper tabula esset posita, ut illum solum admirarentur, Satyrum verò contemnerent, qvanqvam perfectissimum opus. Augebant admirationem perdices mansveti, qvi à nutritoribus allati & contra pictum appositi canebant, & congredi gestiebant, qvod præter opinionem Protogenes accidisse videns, æditu os rogavit, ut se avem delere permitterent, qvod illi annuerunt. Fuerunt & navalia apud Rhodum instructissima, & aliqva occulta & ignota plebi, in qvæ si qvis introspexisset, capite plectebatur.

batur. In hac urbe & Massiliæ, & Cyzici fabrorum & architectorum instrumenta, armorumqve varia genera, in thesauris summa cura studioqve locabantur, magis qvam penes alios usqvam. Ex hac insula viri illustres multi prodierunt, & imperatores & pugiles, è qvibus Panætii philosophi progenitores fuere, & Memnon qvi Persarum regibus militavit, & eorum copias duxit. Circa res civiles, & Philosophiam, & artes liberales Panætius ipse, & Stratocles, & Andronicus peripateticus, & Leonidas Stoicus, ac priores Praxiphanes, & Hieronymus, & Eudemus. Possidonius verò qvanqvam Rhodi vixit, & sophisticam exercuit, Apamiensis tamen è Syria fuit: qvemadmodum Apollonius Malacus, & Molon, qvi Alabandenses fuere (ut supra diximus) sed prius Apollonius Rhodum profectus est, postea Molon. Pisander etiam, qvi Heracliam scripsit, poëta Rhodius fuit, & Simias grammaticus, & Aristocles. Dionysius qvoqve Thrax, & Apollonius, qvi Argonautas composuit, Alexandrini qvidem fuere, Rhodii tamen vocati sunt, qvoniam Rhodi habitavere. Cleobulus insuper unus è septem sapientibus è Lindo fuit, cujus urbis habitatores (qvemadmodum Camirenses & Ialysii omnes) in urbem Rhodiam migraverunt. Ubi Lindus fuit: nunc carcer est religiosorum militum, qvi atrociter peccant, & munitio qvædam altissimo saxo vix humanis expugnanda viribus. Multa hæc civitas Rhodia per civilia Romanorum bella perpessa est, nec sub Græcorum imperio calamitatibus caruit. Sed postqvam Saraceni Ægyptum & Syriam, Turcæ verò Asiam obtinuere, longè majoribus cladibus subjecta fuit: & aliqvando Venetorum jugum, aliqvando aliorum Christianorum pertulit, neqve ullo pacto Turcarum viribus restitisset, nisi religiosi milites (qvi beato Joanni dicati sunt) insulæ ejus curam suscepissent. Hi enim post perditam Hierosolymam in eam sese receperunt, & urbem pene dirutam instaurantes, navaliaqve & classes reformantes, non solum insulam ipsam tutati sunt, sed Cypriis & aliis finitimis Christum colentibus magno præsidio fuerunt, qvorum virtute, qvicqvid in oriente nostræ religionis est, Christo servatum fateri licet. Abusacus Ægypti Dominus (qvem Soldanum appellant) magnis classibus per nostram ætatem armatis, toto qvinqvennio Rhodum vexavit, multò tamen minora intulit damna, qvam pertulit, nec dispari fortuna Turcarum conatus in Rhodiis facti ceciderunt. Nam & apud oppidum sancti Petri,

Petri, qvod Rhodii in continenti munitissimum possident, & in ipsa insula magnas sæpe strages acceperunt. Calixtus tertius Papa, qvi nos in beati Petri sede præcessit, classem non parvam in auxilium Rhodiorum misit, qvæ diu apud eos morata plures Turcarum naves prælio superatas demersit, & corpora hominum palo suffixit, Staliminumqꝫ insulam, Lemnum olim appellatam, & Naxum, & Andrum, & alias qvasdam minoris nominis Turcarum imperio ademit: nec Ægyptios qviescere permisit, neqve Syrios, neqve Cilicias. Sed mortuo Calixto dissoluta classe, Ludovicus Cardinalis Aqvilejensis, qvi ei præfectus erat, Romam rediit, Rhodo & omni oriente nostræ religionis cultore in discrimine summaqve desperatione relicto: Et acqvisitæ insulæ ad hostes rediere, cum nos intestinis Italiæ motibus, & subditorum seditionibus occupati, longinqva prospicere non possimus, præsertim cum Roma ipsa in periculo esset, non solùm Baronibus per circuitum, sed aliqvibus Romanis civibus, res novas molientibus, & ecclesiasticæ potentiæ insidiantibus. Hactenus de Rhodo, in qva mons omnium altissimus Atabyris vocabatur, pro gentili dementia Jovi sacer, qvi ex loco Atabyris dicebatur. Castellum sancti Petri, qvod in continenti munitissimum magno sumptu custodiunt Rhodii, non parvo usui Christianis est, qvi manus Turcarum incidunt, sæpe eo fugientes salvantur. Canes ingentes noctu extra muros excubant, de qvibus fama est, qvod Christianos odore cognoscant, eisqve advenantibus blandiuntur, Turcas autem latratu prodant, & morsibus insectentur. Nunc reliqvam Lyciam absolvamus.

CAP.

## Cap. LXXXIX.

*De Lycia in qva tres & viginti urbes in suffragiis dandis participabant, de tribus Chelidoniis insulis asperis, de Climace monte, qvi iter facientibus eum pelago nudante pervius est, & qvod apud eum Alexander per hyemem incidens, cum suis militibus mare fluctu restagnante, umbilico tenus est mersus.*

LYcii adeò civiles & continentes extiterunt, ut qvamvis feliciter usqve in Italiam mari dominarentur, nullo tamen unqvam turpi lucro sese extulerint. Viginti tres urbes apud eos erant, qvæ in suffragiis dandis participabant, & ex qvaqve civitate in commune collegium conveniebant, id decernentes, qvod pars maxima comprobasset. Maximarum civitatum qvælibet tria suffragia ferebat, mediæ duo, cæteræ unum: pariqve modo pro portione tributa ponebant, & alia munera subibant. Hæc de his Lyciis dicimus, qvos Strabo ultra Dædala versus orientem collocavit. Nam Dorica & Rhodiensis ora ad Cares pertinebat. Artemidorus Lyciorum sex maximas fuisse urbes asseruit, Xanthum, Pataram, Pinaram, Olympum, Myram, & Tlon. In collegio civitatum primo eligebatur Lyciæ præfectus, post alii urbium magistratus: judicia in communi fiebant. Antiqvitus de bello, de pace, de sociis consultabant: postea Romani hanc eis potestatem abstulerunt. Sed cum justè viverent, libertatem consecuti sunt, & patriam pacatam habuerunt, & Piratas funditus deletos viderunt, primum à Servilio Isaurico, postea à Pompejo magno, qvi supra mille & trecenta navigia concremavit, & eorum habitationes delevit, & ex hominibus qvi in prælio superfuerant, alios in urbem Solos apud Cilices habitatum deduxit, & urbem Pompejopolim appellavit: alios Didymenam, qvæ hominibus carebat, & postea Romanorum Colonia facta est. Sed Piratæ ut plurimum aut *Pisidæ*, aut Isauri fuerunt, aut

Cilices

Cilices Trachiotæ, qvi apud Sidam Pamphyliæ urbem navigia faciebant, ibiqve captivos sub hasta venditabant, non diffitentes eos liberos esse. Pisidæ & Isauri, ut diximus montani, fuerunt, ultra & circa Taurum jugum habitantes, & summos etiam vertices incolentes, de qvibus satis dictum est in superioribus, qvamvis magna pars eorum australia Tauri teneret, & ad tertiam, qvam nunc describimus, Asiæ partem respiceret. Post Dædala Lyciorum montem in proximo fuit Telmissus oppidum, & Telmissias promontorium, & in eo portus. Hunc locum Eumenes in bello adversus Antiochum gesto à Romanis accepit: sublato regno, Lycii locum receperunt. Deinceps Anticragus mons assurgit, & in ejus convalle Carmylessus locus habitatus, deinde Cragus in octo promontoria divisus, & urbs ejusdem nominis. Hic fabulas de Chimæræ montibus confinxere, & prope convallis fuit nomine Chimæra, à littore porrecta in mediterranea. Crago subjacuit Pinara, una ex maximis Lyciæ civitatibus, in qva Pandarus colebatur. Dubium, an is qvi apud Trojam in prælio fuit, nam & illum ex Lycia dixere. Postea Xanthus fluvius prolabitur, qvem priores Sirbim vocavere: juxta hunc procul à mari septuaginta stadiis Xanthus erat civitas, una ex majoribus, & post eam Patara & ipsa maxima, Patari opus, qvæ portum habuit, & templa plurima. Ptolemæus Philadelphus eam auxit, & Arsinoën Lyciacam nominavit: sed antiqvum nomen delere non potuit. Nicolaus hic pontificatum habuit, vir sanctitate præcipua clarus. Is cujus nautæ in tempestatibus singulari patrocinio utuntur, & qvi auro in domum inopis patrisfamiliâs clam injecto, tribus puellis, ne prostituerentur, divinitus consuluit. Deinde ad stadia viginti supra mare in sublimi colle Myram locaverunt: postea Limyri fluminis ostia ascendenti stadia viginti pedestri itinere Limyra oppidum occurrebat: in hac præternavigatione portus & insulæ multæ, qvarum maxima Cisthene fuit, ejusdem nominis urbem habens. Deinde in mediterranea Phellus & Antiphellus appellata loca, postea Hiera promontorium, & tres insulæ Chelidoniæ asperæ, & magnitudine æqvales, stadiis qvinqve inter se distantes: à terra verò sexaginta, qvarum una stationem habuit. Qvidam initium Tauri è regione Chelidoniarum surgere putaverunt, propterea qvod promontorium altum est, & à Pisidicis montibus descendit. Sed revera à Rhodio-

rum transmarina Pisidam versus, montana regio perpetua est, qvæ etiam Taurus appellatur. Post Hieram Crambusa fuit, & Olympus civitas maxima, & mons ejusdem nominis, qvi etiam Phœnicus vocabatur. Deinde Corycus littus, postea Phaselis tribus munita portubus, civitas insignis & lacus, cui mons nomine Solyma incumbit, & Telmissus Pisidica civitas angustiis adiacens, per qvas in Milyadem transitur. Sed de Telmisso supra diximus, qvam Alexander cum angustias aperire vellet, cepit ac diruit. Inferius ad mare circa Phaselidem angustiæ sunt, & mons nomine Climax, Pamphylico pelago adiacens, qvem Ptolemæus Massiticum appellare videtur. Is transitum arctum relinqvit in littore, qvi tranqvillo mari nudatur, & iter facientibus pervius est, pelago affluente undis contegitur; transitus per montem & arduus & prolixus est, atqve idcirco in tranqvillitatibus littore utuntur. At Alexander in hyemem incidens, & maximam partem suarum rerum fortunæ permittens, priusqvam fluctus rediret, movit: & totam diem in aqvis habuit, ita ut umbilico tenus milites mergerentur. Periculum per tot pericula dux simul & exercitus qværebat. Phaselis Lyciaca urbs fuit in montibus sita, qvi Pamphyliam spectant, sed cum Lyciis non communicavit suis utens legibus: nonnulli Lycios prius Solymos vocatos putaverunt. Postea Termilas ab his, qvi cum Sarpedone ex Creta venerunt, deinde Lycios à Lyco Pandionis filio, qvem domo profugum Sarpedon in regni partem suscepit: Sed melius sentiunt, qvi Solymos in boreali Tauri parte collocant, & postea Milybæ appellati sunt. Homerus verò Solymos diversos facit à Lyciis, qvorum Rex ad Trojanum bellum misit Bellerophontem, de qvo dicitur: Hic Solymis iterum præstantibus intulit arma. Lycii Christiana sacra receperunt, deniqve servaverunt. Beatus Christophorus apud eos martyrium accepit in civitate Samonæ, qvem virgis ferreis attritum, & flammis exustum divina virtute salvatum ferunt: Postremo sagittarum ictibus confossum, dum constanter in Christi confessione persisteret, capite obtruncatum; sed nostra ætate Lycii omnes in potestate Turcarum facti, rectam fidem amiserunt.

CAP.

## Cap. XC.

### *De Pamphylia & in ea Catarracte fluvio admodum qvàm impetuoso, qvodq; in ipsa Pamphylia Christi Evangelium sit susceptum, postea in Mahumetis dogma deventum.*

PAmphylia tota montana ex Tauro in mare procumbit, ab oriente Tracheæ Ciliciæ juncta, ab occidente Climaci monte seu Masitico, qvi Lyciam disterminat: Pisidæ ei à septentrione incumbunt, qvi Taurum obtinent, de qvibus mentio facta est. Initium Pamphyliæ Olbia præbuit, Phaselidi propinqva, ingens munitio. Postea Cataractes effluit amnis, multus & torrentis more impetuosus, ab alta petra descendens, cujus impetus longissimè exauditur. Deinde Attalia Philadelphi Attali opus, à qvo dicta est. Sunt qvi dicunt inter Phaselidem & Attaliam Thebam qvandam & Lyrnessum fuisse, qvod non est alienum credere, si, qvod Callisthenes autor est, Trojanos Cilices post Ilium deletum ex Thebano campo in Pamphyliam exivisse, à qvibus facile fuit oppidis, qvæ conderent, ea nomina imponere, qvibus in patria utebantur. Attaliam prætergresso Cestrus occurrit fluvius, qvem ad stadia sexaginta naviganti, Perga civitas offerebatur, & proximum loco edito Pergææ Dianæ fanum, ubi qvotannis festa celebrabantur, dæmonibus expectata solatia. Deinde ad stadia qvadraginta supra mare urbs alta, qvæ à Pergæis conspici poterat: deinde lacus ingens nomine Capria, & fluvius Eurymedon, & superius stadiis sexaginta in ejus ripa urbs Aspendus plena populo, qvam Argivi condiderunt. Ptolemæus hunc amnem inter Cataractem & Cestrum posuit. Strabo ultra Cestrum ad orientem locavit. Ultra Aspendum Petnelissus defluit amnis, deinde & multæ in fronte insulæ parum cognitæ. Postea Sida Cumanorum colonia, qvæ Palladis templum habuit, & Piratarum commune forum: & ei proxima minorum Cibyrensium ora: & Melas amnis. Postea Ptolemais urbs, & non procul Pamphyliæ fines, & Coracesium Trocheæ Ciliciæ initium. Tota Pamphyliæ prænavigatio sexcentorum

torum & qvadraginta stadiorum spatium continet. Herodotus autor est Pamphylios ex sociis Amphilochi & Calchantis fuisse, mistis sanè hominibus, qvi ex Troja illos seqvebantur, atqve ex his alios hic remansisse, alios in alia loca fuisse dispersos. Callinus asserit Calchantem apud Clarum obiisse: gentes verò, qvæ cum eo erant, Taurum cum Mopso transgressas, partim in Pamphylia remansisse, partim in Ciliciam Syriamqve usqve ad Phœniciam processisse. Pamphylia sicut & reliqvæ Asiæ provinciæ sacrosanctum Christi Evangelium suscepit. Postea de via vitæ recessit, sceleratum Mahumetis dogma, & inanes secuta fabulas, & in hoc usqve tempus delirat, Turcarum imperio subjecta, qvibus ad voluptatem humano generi amicam multa permissa sunt: Sed jam ad Ciliciam transeamus.

## Cap. XCI.

### *De Cilicia duplici Trachea scilicet & Campestri, de emporio nomine Delus, apud qvod mancipiorum millia multa qvotidie venundabantur, de Arsinoë & Hamaxia cedrinifera, de Scandaloro oppido, cujus Dominus hominum viginti millia armare posset. Item de Athenæo Philosopho, ruina domus per noctem oppresso.*

Cilicia prius ad Pelusium usqve Ægypti pertendebat, Lydia, Pamphylia, Cappadocia, Armenis ac Medis, sub imperio Cilicum constitutis. Mox ab Assyriis edomita, in breviorem modum scripta est: ab oriente Amano clauditur, à septentrione Tauri jugis, ab occidente Pamphylia, & plurima jacens campo in australi latere sinu lato mare Issicum recipit. Cilix ei nomen dedit, qvem pristina ætas pene ultra ævum memoriæ abscondit. Phœnice ortus, qvi apud gentiles antiqvior Jove, de primis terræ alumnis habebatur. Ciliciam duplicem esse diximus, alteram Tracheam, alteram Campestrem. Trachea oram maritimam perangustam habet, & nullum

nullum vel raro locum in plano. Taurus ei incumbit, male habitatus usqve ad latera borealia, qvæ circa Iſauriam & Homonades exiſtunt, usqve in Piſidiam. Incipit autem Trachiotis Cilicia à Coraceſio, & usqve Magnopolim excurrit. Campeſtres verò à Magnopoli & Tarſo Iſſum usqve pertendit: cui ad boreale Tauri latus Cappadoces adjacent. Primum igitur Tracheæ caſtellum Coraceſium dixere in petra prærupta ſitum. Hoc ex loco Diodorus cognomento Tryphon regibus Syriæ bellum intulit, & varia uſus fortuna, ab Antiocho tandem filio Demetrii in qvodam loco concluſus, ſibiipſi manum conſcivit, dignus homine finis, qvi ſine regno neſciret vivere. Qvod autem Cilices Piratæ fierent, ipſe Tryphon in cauſa fuit, & regum ignavia, qvi tunc Ciliciæ ac Syriæ ex ſucceſſione imperantes, & inter ſe diſſidentes plurima neglexerunt. Neqve enim natis regibus atqve electis par ſolertia ineſt. Invitabant etiam lucra ad maleficium, & ipſa facilitas capiendi & vendendi captivos. Delus non procul aberat emporium magnum & pecunioſum, qvot multa mancipiorum millia & recipere & remittere eadem die poterat. Ex qvo proverbium factum eſt: *Mercator naviga & expone, jam omnia venundata ſunt.* Nam Romani poſt Carthaginis & Corinthi everſionem divites effecti, multis ſervis utebantur, qvos apud Delum emebant. Piratæ igitur & prædandi & vendendi opportunitate oblata, mirum in modum coaluerunt, adjuvabant & Cypri reges & Ægypti Syris inſenſi. Nec Rhodii illis benevoli erant, qvapropter impune Piratæ graſſabantur. Romani tamen qvamvis parum eos qvi trans Taurum erant, curarent, Scipionem Æmilianum miſerunt, qvi populos & urbes inſpiceret: ſed intelligentes ex improbitate principum, à Seleuco Nicatore per ſucceſſionem profectorum, id malum evenire, non providebant. Pudebat enim Romanos id regnum abolere, qvod ipſi conſtituiſſent. Inviti enim deſtruunt homines, qvæ ipſi conſtruxerunt: ea res Parthos qvi trans Euphratem erant, poſtea regionis ejus dominos fecit. Deinde etiam Armenios, qvi regione transmarina usqve in Phœniciam occupata reges & genus eorum univerſum funditus ſuſtulerunt, mare autem Cilicibus conceſſere, qvos Romani opibus auctos & bello & exercitu delevere. Sed vicinis rebus, & in conſpectu ſitis occupati, poſtea ea loca neglexere. Ultra Coraceſium orientem verſus urbs Arſinoë fuit, deinde Hamaxia in colle ſita, qvæ habitatio ſtationem

 habuit,

habuit, ad qvam materies ad fabricandas naveis deducebatur, maxima ex parte cedrina, qvæ arbor in ea regione plurima est: Atqve idcirco Cleopatræ ab Antonio donata fuit, qvæ fabricandis navibus esset idonea. Laërtes subinde castellum in tumulo situm fuit, qvi mamillæ speciem præbuit, & stationem habuit: nec procul Selinus amnis in mare decurrit: postea Cragus petra prærupta supra mare, & Charadrus munitio cum statione. Ulterius mons Andriclus, & aspera qvædam præternavigatio nomine Platanistus. Dehinc Anemurium promontorium, ubi continens Crommyo Cypri promontorio appropinqvat, ad stadia trecenta & qvinqvaginta à Pamphyliæ finibus Anemurium usqve, Ciliciæ præternavigatio octingenta ac viginti stadia continet. Reliqva usqve ad Solos circiter qvingenta: In Cilicia Trachea civitatem hodie magnam esse dicunt, qvam Sataliam vocant, & oppositum mare Satalicum pelagus, qvod angustiis Cypriis proximum ferunt: & oppidum esse non parvum Scandalorum appellatum, cujus dominus viginti millia hominum armare posset, qvi qvanqvam Turca sit, Caramanum cum & Ottomanum inimicis Rhodiis amicitia jungatur. Post Anemurium Agidus civitas occurrit, deinde altera Arsinoë statione prædita, cui succedit locus Melania nomine, & Celendris civitas, qvæ portum habuit. Qvidam in hoc loco Ciliciæ initium fecerunt, non in Coracesio, qvibus Artemidorus consensit. Holmus deinde seqvebatur, qvà prius habitarunt, qvi postea Seleucenses appellati sunt. Sed condita Seleucia apud Calycadnum, eo commigrarunt. Calycadnus fluvius est, qvi ultra Sarpedonis promontorium in mare prorumpit: per hunc Seleuciam navigabant, urbem bene habitatam, & à Cilicio & Pamphylio more plurimum abhorrentem. Hinc ferunt ex peripateticis philosophis viri memorabiles Athenæus, & Xenarchus: ille in republica versatus aliqvandiu, in patria populum duxit, deinde contracta cum Muræna singulari amicitia, & cum illo fugiens captus est, cum insidiæ contra Cæsarem Augustum deprehensæ essent, sed insons inventus à Cæsare dimissus est. Rediens autem Romam cum ab amicis interrogaretur, unde veniret, illud Euripidis respondit: Advenio ab imis atqve cæcis inferum tenebris: sed breve tempus supervixit, à ruina domus per noctem oppressus (ut fit) qvod uno superato periculo, alterum incurrimus. Xenarchus (qvem Strabo audivit) non diu domi permansit, sed Alexandriæ

xandriæ & Athenis & Roma electa docendi vita, usqve ad senectutem in honore habitus est, primum Arii, postea Cæsaris Augusti amicitia usus, sed paulò ante obitum amisit visum.

## Cap. XCII.

### *De Pœcila petra scalis excisa, de Coryco monte & antro crocum optimum producente, deq́ ibidem specu flumen ingens emittente, qvodq́ flumen ipsum à terra invisibiliter absorptum in mare delatum exeat, de Zeniceto Pirata, qvi capto monte Isaurico, se cum tota domo concremavit.*

POst Calycadnum petra fuit nomine Pœcila, qvæ scalas habuit vi excisas, qvibus in Seleuciam ibatur: deinceps alterum Anemurium promontorium, & Crambusa insula, & Corycus mons, & ulterius ad stadia viginti Corycium antrum, in qvo crocus optimus nascebatur. Antrum autem ingentem qvandam concavitatem in orbem ductam vocaverunt, cui labrum petrosum & altum circumjacuit, cum descenderis solum est inæqvale ac petrosum, & fruticosa, ac semper virenti, & domestica materia plenum. Adjacens solum olim croco satum erat, & ibi specu, qvod fontem ingentem habuit puræ ac nitentis aqvæ in flumen exeuntis, qvod mox à terra absorptum invisibiliter delatum exit in mare: amaram id aqvam vocaverunt. Post Corycum Eleusa insula continenti adjacet, qvam Archelaus habitavit, & regiam fecit, tota Cilicia Trachea assumpta præter Seleuciam, sicut prius ab Amynta & à Cleopatra fuerat olim habitata. Nam cum locus terra & mari idoneus esset ad latrocinium, satius esse judicarunt ea loca sub regibus administrari, qvam sub ducibus Romanorum, qvi ad judicia missi non semper adesse cum armis possent: atqve hoc pacto Archelaus Cappadociam & Tracheam Ciliciam assumpsit. Post Eleusam Latmus fluvius & vicus ejusdem nominis occurrebat. In excellis autem Tauri partibus Olympus fuit, Zeniceti Piratæ sedes & mons, & castellum eodem nomine,

ex

ex qvo tota Lycia, & Pamphylia & Pisidia cernebatur. Zenicetus capto monte Isaurico, se cum tota domo concremavit, dignus exitus; qvi nostri temporis latrones haberet, qvando pœnitentiæ speciem nullam faciunt. Illius erat Corycus, & Phaselis, & multa Pamphyliæ loca, qvæ omnia in Isaurici potestatem venerunt. Neqve enim diuturna sunt, qvæ malis artibus acqviruntur. Post Latmum Soli occurrebant, civitas insignis alterius Ciliciæ initium, qvæ circa Issum jacet: hæc Achivorum opus fuit, & Rhodiorum, qvi ex Lindo venerunt: hinc Solœcismum appellatum existimant, qvod Grammaticæ artis vitium est. Pompejus magnus in hanc hominibus exhaustam reliqvos Piratas transtulit, qvos dignos existimavit, qvi servarentur, & mutato nomine urbem Pompejopolim appellavit: hinc fuit Chrysippus philosophus Stoicus ex patre Tarsensi ortus, qvi inde migravit: Philemon poëta comicus, & Aratus qvi de astris versus conscripsit, cujus plurima carmina Cicero in latinum vertit.

## Cap. XCIII.

*De Zephyro Ciliciæ promontorio, & Anchiala urbe, in qva Sardanapali sepulchrum cum statua videbatur: de Cydno flumine & ejus natura, de Tarso, & qvod apud id viri fuerint percelebres complures, inter qvos & Paulus Apostolus.*

SEqvitur Zephyrium promontorium eodem nomine, qvo aliud juxta Calycadnum. Ulterius Anchiala fuit paulo supra mare sita, Sardanapali opus, ubi Aristobulo teste sepulchrum ejus ostendebatur, & lapidea statua, qvæ dextræ manus digitos committens atqve collidens applaudere videbatur. Epigramma qvoqve Assyriis sculptum literis hujusmodi aderat: Sardanapalus Anacyndaraxis filius, Anchialam & Tarsum una die condidit: Ede, Bibe, Lude. Dignum epitaphium (ut Cicero dicit) qvod non in hominis sed in bovis sepulchro inscriberetur. Ultra Anchialam munitio fuit nomine

nomine Qvinda, in qva Macedones thesauros servabant, qvos Eumenes ab Antigono deficiens abstulit. Ultra hæc & Solos montana sunt, in qvibus Olbus civitas erat, qvæ Jovis templum habuit, Aiacis Teucri fratris opus, cujus sacerdos etiam Tracheæ dominabatur. Postea tyranni eam adorti latrocinia constituere, qvibus sublatis iterum sacerdotes principatum obtinuere, vel Teucri vel Aiaces vocati. Aba Zenophanis filia unius ex tyrannis per cognationem in hanc domum ingressa principatu potita est, qvem pater antea procuratorio nomine acceperat. Postea Antonius & Cleopatra eum illi concesserunt, obseqviis & cultu deliniti. Sed Aba sublata principatus ad eos rediit, qvi ex eodem genere erant. Post Anchialem Cydnus fluvius erumpit in mare, juxta locum, cui Rhegma nomen fuit. Stagnum id erat, in qvod Cydnus exit Tarsum perfluens, qvi supra urbem ex Tauro cadit. Tarsi verò navale lacus fuit. Hucusqve tota ora à Rhodiorum transmarina incipiens, ad æqvinoctiales ortus, ab occasu ejusdem nominis extenditur. Postea ad hyemalem ortum conversa Issum usqve, deinde flexum qvendam sumit in Austrum usqve in Phœniciam, reliqvum occidentem versus usqve ad columnas Herculis. Tarsus in campo jacuit, Argivorum opus, qvi Io qværentes, cum Triptolemo erraverunt. Julius Solinus matrem totius Ciliciæ Tarsum appellat, & à Perseo nobilissima Danâes prole conditam dicit. Sardanapalus in epitaphio, qvod ante retulimus, Tarsi conditorem se jactavit. Urbem Cydnus mediam perfluebat juxta gymnasium juniorum, cujus ortus non procul ab urbe fuit. Alveus per profundam vallem recta in urbem ibat, aqva rapidissima ac frigida, hominibus ac bestiis, qvæ crassiores nervos haberent, auxiliari putabatur. Alexander captus ejus amœnitate, projectis armis plenus pulveris ac sudoris, cum in ejus undam se projecisset, periculosissimum incidit morbum, de qvo vix tandem curatus evasit. Tarsenses adeò philosophiæ studiosi fuerunt, ut Athenienses & Alexandrinos superarent. Verum indigenæ Tarsi discebant, peregrini non multi, nec rursus indigenæ domi manebant, sed foris proficiscebantur, & perfecti libenter peregrinabantur, detinebantur autem perpauci. Atheniensibus contra evenit: nam multi eo proficiscebantur, & libenter immorabantur. Indigenæ non multi admodum ibi studebant,

nec alienas urbes diſcendi ſtudio qværebant. Alexandrinis utrumq; contigit: nam & multos peregrinos ſuſcipiebant, & à ſuis non paucos emittebant. Ex Tarſo viri illuſtres inter Stoicos fuerunt, Antipater, Archedamus, & Neſtor, & duo Athenodori, qvorum qvi Cordylion dictus eſt, cum Marco Catone vixit & apud eum mortuus eſt. Alter Sandonis filius, qvem Cananitam à vico qvodam dixerunt, Cæſaris præceptor fuit & in honore maximo apud illum habitus. Ex Academicis Neſtor Tarſenſis Marcellum Octaviæ ſororis Cæſaris filium inſtituit. Plutiades & Diogenes Tarſo nati, per alienas urbes peregrinati ſunt, & ſcholas optimè rexerunt. Diogenes etiam poëmata in adoleſcentia compoſuit, maxima ex parte tragica. Dionyſides optimus tragœdiæ poëta, & Artemidorus & Diodorus grammatici ex eadem urbe fuerunt. Sed nullius viri gloria Tarſum magis extollit, qvam Pauli Apoſtoli, qvi vocatus à domino, ſegregatus in Evangelium, doctor gentium factus eſt, & vas electionis appellatus, cujus mira fuit eloqventia, & divina doctrina, & ei non ſolum Hebræi, ſed Græci & Latini crediderunt.

## Cap. XCIV.

### *De Mallo urbe, & qvi apud eam viri clari fuere, de montis Amani portis Amanides appellatis, de Pindo amne, juxta qvem Alexander cum Dario conflixit.*

PRoxima Tarſo Mallus fuit, Pyramo fluvio (de qvo ſupra diximus) intercurrente. Mallus in edito loco ſita Amphilochi opus & Mopſi Latonæ & Apollinis auguris, de qvibus multa confiicta ſunt, & qvæ de Calchante ſupra diximus, nonnulli huc transferunt, dicuntqve Mopſum, & Amphilochum ex Troja profectos, Mallum condidiſſe, poſtea Ampilochum Argos digreſſum, cum Argivis non placuiſſet, illo rediiſſe: ſed à regni communicatione excluſum, ſingulari certamine cum Mopſo concurriſſe, & cum ambo cecidiſſent, non multum inter ſe diſtantes, juxta Pyramum fuiſſe ſepultos. Ex Mallo fuit Crates grammaticus, qvi Panætium philoſophum

phum instituit. Ultra hanc oram Halejus jacet campus, per qvem Philotas Alexandri eqvitatum duxit: cum ille phalangem per oram maritimam & Mallensem agrum Issum versus, & Darii copias ex Solis ageret. Hesiodus dicit Amphilochum ab Apolline apud Solos interemptum, qvidam apud Halejum campum, qvidam in Syria. Alexander ei propter cognationem cum Argivis gentili dementia sacrificavit. Post Mallum Ægeæ oppidum succedunt, deinde Amanides portæ, in qvas Amanus mons desinit à Tauro descendens, qvi ultra Ciliciam est orientem versus, semper à tyrannis occupatus, loca munitissima obtinentibus. Tarcodementus vir memoratu dignus his locis potitus est, qvi ob præclara facinora rex à Romanis nuncupatus, successionem suis posteris tradidit. Post Ægæas Issus oppidum fuit statione præditum, & Pindus amnis, juxta qvem Alexander cum Dario conflixit, ac victor percurrit orientem. Hic sinus Issicus ab oppido dictus, & Rhosum civitatem, & Myriandrum, & Alexandriam, & Nicopolim continet, & Mopsi domicilium, & portas qvæ Cilicum Syrorumqve confinium appellantur, & in ultima Ciliciæ terra Dianæ Sarpedoniæ fanum & oraculum fuit, ubi dæmonibus arrepti responsa dabant. In Syria verò prima civitas fuit, Seleucia Pieriæ, juxta qvam Orontes exonerabatur. Ex Seleucia usqve Solos recta navigatione stadia circiter mille computarunt. Sunt qvi arbitrantur Cilices Trojanos, qvorum Homerus meminit, horum Cilicum autores fuisse, de qvibus nunc actum est, qvamvis ab illis plurimum distent, ut qvidam econtrario censent. Nos suam cuiqve sententiam relinqvimus. Ciliciam campestrem Caramanus obtinet, qvi secundus in honore apud Turcas habetur. Is etiam minoris Armeniæ & Cappadociæ partem possidet, qvadraginta millia armatorum, cum necessitas ingruit, in campis habens. Is qvi modo regnat Abraham nomine, sæpe nostris præcessoribus & nobis scripsit, auxilia contra Ottomanuum petens, cui inimicus est, qvamvis in cultu Mahumeti consentiat. Reliqva qvæ extra Taurum in Asia sunt Ottomannus habet, exceptis qvæ Scandalari dominus possidet. Hactenus de Cilicia & Asia, qvam minorem diximus. Sed qvoniam Cyprus ei ad Austrum jacet, de hac simul agendum est, qva peragrata, finis erit Asiaticæ descriptionis.

## Cap. XCV.

*De Cypro insula & in ea promontoriis, qvodqve in eo cujus summitas olympus dicebatur, Veneris Acreæ templum fuerit, qvod mulieribus nec videre nec adire licebat, de Clidibus & Carpasiis circum Cyprum abjacentibus insulis, de promontorio unde qvi Apollinis aram tetigissent præcipitabantur. Item de Treta, Boosura Palæpapho, Arsinoë altera, Hierocepia & Papho.*

CYprus inter majores nostri maris insulas locum sibi vendicat, cujus septentrionales partes Tracheæ Ciliciæ oppositæ sunt, ibiqve continenti proxima est: Orientales Issico sinui: occidentales Pamphilicum alluit pelagus: australes Ægyptium. Ambitus insulæ trium millium & qvadringentorum ac viginti stadiorum in sinum se inferenti dicitur. Longitudo à Clidibus in Acamantem pedestri itinere mille & qvadringentorum stadiorum ab oriente in occidentem progredienti. Clides duas insulas vocaverunt, ad orientales partes ante Cyprum sitas, qvæ à Pyramo stadiis distant septingentis. Acamas promontorium est sylvosum, qvod duarum mamillarum speciem præbet, & in occidentalibus insulæ partibus situm, tendit ad aqvilonem, Tracheæ Ciliciæ proximum. Tota insulæ figura parte altera longior est. Crommyum promontorium Anemurio Ciliciæ Tracheæ promontorio per trecentorum & qvinqvaginta stadiorum opponitur intervallum: à Crommyo usqve Clidas naviganti recta navigatione, stadia septingenta insunt, insulam ad dexteram, continentem ad sinistram habenti. In hoc spatio Lapathus civitas fuit, statione prædita ac navalibus, Laconum & Praxandri opus, & juxta eum Agidus & Aphrodisium, atqve ibi insula angustissima: nam 70. stadiorum intervallo ad Salaminam transitur. Deinde Achivorum acta, qvo primum appulisse ajunt Teucrum, à patre Telamone pulsum, qvi Salamina in Cypro condidit. Postea Carpasia civitas, qvæ portum habuit circa Sarpedonem promontorium sita. Deinceps mons & promontorium, cujus summitas Olympus dicitur, in qvo Veneris

Veneris Acreæ templum fuit, qvod nec adire, nec videre mulieribus licuit. In fronte Clides & aliæ complures insulæ fuere. Postea Carpasiæ, & ultra eas Salamis, unde fuit Aristus historicus: ulterius Arsinoë civitas & portus, & promontorium Pedasium, cui collis altus & asper imminet, mensæ cujusdam figuram præbens, gentili more olim Veneri sacer, à Clidis 680. stadiis distans. Postea sinuosa qvædam & aspera præternavigatio, qva Citium iter erat, civitatem clauso portu præditam, ex qva Zeno fuit Stoicæ sectæ autor, & Apollonius medicus, ex qvo loco usqve Berytum stadia mille & qvingenta computavere. Deinde Amathus civitas & intermedio spatio oppidum nomine Palæ, & Olympus mons, qvi mamillæ speciem præbuit, & Curias peninsularis, & Curium urbs ab Argivis condita, qvæ stationem habuit in occidentali parte insulæ, qvæ Rhodum respicit. Postea promontorium est, unde jaciebantur, qvi Apollinis aram contigissent: tanta erat apud cæcam gentilitatem, non Dei, sed dæmonis reverentia. Ultra promontorium Treta fuit, & Boosura, & Palæpaphus ad decem stadia supra mare sita, qvæ stationem habuit, & antiqvum Veneris Paphiæ templum, subinde Zephyrium promontorium, & altera Arsinoë cum statione & templo, & luco: non procul à mari Hierocepia, & Paphus ab Agapenore condita, qvæ portum habuit, & templa optime constructa, distans à Palæpapho itinere pedestri stadiis 60. In qva via viri simul ac mulieres ex omnibus urbibus confluentes, festa qvotannis celebrabant. Qvidam dixerunt Paphum ab Alexandria distare per tria millia & sexcenta stadia: adhuc urbs extat, & episcopum habet, qvem nos creavimus.

## Cap. XCVI.

*De Acama promontorio, Nicosia, Famagusta & Atraclensi, hodiernis in Cypro urbibus, qvod apud Colossum castellum cucurbitæ nascantur, adeo ingentes qvod ex eis picatis efficiantur dolia. Item qvod æs, metallum, vitriolum, rubigo æris, canna mellis ex qva saccharum excoqvitur, plurimum apud Cyprum abundent.*

POst Paphum est Acamas promontorium, unde incipit in orientem navigatio, deinde Solus, qvæ portum habuit & flumen, & Veneris

& Isidis delubrum. Phalerus & Acamas Athenienses eam condiderunt. Incolæ Solii dicebantur, & fortasse ab his solœcismus nomen accepit; qvamvis in Cilicia ejusdem nominis civitas fuerit, cui hoc tribuitur. Hinc fuit Stasanor Alexandri sodalis, vir qvi principatum meruit. Ulterius in mediterranea civitas Limenia fuit, cui proximum erat Crommyi promontorium, unde circumnavigationem inchoavimus. Hæc fuerunt antiqvarum urbium nomina, hodie Metropolis & regia est Nicosia, qvæ nostris temporibus magnas calamitates pertulit. Est & Famagusta, qvam Genuenses obtinent, & Paphus de qva dictum est, ubi Nicosiensis episcopatus est: turris qvædam extat, & templum dirutum, vulgò Limissum vocant. Atraclensis civitas in mediterraneis fuit, nunc destructa est, qvamvis habeat episcopum, qvi villis aliqvibus præest. Sunt & oppida qvædam non contemnenda, inter qvæ Cerines nominatur, in qvo Ludovicus rex obsidionem perpessus est, stadiis qvatuor ab oppido mons est, & in eo caput S. Hilarionis custoditur è regione Ciliciæ: nec procul hinc monasterium Græcorum, in qvo S. Epiphanii corpus miraculis claret. Inter Paphum & Limissum castellum est munitum nomine Colossus, à Rhodiis custoditum, ubi cucurbitæ nascuntur ingentes, de qvibus picatis efficiunt dolia. Insula fermè tota australior est parallelo, qvi per Rhodum ducitur, virtute nulli insularum inferior. Nam & vino abundat & oleo, frumenti qvoqve satis habet, æris etiam metalla in ea ferunt, in qvibus vitriolum & rubigo æris nascebatur, ad medicinæ usum idonea. Canna mellis multa in Cypro reperitur, ex qva saccharum excoqvitur. Ex pilis qvoqve caprarum pannus conficitur, cui Zambelloto nostra ætas nomen dedit. Multas res insula ad alias gentes mittit, ex qvibus lucra non pauca redundant, alienis non multum eget, sed aërem salubrem habet. Tota insula deliciis incumbit, fœminæ admodum lascivæ sunt. Trogus autor est consvesse Cyprios virgines suas priusqvam nuptui traderent, exteris nautis insulam petentibus offerre, prostitutasqve demum viris dare: ut non ab re sacram Veneri Cyprum dixerit antiqvitas. In initio per singulas urbes tyranni fuerunt, sed postqvàm Ptolemaici Ægypto potiti sunt, Cyprus etiam faventibus Rom. in eorum ditionem concessit. Postremus Ptolemæus cum ingratus erga bene merentes inventus esset, sublatus est, & Romani insulam occuparunt, & provinciam prætoriam fecerunt.

Tollendi

Tollendi regis autor fuit P. Claud. Pulcher, qvi à Piratis Cilicibus captus, imperato sibi redemptionis pretio, misit ad regem ut se redimeret. Ille pretium adeò exiguum remisit, ut Piratæ id accipere recusaverint, Publiumqve sine pretio dimiserint, qvi liberatus gratiam utrisqve retulit. Nam creatus plebis tribunus evicit, ut M. Cato in Cyprũ mitteretur, eam à rege ablaturus: Ptolemæus re intellecta seipsum interfecit. Cato insulam accepit, & regis opibus venundatis pecuniam in pub. ærarium detulit. Cyprus diu postea provincia fuit, qvamvis parvo tempore interjecto, Antonius eam Cleopatræ & sorori ejus Arsinoæ tradidit. Sed brevi omnia ejus acta rescissa sunt, postqvàm manus sibi consciverat. Antiqva hæc sunt: & nova digna relatu, qvæ paucis absolvemus.

## Cap. XCVII.

### *Historia de bello apud Cyprum facto. Item qvomodo Jacobus Cyprius nothus, Soldano fœdum & execrandum præstitit juramentum.*

CYprus cadentibus rebus Romanis diu sub imperio Græcorum fuit, qvi post Constantinum apud Byzantium regnavere. Ricardus Angliæ rex Græcos ex insula dejecit, cum Hierosolymam classe petens, eò tempestate delatus portu prohiberetur. Indignatus enim arma, qvæ in Saracenos paraverat, in Græcos vertit, eisqve insulam abstulit, spoliatamqve firmo suorum præsidio communitam reliqvit. Nec diu postea Gvidoni Lusiniano genere Gallico, qvi de Hierosolymitano regno contendebat, eam permisit: qvam ille ab Anglico acceptam, sibi & posteris suis usqve in hæc tempora obtinuit. Post varias successiones regnum ad duos fratres pervenit, qvorum alter nomine Petrus, classe instructa, cum Catelanis ac Gallicis Alexandriam Ægyptiorum invasit, ingressusqve urbem mediam diripuit, & qvamvis occurrentibus maximis Ægyptiorum copiis fugæ se commiserit, ingentem tamen prædam & ditissima spolia reportavit: nec diu postea à fratre interfectus est. Nulla enim sancta reperitur regni societas. Cruentus fraterno sangvine rex constituitur, sed neqve ei longa

ga qvies fuit, neqve impunè cessit parricidium. Nam cum solenne convivium instituisset, (qvod annis singulis instruere mos erat) ingens calamitas obtigit. Invitati Genuensium ac Venetorum mercatorum judices, qvos Baliuvos appellant, magna inter sese contentione de priori consessu certare cœperunt. Cumqve rex Venetis propensior videretur, indignati Genuens. armis suam dignitatem retinere statuerunt, atqve in regiam tectis sub veste gladiis profecti sunt, qvod intelligentes Venetorum primores Regem adeunt, atqve insidias suo capiti paratas dicunt, & idcircò juventutem Genuens. armatam intrasse palatium. Rex missis evestigio, qvi rem inqvirant, inventos cum armis Genuens. in sublimem palatii locum rapi jubet, atq; ex altissimis fenestris in forum præcipitari, statuta militum cohorte, qvæ lanceis atq; gladiis cadentes exciperet, tantum maligna potuit accusatio. Reliqvi etiam per Cyprum commorantes Genuenses perqvisiti ac necati sunt, ita ut vix unus ex tanta clade superfuerit, qvi rem gestam in patriam renuntiaret. Accepit tamen dux Genuens. ac senatus paulò pòst atrocem suorum civium injuriam, atqve in ultionem erectus, intra 40. dies potentissimam classem armavit, & in Cyprum misit. Cujus adventus eodem ferè tempore, & visus est & auditus. Trugosius, qvi classi præfectus erat, expositis in terram copiis, mox Nicosiam profectus ægre defensam cœpit, breviqve regem ac reginam, & universam insulam in potestatem suam redegit: & interfectis nephandi consilii autoribus ingenti ditatus præda, majori cum gloria, & breviori tempore qvam sperarent, domum rediit. Rex cum conjuge aliqvandiu in carcere servatus est, & regina prægnans in captivitate peperit: tandem venia regi data est, & regnum tributarium factum est, & urbs nobilissima totius Cypri emporium Famagusta, de regno recepta, Genuensi populo applicata, portu & vectigalibus dives. Puerum regi natum Janum appellavere, qvod in Genua natus esset, qvam nostra ætas Januam vocat. Adversus hunc cum patri successisset, in ultionem direptæ Alexandriæ Soldanus Ægypti Melchella validissimam classem transmisit, qvæ veluti tempestas horrida cuncta corripuit. Cyprios occurrere ausos prostravit in campo: Janum regem captivum abduxit, Nicosiam regni caput diripuit, ecclesias incendit, & omnem fermè populum rapuit in servitutem, vacuas urbes & insulam penè solam reliqvit. Rex postea centum & viginti-

vigintiqvinqve millibus aureis redemptus, & tributarius Ægyptiorum factus, in regnum rediit. Sed dum insulam Ægyptii spoliarent, & eorum navigia paucis custodibus servarentur, in littore navis Veneta, qvæ peregrinos qvotannis Hierosolymam vehit, voto peracto rediens huc applicuit, & paulò pòst sex Catelanorum naves adventarunt, qvarum patroni Venetum allocuti, ei suaserunt, ut signa deponeret, simulqve classem Ægyptiam aggrederetur: futurum ut opulenta spolia referret. Paruit Venetus, sed inter noctis tenebras Catelanis mutato consilio dilapsis, redeuntes in ortu lucis ad littus Ægyptii, navem Venetam solam, & sine signo inventam adoriuntur, ac brevi expugnant, jubentqve peregrinos qvi aderant, si vivere velint, erectis digitis Christum negare. Mira virtus, nemo repertus est, qvi pluris vitam qvam fidem fecerit: ob qvam rem viri triginta, qvi prælio superfuerant, vincti deponuntur in littore: atqve ibi lapidibus cæsi & obruti, usqve ad ultimum spiritum Christo benedixerunt. Felix exitus, & optimo cuiqve optandus. Fœminas in captivitatem ductas, apud Alexandriam Veneti mercatores redemerunt, inter qvas una ex nostratibus fuit Corsiniani nata, vidua & sancta mulier, qvæ domum reversa, hæc nobis à se visa narravit. Janus per tot adversa vitam agens, tandem relicto filio impubere Joanne mortem obiit. Filius inter fœminas educatus, cum virilem ætatem attigisset, mulierem se magis qvam virum ostendit: inter epulas atqve delicias languens, semper sub tutoribus & curatoribus vixit: uxorem tamen duxit ex familia Montis ferati, qvæ ubi in Cyprum venit, peractis nuptiis, sive aëris intemperie, sive, ut fama fuit, veneno extincta est, & comitatus ejus penè universus interiit, nec postea repertus est ex occidentalibus regibus, qvi suam sibi filiam despondere vellet. Ad Græcos igitur itum, & in Peloponneso qvæsita conjunx, ex Palæologorum prosapia, Helena nomine, ingeniosa & cordata mulier; verum Græca instituta perfidia, Latinis inimica sacris, & Rom. hostis ecclesiæ. Qvæ ubi consummato matrimonio viri vecordiam cognovit, non tam reginam qvam regem egit, regnum ipsa gubernavit, magistratus deposuit atqve instituit. Sacerdotia pro suo arbitrio ordinavit, & eliminato Latino ritu, Græcanicum superinduxit: belli pacisqve leges dixit. Viro satis fuit convivari, deliciisqve affluere, atqve in hunc modum

universa insula in potestatem Græcorum rediit. Potentissima apud reginam nutrix ejus fuit, & apud nutricem filius, apud qvem summa regni esse videbatur: cum is matrem, mater reginam, regina regem regeret. Joanni ex concubina Jacobus natus est magni spiritus adolescens, ex conjuge Carlotam tamen suscepit: qvæ postqvam adolevit, Joanni regis Portugalliæ patrueli nupsit. Vir ejus consensu procerum in regnum accersitus est, qvi vivente socero rem administraret. Jam enim muliebris regiminis non minus tædebat populum qvam pudebat. Adventante igitur Joanne, celebratisqve nuptiis, cuncta in ejus manu posita sunt, & forma regiminis correcta, divina & humana reformata negocia, Romanus ecclesiæ ritus instauratus, Regiæ ac nutrici adempta potestas. Nutricis filius novi principis faciem veritus Famagustam concessit, qvo ex loco matri suasit, ut, si se cum filio salvam vellet, Joan. veneno extingueret: qvo vivo sperare vitam ipsa non posset: nec surdo cantata fabula est. Venefica mulier consentiente regina (ut fama est) nobilissimum Principem toxico sustulit, atq; ita priores illecebræ & damnata Helenæ imperia redierunt. Filius qvoqve nutricis gloriabundus ex Famagusta rediens, qvasi dominus & rerum omnium moderator receptus est. Qvi Carlotam ludibrio habens multis eam contumeliis affecit: illa ad fratrem confugiens suas conqvesta calamitates; opem petiit. Jacobus non tam sororis gratia qvam regni sibi parandi græculum cunctis insultantem sua manu interfecit. Cœpit cum amicis id agere, ut rex apellaretur, qvod jampridem in animo gesserat. Ut primum enim sapere aliqvid cœpit, videns patrem mentis inopem, ex matrimonio virili prole carere, ad regnum aspiravit, indignum existimans, aut sororem sibi, aut sororis virum præferri. Qvod præsagiens Helena, viro persuaserat, ut filium regni cupidum extra matrimonium natum, ecclesiæ traderet, ac sacris ordinibus initiaret, sic futurum ut regnandi spem poneret. Vacua per id temporis pastoris regimine ecclesia Nicosiensis erat. Hanc igitur Jacobo spondent, postulariqve in præsulem curant, atqve in possessionem deducunt, qvod Romana ecclesia nunqvam ratum habuit: sed post græculi cædem regina & nutrix adversus Jacobum insurgentes, eum urbe regia pepulerunt. Ille apud judicem

judicem Venetorum aliqvandiu latitans, tandem apparato navigio concessit in Rhodum, qvo in loco non sine honore habitus est. Interim Carlota suasu matris ac procerum Ludovico Sabaudiæ ducis filio nubit, eumqve qvam celerrimè ad se proficisci hortatur. Medio tempore Jacob spe regni amissa, per amicos apud Nicolaum Pont. max. instat, ut ecclesiæ Nicosiensi præficiatur: sed Helena & Carlota contranituntur, negantqve sangvinarium hominem, & qvi regnum seditionibus agitet in ecclesiæ militiam recipiendum. Literæ casu à Jacobo intercipiuntur, qvi contracta amicorum non parva manu, in Cyprum navigans, clam regiam urbem ingreditur, eorumqve domos adiens, qvos sibi norat infensos, cunctos interficit: bona inter amicos partitur, & tanqvam victor in civitate moratur. Regina interim moritur, & paulò pòst rex: vir muliere corruptior, qvamvis forma & habitu corporis regio dignus honore videretur. Sed qvam erat exteriori decorus specie, tam fuit ignavus & turpis animus. Inter hæc turbato multifariam regno, accersitus crebrioribus nunciis Ludovicus apud Venetias classe parata, in Cyprum navigat, magnoqve omnium applausu ac favore rex appellatur. Jacobus ejus adventum haudqvaqvam expectare ausus, consilio & ope (ut ajunt) Marci Cornari potentis amici, qvi sibi navigium concessit, cum amicis fermè centum in Alexandriam navigavit, Soldanum qvam primum liceret conventurus, ejusqve opem imploraturus. Soldanus missis obviam primoribus suæ curiæ, eum ad se qvam celerimè venire jussit, & magnis honoribus venientem accepit. qvi ut in conspectum datus est: Supplex (inqvit) ad te confugio regum maxime atqve potentissime. Tu mihi dominus es, & ut clementia tua spondet adiutor & tutor eris. Joannes pater meus, qvi tibi qvotannis tributum pendebat, superioribus diebus è vita decessit, nec præter me virilem sobolem reliqvit. Soror mea virum sibi ex Gallis accersivit, eum Cyprii regem susceperunt, me posthabito, qvem regnare par fuerat. Sed tuum est regnum Cypri, tuum est diffinire qvem regnare oporteat. Natura masculis non fœminis imperium dedit, nec æqvitas permittit regum filios extraneis cedere. Respice oro fortunam meam, nec me regem natum, regno privari sinas: pater-

nam hæreditatem à te postulo, qvi meus judex es: nisi causam meam suscipis, exul à patria, regius sangvis mendicabo panem. Indigna hæc tuo nomini inuretur nota, qvi subditorum justas causas non defenderis, nec è re tua fuerit me repulso cujus majores servire tibi didicerunt, Gallicum hominem Cyprorum regno præesse. Nosti superbiam gentis & qvanta Ægyptiorum imperio attulerint Gallorum classes incommoda: nunqvam Alexandria, aut aliæ maritimæ urbes pacem habebunt, tenentibus Cyprum occidentalibus regibus. Qvod si me foveas, tam tua Cyprus qvam Ægyptus erit: nec tu difficilem rem credideris, paternum atqve avitum regnum mihi restituere. Multi sunt qvi meis rebus student, nec aliud optant qvam tuo favore præditum, me redeuntem cernere. Parva me classis in solium paternum collocabit: satis amicis meis fuerit tua signa vidisse, & tuis auspiciis bellum geri, cætera ipsi expedient: nec dubita, brevi me servum tuum Cypri regem videbis, tantum facito, ut te velle intelligam. Moverunt ea verba, non Soldani modò, sed omnium qvi aderant animum, nec qvisqvam fuit, qvi non indigna pati adolescentem arbitraretur, eiqve subveniendum existimaret. Erat enim Jacobus duos & viginti natus annos, forma egregia & statura corporis patri perqvam similis: verum animi dotibus & eloqventia longè dispar. Placuit igitur subvenire supplici, moxqve regiis ornamentis allatis, Jacobus veste purpurea indutus, cæterisqve insignibus adornatus (qvibus regibus uti mos est) in conspectu Soldani, & omnium procerum rex declaratur: ac per urbem circumductus, præcipuis honoribus cumulatus est, classe decreta, qvæ illum mox in Cyprum veheret. Prius tamen literæ in hanc sententiam Soldani nomine ad Ludovicum scriptæ sunt: Venisti ab occiduis partibus ut alienum regnum in oriente invaderes, paterna hæreditate filium exueres, vana est cogitatio tua. Cyprus mihi vectigalis est, & meum de re judicare. Nisi qvamprimum abieris, Ægyptio peribis gladio. Si uxor tibi cordi est, potestatem facio, ut eam tecum auferas: si tamen prius recesseris, qvam secundo monearis. His acceptis toto regno trepidatum est, ingensqve mœror omnium mentes pervasit, cum neqve Soldani jussibus resistere possent, neqve sine turpitudine obedire. Postremò cum remedium nullum aliud invenirent, Legatos ad Soldanum mittere placuit, qvi ejus mentem lenirent: miserunt & simul Rodii viros ex religione primarios, qvi apud

apud Cairum convento Soldano Ludovici causam humilibus verbis defendere conati sunt. Nil eum de jure Soldani ablaturum venisse dicentes. Joannem Cypri regem Carlotam filiam unicam ex matrimonio suscepisse, qvam secundum Christianas leges reliqvisset hæredem: Jacobo ex concubina nato, regnum neqvaqvam deberi, maritum pro conjuge coronæ jura sortiri: hortari ne regni consvetudines confunderet, neve Christianis Christiana inter se jura negaret. Ludovicum Soldano in omne tempus amicum futurum, tributumq; suis temporibus præstiturum, Jacoboqve decem millia aureorum singulis annis qvoad viveret traditurum. Res diu in consilio apud Soldanum agitata est, & jam eo ventum erat, ut postulata Ludovici admitterentur, triginta millibus aureis superadjectis: hanc enim summam loco impensarum Soldanus exposcebat, nec Ludovicus pro redimenda pace abnuebat. Sed ambiens Jacobus modò istos, modò illos amicos, ac Soldani fidem accusans, qvi se paulo antè regem declaratum desereret, Gallicæq; perfidiæ proderet: Purpuratos qvosq; in curia potentes hortabatur, ut Soldano suggererent, ne Gallicis oratoribus auscultaret, nevé se semel in fidem susceptũ relinqveret. Aderat ei Soldani filius æqvalis ætatis, qvi ejus fortunæ miserebatur. Aderant & tres Mamaluchi in palatio potentes, qvi precibus assiduis Jacobum commendabant. Sed parum eorum conamina valuissent, nisi Mahumetis Turcarum imperatoris legatus opportuno in tempore affuisset, qvi verba hujusmodi habuisse fertur. Accepit amicus tuus Turcarum imperator Mahumetes, te Jacobum Cypri regem appellasse, eumqve in patrium regnum statuisse restituere: digna res, qvæ de tuo solio manaret, & nostræ religioni accommoda. Sed renuntiatum postea est, te mutato consilio pacem cum rege Gallico pacisci, & qvem juvare cœpisti velle deserere, tanqvam ignores, qvanto perseqvatur odio gentem nostram Gallicus sanguis, neqve Gotfridi Balduinivé, aut aliorum ejusce gentis facta mentem teneas, qvi sæpe majores nostros magnis cladibus afflixerunt. Vide qvid agas. Si pax tibi cum Gallico genere cordi est, cum nostro bellum expecta, nec tibi cum solis Turcis inimicitias futuras putes. Ægyptii, Syrii, & Arabes, qvibus præes, summo te odio proseqventur, nec tuus tibi filius hærebit, qvi religionem nostram Gallicano sangvini prodideris. Qvod si promissam fidem Jacobo servaveris, classemqve paraveris in Cyprios: Mahumetes


humumetes

humetes qvoqve alteram parabit in Rhodios & utriusqve insulæ spolia tua erunt, solum tantum insulæ Rhodiæ Mahumetes sibi servatum cupit. Placuerunt Soldano Turcæ oblata, atqve in ejus postulata consensit. Apparata est è vestigio classis, & Jacobus cum magna militum manu in ea vectus Cyprum appulit: non tulerunt ejus impetum Galli, qvamvis Rhodios adjutores haberent: neqve ausi apud Nicosiam expectare, in castellum qvod Cerines appellatur sese receperunt. Jacobus reliqvis omnibus in potestatem receptis, obsidionem aliqvandiu circa castellum tenuit. Deinde spe potiundæ munitionis deposita, dimissis custodibus qvi Gallos ab incursione prohiberet, Nicosiam reversus, ad reformationem regni se convertit, Legatosqve ad nos misit, qvi multa peterent faciem honestatis habentia. Sed re vera nil aliud qværebat, qvàm Christiani regis apud sedem apostolicam nomen usurpare: sed contra illi evenit qvam putabat. Neqve enim oratores suos tanqvam regios admisimus, cum accepissemus eum Soldano Ægypti, eo tempore qvo regnum ab eo suscepit, turpissimum juramentum præstitisse. Adjurato enim qvadragies Deo (ut accepimus) sic ait: Per Deum magnum & altum misericordem, & benignum formatorem cœli & terræ, & omnium qvæ in eis sunt, & per sancta hæc evangelia, per sanctum baptisma, per sanctum Joannem Baptistam, atqve omnes sanctos, & per fidem Christianorum promitto & juro, qvod omnia qvæ novero, aperta erunt domino meo altissimo Soldano Ægypti, & totius Arabiæ imperatori, Alesserapho Asnali, cujus regnum Deus fortificet, ero amicus amicorum suorum, & inimicorum inimicus. Nihil eum celabo, neqve Piratas in regno meo patiar, neqve his victum aut auxilium dabo. Ægyptios qvi meo in regno serviunt emam, & libertate donabo, auri qvinqve millia nummum in Calendas Septembris aut Octobris, tributi nomine in templis altissimis Hierusalem & Lamech singulis annis offeram. Colosseos prohibebo, ne Piratis arma ministrent: qvæcunqve digna cognitu noviter emerserint, Soldano renunciabo, in justicia & veritate procedam, nihil mea in parte fraudulentum erit, qvòd si aliqvid horum neglexerim, ero apostata & mandatorum sancti evangelii Christianæqve fidei prævaricator, dicam Evangelium falsum esse, negabo Christum vivere, & matrem ejus Mariam virginem fuisse, super fonte baptismatis Camelum interficiam, & altaris presbyteros maledi-

maledicam, divinitatem negabo, & Jesu nuntii humanitatem adorabo. Super altari cum Judæa fornicabor, & sanctorum patrum maledictiones omnes in me recipiam. Hoc juramentum in scriptis redactum, & ex Arabica lingua in Latinam traductum, Legati Rhodiorum viri præstantes ad nos detulerunt, asserentes certissimum esse, ita Jacobum apud Cairum Soldano jurasse: propter qvam rem Oratores ejus multum increpatos absqve honore remisimus. Carlota interim qvæ Rhodum petierat, comparatis aliqvibus auxiliis, cum nova militum manu, qvam socer ex Sabaudia miserat, ad virum qvem Cypri reliqverat apud Cærinem rediit, eo proposito ut Nicosiam peteret, non parva spe freta recuperandi regni. Jacobus consiliis ejus exploratis, iter intercipit, consertoqve prælio multos Gallorum interficit, reliqvos in castellum repellit. Qvo in loco usqve in hanc diem Ludovicus obsidionis incommoda fert, reliqvæ partes insulæ Jacobo tanqvam regi parent, excepto Colossi oppido, qvod Rhodii tenent, & Famagusta qvam Genuensium esse diximus. Carlota viro apud Cærinem dimisso Rhodum contendit, & deinde plena calamitatis ad nos navigavit, sibi & viro ut consuleremus non sine lachrymis orans. Nam & ipsa multa in mari adversa pertulerat: nos qva potuimus humanitate prudentem sanè & cordatam fœminam consolati sumus. Vinum & triticum, qvod regi mitteretur obsesso, apud Ancona obtulimus, & sibi qvæ omnium rerum erat indiga eqvos & mulos coëmimus, & viaticum dedimus, qvo in Sabaudiam (ut reginam deceret) proficisceretur ad socerum: auxilia qvoqve polliciti, qvibus in regnum restitui posset, si nostris consiliis uteretur. Facilè namqve exulibus regibus commisereri scimus. Sed digna Dei ultio. Nam cum nos apud Mantuam conventum ageremus, regesqve hortaremur, ut in tutelam regionis assurgerent, neq; hinc Turcas, inde Sarracenos in Christianos sævire permitterent: Hujus Ludovici pater, qvi multa promiserat, inter primos repertus est, qvi orthodoxæ fidei auxilium negavere. Ipse qvoqve Ludovicus adolescens, cum per Padum navigaret, essetqve Mantuæ propinqvus, in eo loco ubi Mincius Pado miscetur, haudqvaqvam dignatus est nos visere, aut nostram benedictionem exposcere, qvibus ex rebus sæpe oratores Sabaudienses allocuti, eorum facta damnavimus, futurumqve diximus, ut in pœnam eorum, qvæ pater faceret

ceret, filius regnum amitteret, frustraqve opem ab aliis peteret, qvam ſuus pater negaſſet eccleſiæ, ſicut poſtea cum magno religionis damno ſecutum eſt.

## Cap. XCVIII.

*Qvo jure Soldanus Cyprum, & Turca Rhodum ſibi pertinere dicant. Item diſputatio qvi primum populi Aſiam minorem coluerint, qviqve duces apud eam armis præcipuè claruerint.*

HÆc habuimus qvæ de Cypro diceremus. Aliqvanto longius qvam conſvevimus propter hiſtoriam noſtri temporis, qvæ non videbatur negligenda, qvod etiam in aliis locis facturi ſumus, ubi noſtra ætas aliqvod habuerit memoratu dignum. Soldanus ſuam eſſe Cyprum dicit & Rhodum, propter Hieruſalem, de cujus regno has inſulas eſſe putant: & cum ipſe Hieroſolymam poſſideat, ad eas qvoqve jus ſibi competere arbitratur. Turcarum imperator de Cypro nihil adverſatur, Rhodum verò ſui juris eſſe contendit, qvi vicina in continenti littora obtinet. Antiqvi & Rhodum & Cyprum Aſiæ tradiderunt, qvibus nulla continens propinqvior eſt. Nam Rhodus Cariæ, Ciliciæ Cyprus objicitur, qvæ Aſiæ partes exiſtunt.

Aſiam ipſam minorem qvi primo coluerint non ſatis certum eſt: qvidam indigenas putant, nos ex Syria primos cultores adveniſſe arbitramur, qvando ex unis parentibus omnes originem ducimus. Illi vero in terreſtri paradiſo creati, atque illinc ejecti in Damaſceno primum agro locati ſunt, indeqve genus humanum. Niſi Armenica magis origo alicui placeat, qvia in arce Noë ſervata ſit humana caro, & illa in montibus Armeniæ ceſſante diluvio reqvievit, unde rurſus propagati homines ad colendas provincias exierint. Sed omnes ab Adam prognati, qvem filii Noë ſui generis autorem faciunt. Ante Trojanum bellum cultores Aſiæ inter primos memorantur

Caucones

Caucones, qvos alii Pelasgos, alii Scythas fuisse tradunt: hos Bebrices è Bithynia pepulerunt: Bebrices Mariandyni cum Paphlagonibus, ex qvibus Marlandyni exiverunt & Heneti, nobilis Paphlagonum natio. Mygdones Olympi cultores, qva Boream respicit, & Doliones inter Rhyndacum habitantes & Æsepum: & Mysi, qvi ex Mysia profecti sunt Europæa, apud Danubium sita: & Lydi, qvi & Mæones appellati sunt, & antiqviores qvàm Mysi creduntur, & ab aliqvibus Mysorum patres existimati sunt, Asiæq; indigenæ. Et Leleges, qvi per insulas habitantes sub Minoë Cretensi fuerunt, postea in continentem Asiæ migrantes, australe inde latus usqve Assum, & deinde usqve ad Caicum & Hermum, oram maritimam tenuere: & Cares, qvi prius Leleges esse putantur & insulares, postremo terrestres facti apud Mæandrum sedes obtinuere: & Phryges qvi ex Thracia profecti, primo Sangarii ripas habitavere, deinde ad orientem Mediterraneam petierunt: & Lycii, qvi prius non procul ab Ilio sortiti sedes, in duos divisi principatus, deniqve ultra Taurum migrasse creduntur: & Teucri qvos alii ex Creta, alii ex Attica ortos existimarunt, & circa Hamaxitum habitaverunt: & Cilices qvi sub Hectore fuerunt Thebam colentes, Ilio proximi, qvo deleto, Taurum transivere: & Dardani sub Ænea & Antenore constituti, Idæ accolæ: & Cetii prope Caicum sub Eurypilo militantes: & Pelasgi qvi Larissam Cumanam prius coluere: Gens ab origine Thessalica, qvæ postea multum crevit, & tamen cito defecit: & Solymi in mediterranea supra Cares ad Taurum habitantes: & Leucosyri ultra Halym in Ponto collocati: & Amazones, qvæ Themiscyræ campos incoluere: & Chalybes, qvi montes Pharnaciæ & Trapezunti rivos insederunt. Omnes hujuscemodi gentes ante bellum Trojanum in Asia fuisse traduntur. De Lycaonibus, & Cappadocibus, & Cataonibus, & Armeniis, & Pamphyliis, & Pisidibus, & Isauriciis, & Thracibus qvi Cimmerii fuerunt, & Magnetes deleverunt, & aliis compluribus incertum est. Æoles, & Iones, & Dores, & Macedones, & Galatas nemo dubitat post cladem Iliacam in Asiam pervenisse: qvæ freqventer externo subjecta imperio, aut raro, aut nunqvam regem protulit in armis clarum, cujus vetusta origo Asiatica fuerit: sive qvod imbelle genus hominum facilè jugum subiit, sive qvod regionis ubertas externos reges ad eam acqvirendam, summis conatibus attraxit. Nam priusqvam Troja Græcorum armis rueret,

Dd multi

multi Asiam externi reges invaserunt. Jupiter, sive Cretensis fuit, sive (ut alii volunt) Ægyptius Asiæ imperium adeptus est: & Hercules ille primus, & Dionysius qvem Bacchum vocaverunt, & Osiris, qvem cum superioribus stulta Ægyptus tanqvam deum coluit. Sesostris qvoqve rex Ægypti Asiam sibi subjecit, & Idanthyrsus Scytharum rex, qvi sibi & successoribus suis per mille & qvingentos annos vectigalem Asiam fecisse traditur, & Amazones Scytharum soboles magnam sibi Asiæ partem vendicaverunt, & Ninus rex Assyriorum usqve ad Hellespontum cum exercitu pervenit, omnemqve Asiam domuit, quæ & sibi & successoribus usque ad Teuthrantem paruit, sub quo Trojanum bellum exortum est. Teuthras autem per legatos à Priamo requisitus Memnonem Tithoni filium cum decem millibus Æthiopum, & totidem Susianis ac ducentis curribus in auxilium misit, cum amplius mille annis Asia sub Assyriis fuisset. Hercules etiam Alcmenæ filius Trojam depopulatus est. Sed neqve Hercules, neque Agamemnon in Asia imperium continuarunt, qui habita victoria in varias regiones dispersi sunt, qvemadmodum & Cimmerii, qvi multas in Asia civitates desertarunt, nec totam Asiam occuparunt: neqve Jasonis socii, qvamvis aliqva loca obtinuerint post Trojam deletam. Lydorum res magnæ fuerunt, apud qvos Midas, Gyges, & Alyates, & Crœsus rerum potiti sunt: deinde Persæ horum imperium delevere, qvi usqve in Græciam penetrarunt. Persas verò Macedones dejecerunt, & ipsi à Romanis pulsi sunt. Post Romanos Græci Asiam obtinuerunt, cum apud Byzantium imperii sedem Constantinus posuisset. Græcos autem Turcæ eliminarunt, qvos Tamerlanes (ut antè diximus) magnis affecit cladibus, sed tanqvam fulgur (cum omnia pertrivisset) brevi defecit, & res ad Turcas sine controversia rediit.

## Cap. XCIX.

### *De Mithridatis Eupatoris laudibus admirandis, Item de mulieribus in Asia clarissimis.*

INter Asiaticos autem, qvi armis claruerit, unum reperimus cunctis excellentiorem, & cui pauci possint æqvari, Mithridatem scilicet Eu-

Eupatorem, cujus progenitores Pontici fuerunt, & ipse apud Sinopen natus educatusqve est, & ibi tandem sepultus. Ad hunc puerum (ut Apianus Alexandrinus scribit) & parentibus orbatum principatus translatus est, qvi mox ut adolevit, finitimos Barbarorum populos in potestatem suam redegit, Scytharum non paucos sibi subjecit, in Romanos per qvadraginta annos variis eventibus bellum gessit, Bithyniam & Cappadociam non semel adeptus est: Asiam, Phrygiam, Paphlagoniam, Galatiam ac Macedoniam cum in Græciam transisset, potenter invasit, multa & præclara egit, mari à Cilicia ad Ionium usqve dominatus est, qvo ad Sylla intra paterni regni limites eum inclusit, centum & sexaginta millibus hominum bello sibi ademptis. Inter lubricos prolapsus casus minimè animum posuit, bellum facile instauravit, cum optimis ducibus prælio decertavit, à Sylla qvidem & Lucullo Pompejoqve victus, sæpenumero magnas illis intulit clades: L. Cassium, & Q. Oppium, & Manium Aqvilium captivos sibi deditos palam circumduxit, qvoad hunc, qvi totius belli causa fuerat, interemit, reliqvos Syllæ tradidit. Vicit Fimbriam ac Muræнam, Cottam qvoqve consulatu illustrem, & Fabium ac Triarium. Ingenium illi ad res difficiles præcellentissimum fuit: victus sæpe minimè ab incepto destitit, nec una via Romanos aggressus est. Cum Celtis fœdus iniit, & Sertorium in Hispaniam misit: per insidias sive ab hostibus sive ab aliis ferro impetitus & saucius, nullo tamen ab opere cessavit. Sangvinolentus & crudelis in omnes fuit. Nam matrem, fratrem, ac filios tres impuberes, totidem filias interfecit. Statura ingenti fuisse traditur, valetudine prosperrima usus usqve ad ultimum vitæ tempus. Eqvitare, jaculari, ac mille stadia eqvis per intervalla dispositis una die discurrere, currus sex & decem eqvis agitare. Græcis imbutus disciplinis, & ob id sacris eorum usus, musicæ præterea deditus, sobrietatis eximiæ in pluribus, laborumq; patientissimus, solum mulierum devictus illecebris. His moribus Mithridates cum orbis plurimas & præclaras regiones cladibus involvisset, postremo desertus à suis, & filii fraude circumventus, ad veneni remedia convolavit, qvibus non satis celeriter opitulantibus, qvod antidoto assvefactus erat, à Bituito qvodam Celtarum duce, ut se ferro interimeret, precibus impetravit, atqve ita rex qvondam potentissimus, è vita decessit, sextus decimus à Dario ultimo Persarum rege, octavus sive sextus à Mithri-

date illo, qvi à Macedonibus defecit, & Ponti regnum sibi vendicavit. Vixit annis octo sive novem supra sexaginta, in qvibus per septem & qvinqvaginta regnum tenuit, consensu Pompeji regali sepulchro apud Sinopem conditus, & solennia funeris magnifice consecutus, sed neqve is vetusta origine Asiaticus fuit. Mithridates enim qvi primus Cappadociæ Pontiqve regnum invasit, è genere Persarum regio fuisse traditur. Fuerat ille Antigoni amicus. Antigonus verò cum per somnum sese agrum auro serere vidisset, & Mithridatem aurum metentem in Pontum recedere, expergefactus, illum interficere conatus est. Mithridates cum sex duntaxat eqvitibus fugiens, qvendam locum Cappadociæ munivit, multisqve illuc per Macedonum incuriam confluentibus, Cappadociam finitimasqve circa Pontum tenuit nationes. Postremo imperium in majus propagatum filiis tradidit, qvod vicissim unus ab alio suscepit, usqve ad Eupatorem, qvi etiam Dionysius vocatus, de qvo modo locuti sumus. Mulieres in Asia clarissimæ ante omnes fuerunt Amazones, qvarum genus è Scythia profectum diximus. Deinde Artemisia Halicarnassi regina, qvæ cum Xerxe adversus Græcos bellum gessit. Postremo Pythodoris qvam supra in Ponto regnasse memoravimus, non possumus non Asiaticam dicere: ejus pater Pythodorus apud Trallianorum urbem, ex privato cive magnus evasit, & opes regias cumulavit. Nec nos latet plurimas Asiæ fœminas clarum nomen assecutas esse; sed inter eas, qvæ regnaverunt, has præferimus.

## CAP. C.

### *De Turcarum origine & moribus. Item de Ottomanorum progenie.*

VErum qvia de Turcis superius mentionem fecimus, ad qvos ultimo loco imperium Asiæ delatum est, haud absurdum fuerit ejusce gentis originem recensere, ut eorum confutetur error, qvi gentem Trojanam Turcas esse affirmant, ac Teucros vocant. Turcæ (ut Æthicus philosophus tradit) in Asiatica Scythia ultra Birricheos montes, & Taracontas insulas, contra Aqvilonis

nis ubera ſedes patrias habuere. Gens truculenta & ignominioſa, in cunctis ſtupris ac lupanaribus fornicaria, comedit, qvæ cæteri abominantur, jumentorum, luporum, ac vulturum carnes, & qvod magis horreas, hominum abortiva. Diem feſtum nullum colunt, niſi menſe Auguſto Saturnalia. Romanorum imperium audivit magis qvàm ſenſit, qvamvis Octaviano Auguſto in auro littoreo cenſum dedit, & id qvidem ſponte. Nam cum vicinas undiqve regiones annua illi tributa reddere animadvertiſſet, novum dierum ac temporum exortum eſſe Deum arbitrata, munera illi qvotannis miſit. Hæc gens (ut Otho hiſtoricus tradit) imperantibus Græcis, & regnante apud Francos Pipino annis ab hinc ſupra ſexcentis, non Caſpias (ut ille ait) ſed Caucaſeas egreſſa portas, cum Auaribus ferociſſima pugna, multis utrobiqve deſideratis conflixit. Exin Pontum Cappadociamqve transgreſſa, ad reliqvas finitimas gentes ſenſim illapſa eſt, nec multo poſt (qvemadmodum Nicolaus Saguntinus ad nos ſcripſit græcis ac latinis literis eruditus) eadem gens more latronum clandeſtinis qvibusdam excurſionibus vires ſibi vendicans, occupatis montibus, & clauſtris opportunis, unde per occaſiones facilè irruptiones fieri poſſent, usqve adeò emerſit, atqve ſublata eſt animis, ut palam jam & pari marte adverſum finitimos de agri poſſeſſione certaret: & deniqve procedenti tempore non ſolum Pontum & Cappadociam, verum Galatiam, Bithyniam, Lycaoniam, Piſidiam, utramqve Phrygiam, Pamphyliam, Ciliciam, Cariam & omnem Aſiam qvæ minor vocatur, ultra citraqve Taurum, ad oras usqve Ioniæ & littora Græci maris occuparet. Nec unum qvendam principem, ſed alios alii duces, & varia auſpicia per factiones ſecuti. Ex hac gente trigeſimum abhinc & centeſimum circiter annum, Ottomannus qvidam exigui tum cenſus, & obſcuri inter privatos nominis, ex collectitio milite mox ingenti manu per ſeditionem conflata, graſſari paſſim, ac non ſolum reliqvias Chriſtianas vexare, verum etiam homines ſuæ gentis armis infeſtis petere, & ſibi ſubdere cœpit: cujus conatibus orta inter principes gravi diſcordia, felicem curſum præbuit. Ottomanus enim dum illi ſeſe invicem laniant, accitis undiqve omnibus, qvi pro ingenio prædæ rapinarumqꝫ cupidi eſſent, autoritatem brevi & nomen adeptus, oppida non pauca, partim vi, partim ſeditione in poteſta-

tem accepit. Huic ſucceſſit Orcanes, qvi rem inchoatam à patre commodè proſecutus, longè lateqve propagavit: qvem ſecutus Amurates filius, duobus de Græcorum imperio diſceptantibus, ab altero qvi ſuperari timebat, in auxilium accerſitus, cum ex Aſia tranſiſſet in Græciam, conſulto bellum protrahens, ubi ambos conſumptis enervatisqve viribus fractos ac defeſſos animadvertit, verſis (ut ajunt) proris, arma in eos ſine ullo diſcrimine per occaſionem convertit, & plurimum Græciæ ſibi ſubjecit. Is vita functus duos reliqvit filios Solimanum & Pazaitem, qvem ſuperius à Tamerlane captum retulimus. Solimano extincto res univerſa ad Pazaitem deducta eſt, qvi, priusqvam caperetur, res magnas in Græcia geſſit, dimiſſus verò nihil memoria dignum egit, mortemqve in Aſia inglorius obiit, cujus filii qvi complures erant, in poteſtatem Græcorum venere, cum capto patre periculum evaſuri, ex Aſia in Thraciam navigare contenderent. Calapinus tamen natu major emiſſus à Græcis regnum obtinuit, qvo vita functo Orcani filio tenella ætate adoleſcentulo qvorundam principum ductu regnum occupare conanti, Moyſes patruus, & ipſe à Græcis dimiſſus, infeſtis armis occurrit, & magis proditione qvàm pugna oppreſſum, extinxit adoleſcentem. Haud multo poſt, & ipſe nullo ſuperſtite filio deceſſit, qvem Mahumetes frater, tertius ex Pazaite filius ſubſecutus regnum in ſua gente obtinuit: qvi magnis rebus in Europa geſtis, in Aſia qvoqve complures Turcarum regulos vi atqve armis oppreſſos, regnis exuit. Huic defuncto ſucceſſit Amurates filius, qvi per tempus in Aſia manens, audita patris morte, in Thraciam conatus trajicere, imperatoris Græcorum maritimo apparatu prohibitus eſt, & Muſtaphas natorum Pazaitæ reliqvus, ut rerum potiretur à Græcis liberatus, & ſumma ope adiutus. Sed Muſtapha pugna ſuperato & interempto, Amurates victor univerſum regnum obtinuit. Hic fuit Mahumetis, qvi modò regnat pater, utriusqve res geſtæ memoriam expoſcunt, qvas, cum de Græcis agemus, haud qvaqvam reticebimus. Hæc eſt Ottomanorum progenies, & Turcarum origo, qvi qvanqvam ea loca poſſident qvæ olim Teucri tenuere, non tamen Teucri appellandi ſunt: alioqvi & Dardanos, & Myſos, & Phryges, & multarum gentium qvas vel in Aſia vel Græcia ſubjecerunt nominibus appellare poſſemus. Sive enim ex Attica, ſive

ſive ex Creta, qvod ad mare probare videtur, Teucrorum origo fuit, nihil ad Turcas pertinet, qvos Scytharum genus eſſe docuimus, barbaram & tetram progeniem: qvamvis pluribus ſeculis in Aſia Græciaqve commorati vitam mitiorem induerint, & imperium utriusq; terræ conſecuti ſint. Adeò Turcarum nomen auctum eſt, ut qvæ olim Aſia vocabatur, nunc Turciam vocitent. A Turcis enim univerſa poſſidetur, præter oram Trapezuntiam, qvæ ſuo imperatori paret Chriſtianæ religionis cultori, qvamvis Græco & nonnullis erroribus imbuto, adverſus qvem profectus hoc anno Mahumetes ejus imperium labefacturus exiſtimatur. Habent & Armenii aliqvi ſuum ducem in Aſia, qvi Chriſtum ſeqvitur (ut antè diximus) reliqvi omnes Turcarum poteſtati ſubjecti ſunt: ſed non omnes Turcæ Ottomanorum imperio ſubſunt: nam & Caramanus Ciliciæ dominus, qvi magnam Cappadociæ partem poſſidet, & Aſambecus qvi prope Euphratem dominatur, & alii nonnulli reguli ab origine Turcæ, cum Ottomanni progenie diu de regni poſſeſſione certarunt. Caramanus inter Mahumetem Turcarum imperatorem, & Soldanum Ægypti dominum medius, multa per noſtram ætatem, modò cum hoc, modò cum illo prælia geſſit, locorum difficultatibus, & Ciliciæ gentis, cui dominatur virtute confiſus, & odio Mahumetis Chriſtianorum amicus. Nec Aſambecus Ottamanorum proſapiam qvieſcere permiſit, Chriſtianæ conjunctus uxori, imperatoris Trapezuntii filiæ: qvamvis parvi momenti eſt apud Turcas matrimonii nomen, qveis conjuges ſunt, qvot ducere voluerunt, impiam Mahumetis legem ſeqventibus, cum qva nobilem & pulcherrimam Aſiam fœdaverunt. Eadem ab initio idola coluit, deorumqve variis ſuperſtitionibus dedita, qvamvis nonnullos admiſerit Judæos veri Dei cultores: non tamen legem eorum accepit, ſed qvemadmodum hodie Judæi inter nos vivere permittuntur, ita & inter gentiles per Aſiam ſub tributo vitam agebant. Damnatiſſimus ille idolorum cultus usqve ad Romanorum imperium perduravit, qvibus ad Chriſtum converſis, & in Aſiam, & in omnem fere terram prædicatum per apoſtolos intonuit evangelium, & benigne auditum eſt. Credidit Aſia Chriſto, & pulcherrimas erexit eccleſias, nec ulla ejus portio fuit Chriſtianis non initiata ſacris. Fatemur, plurima ibi & per Romanos, & per alios judices Chriſtianorum perſecutio acta eſt, ſed victrix

gloriosa

gloriosa martyrum constantia, vicerunt & sanctissimi verbi Dei prædicatores. Erecta sunt monasteria virginum, & sanctorum patrum cœnobia, laudatus est in canticis dominus, & in odorem suavitatis sacrificatum est ei, cuncta populi ora, & omnes linguæ Christum insonuere, cui nulla non villa altaria dedicavit, & dona in ejus nomine consecravit. Cessavit omnis spurcitia veteris cultus, diruta sunt dæmonibus sacrata templa, exusta simulacra, contritæ deorum imagines, omnis turpitudo, omnis blasphemia procul acta, evangelica vita recepta, sancti & pudici mores admissi, laudata virginitas, probata nuptiarum castitas, innocentia in honore habita, sobrietas & mansvetudo ore omnium commendata, nulla consvetudo admissa, qvæ adversa sacrosancto evangelio videretur. verum Turcarum adventu cuncta immutata sunt. Mahumetea lex, qvæ sub Heraclio imperatore cœperat, evangelium Christi repulit Christianorum desidia, qvi petentibus opem Asianis neqve consilio neqve auxilio fuerunt. Rediit fœditas & pristina turpitudo. Nam qvamvis simulacra horrent Turcæ, & unum se colere Deum dicunt: indigna tamen de Christo sentiunt, nec trinitatem adorant, haud intelligentes, qvomodo possit Deus unus & trinus esse, & scripturam sacram depravarunt, voluptatis ac libidinis servi. Perierunt sacræ literæ, & omnia bonarum artium studia defecerunt, apud servos paucos Christi nomen auditur, neqve illi, qvi se Christianos appellant in Asia, veri Christiani sunt, non ambulantes ad veritatem euangelii: etsi enim plurimi adsunt Græci Christianis imbuti sacris, multum tamen ab antiqvorum sanctorumqve patrum regulis abierunt, nec Romanam ecclesiam audire dignantur omnium fidelium matrem. Nimis multum est, qvod in Asia perdidit Christus, nobilissima provincia à nostra religione est alienata. Et qvot populos, qvot præclarissimas urbes, qvot insulas fama celebres, qvot inclyta regna cum Asia perdidimus? in oratione qva dissvadet rex Agrippa Judæis apud Josephum, ne cum Romanis bellum susciperent, qvingentas civitates in Asia minori ac propria fuisse comperimus. Et qvæ unqvam terra viros doctrina excellentes plures qvàm Asia protulit? Dum singulas percurrimus urbes, commemoravimus illustres viros: è septem sapientibus, qvos admiratur antiqvitas, tres vel qvatuor Asiaticos fuisse constat, qvando ex ipsa continenti, aut ex insulis sibi adjacentibus

bus orti ſunt. Homerus ipſe inter poëtas præcellentiſſimus, haud dubiè Aſiaticus fuit, qvamvis eum apud ſe natum plures civitates decertent: & Hippocrates medicorum princeps ex Coo natus, Aſiam honorat, & Aratus aſtrologus Solenſis. Inter Philoſophos ſive ſtoicos ſive peripateticos multi Aſiatici claruerunt. Oratorum qvoqve & hiſtoricorum maximus numerus, ſicut in particularibus relatum eſt. Theologi qvoqve noſtræ religionis non pauci in Aſia floruerunt. Sed unum omnium & primum & maximum ſatis fuerit commemoraſſe, Paulum Tarſenſem, cujus epiſtolæ poſt evangelia primum ſibi locum in eccleſia vendicarunt. Omittimus aliarum artium ſtudia, architecturam, picturam, ſtatuariamqve, in qvibus Aſianorum ingenia facilè principatum obtinuere. Longum eſſet ſingula recenſere, qvæ apud Aſiaticos præcipua extiterunt, & è ſeptem miraculis orbis duo vel tria in Aſia referuntur. Mauſolei ſepulchrum apud Cares, & Jovis ſive Solis Coloſſus apud Rhodios, qvos inter Aſiaticos computavimus. Hæc longius fortaſſe qvàm par fuerat, recenſuimus, ut intelligant, qvi hæc legerint, qvantum Chriſtiana res publica perdiderit: atqve hæc potiſſimum cauſa fuit, cur Aſiam & ejus partes diſtinctè usqve ad ad minutiſſimas deſcriberemus. Dicet fortaſſe aliqvis non minoris damni fuiſſe, vel Græciam amiſiſſe, qvæ omnium doctrinarum mater judicata eſt, & armorum gloria plurimum excelluit, vel Syriam, in qva primus homo viſus, & in qva Chriſtus natus & altus, humanum genus per crucem redemit, & viam qva cœlum peteremus, aperuit. Utilius igitur fuiſſe has provincias deſcripſiſſe qvàm Aſiam: ſed neqve nos illas negligemus, ſi vita comes fuerit, qvi & orbis univerſi ſitum, & gentes percurrere decrevimus. Nunc de Europa dicemus.

## ASIÆ MINORIS ELEGANTISSIMÆ DESCRIPTIONIS FINIS.



# ÆNEÆ SYLVII PII II. Pontificis Maximi,

## in Europam ſui temporis varias continentem hiſtorias

## PRÆFATIO.

*QVæ ſub Frederico tertio ejus nominis Imperatore apud Europæos, aut qvi nomine Chriſtiano cenſentur, inſulares homines, geſta feruntur memoratu digna, mihiq́; cognat, tradere poſteris qvàm breviſſimè libet: commiſcebimus, aliqva interdum altius repetita, qvemadmodum locorum, rerumq́; ratio expoſtulare videbitur.*

CAP.

## Cap. I.

### *De Hungaria, sive ut nonnulli volunt, Pannonia, de Sigismundo Imperatore catholicæ fidei ad unitatem insigni redactore, de Alberto rege Bohemo in Imperatorem Romanorum à Germanis electo, de Jacobo Marchiano ad tumultum sedandum crucifixigero, de multis aliis & ducibus & regibus, inter qvos de Matthia, qvi ex carcere ad regnum est vocatus.*

HUngaria, qvæ Austriæ Frederici patriæ contermina est, & in orientem vergit, principium narrationis præstabit. Hanc provinciam nonnulli Pannoniam vocant, tanqvam Hungari Pannoniorum loco successerint: verum neqve Hungaria Pannoniæ terminos implet, neqve illa tam lata olim fuit, qvàm nostra ætate Hungaria. Intra Danubium enim & Alpes, qvi ad Italiam & Adriaticum respiciunt mare, Pannonia continebatur; ab occasu Noricum Oenumqve amnem, ab ortu Mysos ac Triballos & flumen Savum contingens, intra qvos limites Austriæ magna portio clauditur, & Teutonibus incolitur. Stiria qvoqve iisdem terminis continetur, Valeria qvondam appellata. Hungaria verò, qvamvis inferiorem Pannoniam à fluvio Leycha usqve Savum complexa est, Danubium tamen transgressa ad Polonos usqve protenditur, & qvæ qvondam arva tenuere Gepidæ Daciqve possident. Imperium gentis Hungariæ multò latius est qvàm ipsa Hungaria. Nam & Dalmatæ, qvos Sclavos, & Illyrii qvos Bosnenses, Triballi seu Mysii, qvos tum Servios, tum Rascianos appellant, & Getæ, qvos partim Valachos, partim Transsylvanos nominant, Hungarorum imperium subierunt: etsi nonnulli ævo nostro Turcarum armis devicti defecerunt. Hanc provinciam, qvatenus citra Istrum extenditur, sub Octaviano Cæsare Romani primum obtinuere, Bacchone Pannoniorum rege subacto & Amantinis inter Savum & Dravum prostratis.

Daciam verò trans Danubium, qvæ nunc Hungariæ portio eſt, Trajanus imperator edomuit, & in ſolo Barbarico provinciam fecit: ſed amiſſa ſub Galieno per Aurelianum recuperata eſt. Poſt Romanos aliqvando Huni Scythica gens, aliqvando Gothi ex inſulis Balthici maris populi, deinde Longobardi ex Germania profecti Pannoniam occupavere. Poſtremo Hungarorum natio ex ultimis Scytharum finibus inundavit, qvæ usqve in hanc diem regno potitur, & ultra citraqve Iſtrum latè dominatur. Extat adhuc non longe ab ortu Tanais altera Hungaria, noſtræ hujus de qva ſermo eſt mater, lingua & moribus pene ſimilis: qvamvis noſtra civilior eſt Chriſti cultrix, illa ritu barbarico vivens ſerviat idolis. In Hungaria, qvam Danubius interlabitur tempeſtate noſtra Sigismundus, Caroli qvarti Romanorum imperatoris filius, natione Bohemus, origine Teutonicus, varia fortuna annos ſupra qvinqvaginta regnavit, princeps ſingulari prudentia, magnitudine animi, beneficentia & liberalitate inſignis, corporis qvoqve majeſtate ac decore illuſtris, cæterum bello prorſus infelix: qvem non Turcæ duntaxat, ſed Bohemi qvoqve ſæpe acie fuderunt. Uxor ei prima fuit Maria Ludovici regis filia, cum qva regnum accepit. Illius cauſa duos & triginta regulos in Hungaria primarios, qvi aliqvando rebellaſſent, gladio percuſſit. Ob qvam rem ipſe paulò poſt, regina fatis functa, in vincula conjectus eſt, mulieriqve viduæ, cujus virum interfecerat, in cuſtodiam traditus, donec regni proceres ſupplicium decernerent. Sed non defuit capto in extremis rebus providentia, qvi ut erat facundia potens, mulieri longè melius eſſe oſtendit regium ſangvinem conſervare qvàm fundere. Dimiſſus ab ea Barbaram Hermanni comitis Ciliæ filiam duxit uxorem, nec diu poſtea comparatis auxiliis regnum vendicavit, de proditoribus ſupplicium ſumſit. Mulieris viduæ filios & honoribus & opibus inter primos regni proceres cumulavit: qvorum adhuc alterius vivit filius Ladislaus Garus comes regni Palatinus. Multa hujus Sigismundi egregia facinora memoriæ prodita ſunt, inter qvæ illud præclariſſimum, qvod eccleſiam catholicam in tres partes diviſam, coacto apud Conſtantiam generali concilio, ad unitatem redegit: Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, hujus rei cauſa peragrans: Vitoldo Lituaniæ duci, ut ſe regem appellaret, miſſa corona indulſit. Prius tamen ille vita deceſſit, qvàm ſolennia coronationis expleret. Pruſſiam, qvàm rex Poloniæ Fratribus

beatæ

beatæ Mariæ Teutonicorum armis ademerat, restitui jussit. Cum Venetis duce Pipone Florentino gravia bella gessit. Venceslaum Bohemiæ germanum suum, qvod regno inutilis esset, conjecit in vincula: qvamvis negligenter custoditum magno reipublicæ malo qvidam Bohemi è carceribus surripuerint. Coronam imperii ab Eugenio qvarto pontifice maximo, Romæ accepit. Bohemia post multas calamitates vix tandem potitus est. Marchiam Brandenburgensem Frederico Burgrassio Nürenbergensi dono dedit, filiam Elisabeth ex Barbara natam Alberto duci Austriæ in matrimonium copulavit, illiqve demum apud Znoymam Moraviæ civitatem moriens, regna qvibus præfuerat ultima voluntate reliqvit, ossa ejus in Veradino jacent. Albertus apud Albam regalem cum conjuge coronatus, Bohemiæ qvoqve diadema suscepit. Cujus felicitatem admirati Germaniæ principes, & ipsi suum sangvinem extollere decreverunt, Romanum ei committentes imperium. Id Alberto suscipere non licebat, nisi primores Hungariæ indulgerent, qvibus haud ex usu videbatur suum regem Teutonibus imperare, atqve ob eam causam jurejurando Albertum obligaverunt, ne suo injussu imperium acceptaret. Vocati tamen ad regem, qvi tum Viennæ fuit, victi precibus præbuere consensum. Ille imperio auctus, ad Hungariam rediit, adversus Turcas, qvi tunc Rasciam invaserant, arma moturus. Sed dum Budæ moram facit (ea est regum sedes) judex civitatis natione Teutonicus, Hungarum qvempiam ob delictum fluvio demersit. Id Hungari molestissimè tulerunt, qvibus Teutonicum nomen exosum est. Excitatur è vestigio tumultus, Hungari arma capessunt, obvios Teutones passim trucidant, fit fuga in arcem, qva rex se continebat, diripiuntur negotiatorum domus, qvorum pars major teutonica fuit. Evangelizabat eo tempore Budensibus Jacobus Marchianus, ordinis minorum professor, doctrina literarum & vitæ sanctimonia clarus, qvi sedaturus tumultum, simulacrum Salvatoris crucifixi manu gestans, furenti armatoqve populo obviam factus, ut cædi parcant, ut rapinis abstineant, ut arma deponant, supplex orat. Illi verba ejus minimè intelligentes (neq; enim tempus ferebat interpretem) bene sibi futurum autumant, qvi Christũ suis cœptis ducem habeant, sublimemq; Jacobum, simulq; Crucifixum in ulnis attollunt, ac bacchati per urbem, nunc istam, nunc illam domum compilant. Fiunt tamen aliqvanto minora spolia, & à

cædibus temperatum eſt ob præſentiam Jacobi, qvi modo precibus, modo lachrymis furorem incenſæ plebis lenire conatus eſt. Sedato tumultu Georgius Palocius Strigonienſis eccleſiæ pontifex moritur, apud qvem pretioſa regni ſuppellex in cuſtodia fuit. Rex Strigonium petit, & regina cum eo, aperiuntur arcæ in qvibus theſaurus obſervabatur coram regina, & ſelectis regni baronibus. Illa clam ſubtracta corona (qvam ſacram appellant) fideliqve anui tradita, arcas claudit atqve obſignat. Albertus paulo poſt Drauum usqve fluvium proficiſcitur, ibiqve caſtrametatus majores copias expectat, cum qvibus Turcas invadere poſſit Sindronium obſidentes, prius tamen expugnatum eſt oppidum qvàm auxilia venirent. Ipſe Budam reverſus, cum dyſenteria laboraret, Viennam repetere ſtatuit, ſive moriturus inter ſuos, ſive qvod aërem, in qvo fuerat enutritus, conferre aliqvid ad ſanitatem ſperabat. Sed in itinere magis ac magis morbo affectus, relicta uxore prægnante, obſignatoqve teſtamento, in villa qvæ Longa dicitur, ſexto Calendis Novembris è vita deceſſit: Religioſus princeps, & qvi liberalitate ſimul juſtitiaqve præſtaret. Fuit qvoqve in bellis audax & manu promptus, Moravos ac Bohemos armis ſubegit, Polonos late vagantes intra regnum ſuum coërcuit. Magna de ſe Chriſtianæ reipublicæ promittere videbatur, nec minora populi de ſua virtute conceperant, pulcherrimæ ſpei ſatisfieri brevitas vitæ non ſivit. Repente occidit, qvæ brevi ad ſummum potentia creverat: neqve enim biennio toto imperavit. Statura ejus procera fuit, nervoſum & validum corpus, facies terrifica, more gentis eraſa barba, ſuperius labium intenſum, veſtem haud ſplendidam balteus auro gravis cinxit, nec unqvam lateri defuit enſis. Corpus ejus in Alba reconditum eſt. Cognita regis morte, convenientes Hungari indignum ac periculoſum exiſtimantes, tantum regnum unius fœminæ judicio ſubjacere, reginam magnis precibus hortantur, Uladiſlaum Poloniæ regem, qvi populum armis tueretur, ſibi ut virum adſciſcat. Conſentit mulier, ea conditione adjecta, ne qvod filio præjudicium fiat, ſi maſculum pariat. Legantur in Poloniam prælati eccleſiarum, & principes regni natu & authoritate majores, qvibus iter agentibus, Ladiſlaus poſthumus naſcitur, qvi mox ut in lucem prodiit, apud Albam regalem, & baptiſmum Chriſtianæ fidei ſignaculum, & militiæ cingulum, & ſacram Hungariæ coronam, qvàm mater penes ſe habuit,

eadem die accepit. Inde sublatus in tutela Frederici Cæsaris, duodecim ferme, annis fuit, cui mater & ipsum & coronam commendavit. Legati qvamvis prohibente regina Uladislaum adire, qvem magnis pollicitis oneratum in Hungariam traxerunt, & imposito diademate, regem salutavere, qvo cum diu Ladislai mater vario eventu armis contendit, Hungaris in duas partes divisis. Ulricus comes Ciliæ, dum consobrinæ studet, Ladislaoqve regnum defendit, captus à Polonis diu in carcere maceratus est. Dionysius archiepiscopus Strigoniensis, qvi postea Cardinalatus honore donatus est, genere ac moribus illustris, utriqve regi diadema imposuit: alteri volens, alteri coactus. Vocatus enim ad Polonum, qvamvis publica fide accepta Budam petivisset, non prius libertati suæ redditus est, qvam Uladislaum in Alba coronavit. Ipse qvàm primum potuit domum reversus, Polonorum conatibus summo studio adversatus est. Julianus cardinalis sancti angeli ab Eugenio pontifice maximo in Hungariam missus, vir summo ingenio, singulari facundia, excellenti doctrina, qvamvis inducias belli inter Uladislaum & Elisabeth ad certum tempus composuerit, pacem tamen efficere non valuit. Regina mortua, omnes pene Hungariæ optimates ad Polonos descecere, solus Gischra Bohemus rei bellicæ peritissimus, & manu promptus, Ladislai partes in Hungaria tutatus est, qvi sæpe cum parva militum manu, ingentes Hungarorum Polonorumqve copias vicit, fudit, delevit, bisqꝫ Joannem Huniadem magnis exercitibus cinctum castris exuit. Hic Joannes natione Valachus fuit, haud altis natalibus ortus, sed ingenio; dextro, & animo sublimi, & virtutis amator, multa cum Turcis secunda prælia fecit, & hostium spoliis Hungarica templa ditavit, primusqve omnium apud Hungaros Turcarum acies & frangi, & vinci posse monstravit. Qvibus ex rebus excitatus Uladislaus, & prælium cum Amurate Turcarum imperatore committere non dubitavit, de qvo postea suo loco dicemus. Fœdus inter Fredericum & Uladislaum, qvi se regem Hungariæ appellavit, Julianus Cardinalis ea lege composuit, ut liceret imperatori Hungaros coërcere, si qvod in Austria, Stiriavé damnum inferrent. Idem permissum Uladislao est in Frederici subditos Hungariam infestantes. Guncium oppidum in Hungaria est, Stiriæ atqve Austriæ proximum, hoc latrones occupavere, & pleraqve circumjecta castella, ex qvibus in Austriam profecti, magnam

vim

vim pecorum atqve hominum abegerunt. Motus ea re Fredericus comparato raptim exercitu in Hungariam trajecit, munimenta expugnavit, ex latronibus octoginta furca suspendit. Cum cecidisset in bello Uladislaus, conventus Hungarorum apud Pestam habitus est: locus hic trans Danubium Budæ opponitur, neqve muris cinctus, neqve magnificis domibus exædificatus, villæ speciem gerit. Hic Ladislaus Alberti filius communi procerum consensu rex designatur, suisqve deinceps auspiciis in Turcas pugnare cœpit, nec tamen feliciora ejus prælia, qvàm Poloni fuerunt. Joannes Huniades regni gubernator assumptus, absente rege provinciam (ut ajunt) in virga ferrea gubernavit. Nec, dum rex affuit, minor eo habitus est. Hic prostratis apud Albam Turcis (qvemadmodum in rebus Rascianis referemus) brevi tempore supervivens, morbo extinctus est. Ferunt eum cum ægrotaret, noluisse dominicum ad se corpus deferri, indignum esse dicentem servi domum intrare regem, jussisse sese, qvamvis deficientibus viribus, in templum vehi, ibiqve de more Christiano confessum, divinam Eucharistiam suscepisse, atqve inter sacerdotum manus Deo animam reddidisse. Felix spiritus, qvi tantæ rei, qvanta gesta est apud Albam, nuntius atqve author migravit in cœlum. Ladislaus qvi ex tutela jampridem imperatoris emissus, & in paterna regna receptus, Turcarum metu ex Hungaria in Austriam se contulerat, audita Turcarum strage, & gubernatoris morte, qvo cum Ciliæ comes apertum gerebat odium, impellente ipso comite, qvi veluti sublato æmulo lætabundus id nuntii audiverat, rursus in Hungariam rediit: sed dum apud Albam spolia Turcarum, & interemptorum hostium cadavera respicit, comes ipse, cujus caput erat à rege secundum, & qvi jam solus tanqvam regis avunculus leges Hungaris præscribebat, à Ladislao Huniadis filio in Castro regio obtruncatur, inde necem consecutus, unde speravit imperium. Offensus ea re mirum in modum regius animus, dolorem tamen suppressit, nec dubitavit avunculum jure cæsum fateri Cadaver defuncti in Ciliam missum est. Rex Budam se contulit, ubi secutus curiam Huniadis filios in carcerem rapi jussit, percussoremqꝫ comitis Ladislaum natu majorem capite plecti. Matthiam captivum duxit in Austriam, & profectus in Bohemiam eum pone seqvi mandavit. Ipse paucos dies Pragæ moratus, sive morbo pestifero, ut pleriqve tradiderunt, seu veneno, ut alii

affirmant,

affirmant, obiit diem, nobilissimus sanguis paterna origine ac materna ex imperatoribus ortus. Matthias, qva die rex clausit oculos, eadem Pragam applicuit, qvem Georgius gubernator in custodiam suam recepit. Corpus Ladislai apud proavum Carolum IV. Romanorum imperatorem in arce Pragensi atqve in æde sancti Viti reconditum est. Defuncto Ladislao rege Hungari ad eligendum successorem ad Calend. Januarias diem constituunt. Proceres apud Budam freqventes conveniunt: inter qvos Michaël Rylagus magna militum stipatus caterva præsto adest: XIII. millia eqvitum, peditum VII. millia eum secuta feruntur, qvibus stativa in Pesta fuerunt. Michaël frater conjugis Huniadis & Matthiæ avunculus fuit, cui propter necem Ladislai nepotis, cum plerisqve regni baronibus acerrimæ simultates erant. His potentia ejus haud parvum ingessit terrorem: nec jam perculsa metu concio, liberam regis electionem futuram arbitrabatur. Michaël verò conventum adiens, non se idcirco armatos adduxisse ait, ut vim congregatis inferat, sed ut eos deterreat, si qvi sint, qvi libertatem principum ac popularium in assumendo rege perturbare conentur. Illud tantum se veluti unum ex regni accolis monere, ut Joannis Huniadis beneficia meminerint, qvi unus omnium Turcarum arma ab Hungarico regno depulerit, clarasqve genti victorias pepererit, indigna suis meritis præmia reddita. Ex filiis ejus alterum crudeliter occisum, alterum in Bohemia captum servari, posse Barones memoriam Joannis extollere, Matthiam ex captivitate redimere, atqve in ejus regni fastigio collocare, qvod pater sua virtute servasset: neq; ferendum, ut ad exteros ea potestas deferatur. Parcere se omnibus, qvi nepoti fuissent insidiati: regni salutem ante oculos ponere: si qvem provinciæ utiliorem esse arbitrentur, nihil obstare, qvo minus melior eligatur. Fuit res aliqvamdiu anceps, cum Baronum sibi qvisqve timeret. Postremo reconciliatione inter proceres facta, cujus autorem Joannem sancti Angeli cardinalem, virum doctrina & moribus excellentem, qvi tum legatum agebat Apostolicum, tradidere, Matthias octo & decem natus annos, nono Calend. Februarii, inter qvadraginta millia virorum, qvi medio in Danubio tum glacie constricto, impatientes magni frigoris, secreti electionis exitum expectabant, rex acclamatus. Nunc qvisqvis hæc legis & futura prædicito: singulare prorsus humanæ inconstantiæ documentum, ex duobus adolescentulis

ætate moribusqve pene paribus, alter ex regio solio dum novæ nuptæ thalamum exornat, defertur ad tumulum: alter dum capitale judicium trepidus manet, ex carcere vocatur ad regnum. Libertas ejus ex gubernatore Bohemiæ sponsalitiis atqve aliis pactionibus empta refertur. Mirabile qvod matrem repentina lætitia non exanimaverat, cum cladibus afflicta prius regem appellatum audierit, qvam vinculis exemptum. In parte Hungariæ, qvæ trans Danubium in Septentrionem porrigitur, & nunc Sepusium vocant, olim Gepidæ consedere. Insignis latro Examites, natione Bohemus, Hussitarum pestifera labe infectus, milites prædandi cupidos undecunqve ad se venientes benignè collegit, eosqve fratres appellavit, & universam religionem illam tributariam sibi reddidit, exædificatis munitionibus locis opportunis, ex qvibus modò in unam, modò in alteram partem discurrere posset, prædas in fine cujusqve mensis viritim divisit. Ex qvibus non plus accepit, qvi totum mensem, qvàm qvi diem unam ante divisionem in castris fuit, numero fratrum ascriptus. Id sibi ex Evangelio præceptum affirmavit, qvod in vinea domini laborantibus, & qvi prima hora, & qvi undecima venerant, æqvam mercedem promittit. Hæc societas tum longè lateqve rapinas agere, & jam qvinqve millia pugnatorum in armis habere, indiesqve crescere, non aliter dissipari potuit, qvàm duce ipso Examite ad stipendia Ladislai regis vocato.

## Cap. II.

### *De Transsylvania regione, Teutonibus, Siculis & Valachis populis eam incolentibus.*

TRanssylvania regio est ultra Danubium sita, qvam Daci qvondam incoluere, feroces populi, & multis Romanorum cladibus insignes: nostra ætate tres incolunt gentes, Teutones, Siculi, & Valachi. Teutones è Saxonia originem habent, viri fortes & bello exercitati, à septem civitatibus qvas inhabitant Sibenburgenses patrio sermone appellati. Siculi Hungarorum vetustissimi creduntur, primi omnium qvi ex Hungaria veteri in hanc provinciam venerint. Eam ob causam qvamvis agros suis colunt manibus,

ac rure viventes, greges pecorum pascunt, nobiles tamen appellantur, & concurrentes invicem, alter alterum generosum dominum salutant, nec tributa pendunt, nisi qvo anno rex Hungariæ coronatur. Tunc enim qvot sunt patresfamiliâs, tot boves regi tradunt, qvorum numerum supra sexaginta millia esse ferunt. Jussi verò in bellum exire nisi pareant, capitali pœna plectuntur, bona fisco applicantur. Valachi genus Italicum sunt, qvemadmodum paulòpost referemus, paucos tamen apud Transsylvanos invenias viros exercitatos Hungaricæ linguæ nescios. In hac provincia oppidum fuit, qvod Bistricum vocavere regiæ coronæ subjectum. Id Ladislaus rex cum Viennæ ageret, Joanni Huniadi dono dedit. Tulerunt id ægrè oppidani, diuqve restitere, coacti tamen imperata fecerunt. At mortuo Joanne, ejusqve filio Ladislao Budæ occiso, Michaëlem Rylagum, qvi pro Matthia altero Johannis filio regnum petebat, turpiter rejecerunt. Ille indignatus qvàm primum Ladislai regis mortem accepit, eò cum exercitu rediit, vi oppidum expugnavit, rebellium civium aliis oculos eruit, aliis manus amputavit, aliis necem intulit, oppidum incendio delevit, ingressi sunt paulòpost Transsylvaniam Turcarum circiter tria millia, prædamqve magnam abegerunt pecorum atqve hominum: qvos insecuti Sibinenses & ipsi Teutones ad internecionem usqve deleverunt, victoresqve præda recuperata domum rediere. Vix civitatem introierant, cum Michaël ex alia parte haud parvas ducens copias affuit, civitati exitium parans, qvæ Bistricensibus adversum se opem tulisset. Sed cum Sibinienses intra munitissimam urbem se continerent, frustratus desiderio suo, minitabundus recessit. Apud Hungaros obiit ætate nostra Paulus Vergerius Justinopolitanus, Græcis ac latinis literis apprime instructus: cujus plura extant opera ab eruditis probata. Arrianus, qvi Alexandri magni gesta Græco sermone conscripsit, Latinus ab eo redditus est, hortatu Sigismundi Cæsaris. Scripsit de ingenuis moribus, græcas ac barbaras amicitias comparavit, adversus Malatestam, qvi Maronis statuam in foro Mantuano dejici jusserat, nobilem invectivam edidit. Ex Hungaris, qvi studia humanitatis secuti ævo nostro claruerunt, duos novimus, Joannem episcopum Varadiensem, qvi regni cancellariam obtinuit, & alterum Joannem ejus ex sorore nepotem, qvi sub Gvarino Veronensi Græcas ac Latinas literas didicit, nec minus versu qvam soluta valet ora-

 tione:

tione: horum tamen originem Sclavonicam ferunt. Scientiam juris plurimi professi sunt, inter qvos Dionysius excelluit gente Canysia natus, qvi Strigoniensem sortitus ecclesiam, honorem qvoqve cardinalatus (ut antè diximus) emeruit. In re militari Nicolaus Vayuoda Transsylvanus, Michaël Ursatius, & qvi Calisium invasit, Pancratius, nomen adepti sunt. Nunc clarus habetur Michaël Rilagi ex aliena ruina magnus. Joannes Huniades, cujus nomen cæteros obnubilat, non tam Hungaris qvàm Valachis, ex qvibus natus erat, gloriam auxit. Valachia perqvam lata regio est, à Transsylvanis incipiens, usqve in Euxinum protensa pelagus, plana fermè tota, & aqvarum indiga, cujus meridiem Ister fluvius excipit, septentrionem Roxani occupant, qvos nostra ætas Ruthenos appellat, & versus fluvium Thiram Nomades Scytharum genus, qvos Tartaros hodie vocitamus. Hanc terram incoluerunt qvondam Getæ, qvi Darium Histaspis filium turpi fuga repulerunt, & Lysimachum regem vivum in potestatē pertraxerunt, & Thraciam pluribus cladibus affecerunt. Postremo Romanis armis subacti ac deleti sunt. Et colonia Romanorum, qvæ Dacos coërceret, eo deducta duce qvondam Flacco, à qvo Flaccia nuncupata. Exin longo temporis tractu, corrupto ut fit vocabulo, Valachia dicta, & pro Flacciis Valachi appellati. Sermo adhuc genti Romanus est, qvamvis magna ex parte mutatus, & homini Italico vix intelligibilis. Inter Valachos tempestate nostra duæ factiones fuere, altera Danorum, altera Dragularum: sed ii cum Danis impares essent, atqve ab illis multifariam opprimerentur, Turcas in auxilium vocavere, qvorum armis adjuti, Danos pene ad internecionem deleverunt. Danis verò Joannes Huniades Hungarorum imperio fretus opem ferens, non tam illos restituit qvàm sibiipsi claritatem & opes acqvisivit. Qvippe qvi Danorum agros ex potestate Turcarum ereptos, & sibi & posteris perpetua possessione retinendos occupavit. Valachi & insulas Istri accolunt, inter qvas Peucen apud veteres fama notam, & in Thracia qvoqve sedes habent. Valachorum pars Turcarum imperio, pars Hungaris subjacet. Non me latet difficillimam esse provinciarum descriptionem, qvando & authores ipsi qvos imitari oportet, non solum varii, verum & inter se contrarii ac magnopere dissentientes inveniuntur, & ipsarum provinciarum limites pro dominantium authoritate ac potentia sæpenumero commutati. Nam

qvæ

qvæ provincia latiſſima qvondam fuit, ætate noſtra, aut extincta eſt, aut permodica. Contra verò qvæ nulla vel minima extitit, nunc latiſſimam florentiſſimamqve videmus. Longobardiam ac Romandiolam non cognovere majores, noſtra tempora Inſubriam, Æmiliam, ac Flaminiam prorſus ignorant. Macedoniam Æmathione Rege, à qvo Æmathia cognominata, peranguſti clauſerunt termini: virtus poſtea regum, & gentis induſtria, ſubtractis finitimis populis, longè ac latè protendit. Dent igitur veniam, æqvum cenſeo, ſi qvi mea ſcripta legentes non eos locorum terminos offenderunt, qvos ipſi vel mente ſua conceperunt, vel apud alios invenerunt, qvæ ab aliis accepimus, ſeu antiqvis ſeu novis autoribus, incorrupta referimus, qvamvis non eſt propoſiti noſtri geographiam edere, licet aliqvando hiſtoriam qvam ſcribimus, locorum aliqvam ſignificationem reqvirat: ſic enim clarior redditur.

## CAP. III.

### *De Thracia & populo in ea, qvomodo Byzantium, qvod & Conſtantinopolis dicitur, à Conſtantino imperatore Romanorum ſit muris & pulcherrimis ædificiis auctum. Idem de Synodo facta ſuper ſancti ſpiritus proceſſione.*

POſt Valachos igitur & Hungaros, de qvibus ſermo habitus eſt, Thracienſium res geſtæ ſeſe offerunt. Thracia verò (ut pleriqve authores tradunt, ipſiqve præſtantiores) ampliſſima provincia eſt, longè latèqve patens. Cui ab oriente Euxinum pelagus ac Propontis occurrit. A meridie Ægæum mare, & Strymon fluvius, ſimulqve Macedonicus ager. Septentrionem Iſter claudit. Occidentis oram tum Pœoniæ montes, tum Pannonia, & Sauus excipit amnis. In qva ſententia & Plinium Veronenſem fuiſſe video, & Strabonem ipſum, qvi juga montis Hæmi, Thraciam dividere mediam affirmat, idemqve Dardanos, Triballos, Myſos incolere Thraciam non ambigit. Triballos autem eos coluiſſe campos, in qvis vel Raſciani modo, vel

Servii ſedes habent, nemo negabit, qvi ſcripta veterum præſenti rerum ſtatui coaptaverint. Myſii verò poſt Triballos ad orientem usqve in Euxinum protenduntur, inter Iſtrum & Æmum montem habitacula ſortiti: hos hodie Bulgaros appellant. Poſt qvos maritima loca verſus meridiem ad Helleſpontum usqve Romania eſt, natio Græca, qvamvis olim Barbara fuerit, & iterum noſtro tempore deleto Græcorum imperio, dominantibus Turcis in Barbariam redit. Hujus provinciæ Metropolis eſt Byzantium, Agios prius appellata. Lacedæmonii eam condidere duce Pauſania, qvibus Apollinem conſulentibus, ubinam ſedes qværerent, mandaſſe oraculum memoriæ proditum eſt, ut contra cæcos habitationem locarent. Cæcos autem Megarenſes appellavit Chalcedonis conditores. Qvi cum prius in Thraciam navigaſſent, ſitumqve, ubi poſtea Byzantium ædificatum eſt, conſpexiſſent, omiſſa tam locuplete ripa, tenuiorem è regione in Aſia delegiſſent. Hæc Strabo. Conſtantium verò imperatorem cognomine Magnum, cum ſtatuiſſet imperii ſedem ex urbe Roma in orientem transferre, qvo facilius Parthorum excurſiones compeſceret, tradunt eccleſiaſtici authores in Troadem profectum, ibi regiæ urbis fundamenta jeciſſe, ubi qvondam Agamemnon cæteriqve Græcorum principes adverſus Priamum regem fixere tentoria. Sed admonitum in ſomnis, Chriſto ſalvatore locum alium deſignante, cœptum opus, cujus diu manſere veſtigia, infectum reliqviſſe, atqve in Thraciam navigantem Byzantium petiviſſe, eumqve ſibi locum divinitus oſtenſum dixiſſe, mox urbem ampliaſſe, nova mœnia erexiſſe, ſublimes excitaſſe turres, magnificentiſſimis tum privatis tum publicis operibus exornaſſe, tantumqve illi decoris adjeciſſe, ut altera Roma non immerito dici poſſet. Scriptores vetuſti qvi florentem videre, deorum potius in terris habitaculum qvàm imperatorum putaverunt. Nomen urbi novam Romam imperator indidit. Sed vicit obſtinatio vulgi, ut à conditore potius Conſtantinopolis vocaretur. In hac urbe multa ſub imperatoribus Epiſcoporum concilia celebrata, multæ ſuppreſſæ in Chriſtiana religione ſurgentes hæreſes, multæ inventæ, inter qvas ea diutius manſit, qvæ de proceſſione Sancti ſpiritus, qvamvis in pluribus agitata ac rejecta conciliis, ad noſtram ætatem uſqve perveniens, deniqve ſub Eugenio qvarto pontifice maximo in Florentina Synodo (qvemadmodum ſuo loco dicetur) non ſolum à Latinis

tinis, ſed ab ipſis etiam Græcis damnata exploſaqve eſt. Verum qvanqvam Joſeph patriarcha, & Johannes imperator gentis ejusce cum Latina eccleſia concordibus animis fidei ſymbolum decantaverint, Conſtantinopolitana tamen eccleſia credere, qvod Romana ſentiret, velut nefas duxit. Obierat in Florentia Patriarcha, qvi unïoni conſenſerat. Nec imperator domum reverſus diu ſupervixerat. Conſtantinus, qvi ei ſucceſſit, ſive deceptus, ſive ſponte ſua inſaniens, haud qvaqvam unioni conſentiens videbatur. Et jam Gregorium Patriarcham priori ſuffectum, qvòd ad veritatem fidei ambularet, domo pepulerat, eccleſiaſtica bona invadens. Miſerat eo Nicolaus Pontifex Romanus Iſidorum epiſcopum Sabinenſem, univerſalis eccleſiæ cardinalem, virum induſtrium, & qvi Ruthenorum eccleſiam jamdudum rexerat, percontatum, qvanam ratione græcanica natio legatorum ſuorum conventa rejiceret, cum Latinis Florentiæ habita? Jam ille imperatorem ejusqve ſenatum in rectam viam pellexerat, cum Turcarum bellum, duce & authore Mahumete, veluti repentina tempeſtas in Conſtantinopolitanos emerſit, de qvo paulò poſt ſuo loco dicetur.

## CAP. IV.

### *De Turcarum origine, & propagatione, victu, & moribus eorum.*

VIdeo complures ætatis noſtræ non authores aut poëtas duntaxat, verum etiam hiſtoricos eo errore teneri, ut Teucrorum nomine Turcas appellent. Credo eos idcirco motos, qvoniam Turcæ Trojam poſſident, qvam Teucri coluere: ſed illi originem ex Creta atqve Italia ſumpſerunt. Turcarum gens Scythica & Barbara eſt, de cujus origine atqve progreſſu, qvamvis propoſitum egredi videar, dicere haud alienum exiſtimo: qvando ſub ævo noſtro in tantum hoc genus hominum auctum eſt, ut Aſiam Græciamqve tenens, Latinum Chriſtianumqve nomen latè perterreat. Et narratio res qvoqve Thracienſes aperiet, de qvibus inſtitutus eſt ſermo. Turcæ (ut Æthicus philoſophus tradit) ultra Piricheos montes & Taracon-

Taracontas insulas contra aqvilonis ubera, id est, ad septentrionalem oceanum sedes patrias habuere: gens truculenta, ignominiosa, & in cunctis stupris ac lupanaribus fornicaria. Comedit, qvæ cæteri abominantur, jumentorum, luporum, & vulturum carnes, nec abortivis hominum abstinet. Diem festum nullum colit, nisi mense Augusto Saturnalia. Romanorum imperium audivit magis qvam sensit, qvamvis Octaviano Augusto in auro littorio censum dedit, & id qvidem sponte. Nam tum vicinas undiqve regiones annua illi tributa reddere animadvertit, novum dierum ac temporum Deum exortum esse arbitrata, munera ei qvotannis transmisit. Hæc gens teste Othone historico & Imperatoris Frederici patruo, regnante apud Francos Pipino, à Caspiis portis egressa, cum Avaribus (qvos Hungaros nostra vocat ætas) feroci pugna, multis utrobiqve desideratis conflixit. Exin Pontum, Cappadociamqve transgressa, ad reliqvas inde finitimas gentes sensim dilapsa, more latronum clandestinis qvibusdam excursionibus vires sibi vendicans, occupatis qvibusdam montibus, & claustris opportunis, unde per occasiones facile irruptiones fieri possent, usqve adeò emersit ac sublata est animis, ut palam jam & pari marte adversum finitimos de agri possessione certaret: & deniqve procedenti tempore non solum Pontum & Cappadociam, verum Galatiam, & Bithyniam, Pamphyliam, Pisidiam, utramqve Phrygiam, Cilices, Cares, & eam Asiam qvæ minor vocatur, ad oras usqve Ionii & littora Græci maris occupaverit, non unum qvendam principem, sed alios alii duces & varia auspicia qvasi per factiones secuti. Ex hac gente (qvemadmodum Nicolaus Sagundinus vir Græcæ ac Latinæ historiæ peritissimus ad nos scripsit) vigesimum ab hinc & centesimum circiter annum Ottomanus exigui tum census & obscuri inter privatos nominis, ex collectitio milite non parva manu per seditionem conflata, grassari passim, ac non solum reliqvias Christianas vexare, verum etiam homines suæ gentis armis infestis petere, & sibi subdere cœpit. Cujus conatibus orta inter Turcarum principes seditio, facilem cursum præbuit. Nam illi dum sese invicem laniant, accitis undiqve omnibus, qvi pro ingenio prædæ rapinæqve percupidi essent, authoritatem brevi & nomen adeptus est, oppida non pauca partim vi, partim seditione in potestatem accepit. Ottomano filius successit Orcanes, qvi rem inchoatam à patre commodè persecutus,

cutus, admodum propagavit. Eum Amurates filius subsecutus est, qvi duobus de Græcorum imperio disceptantibus, ab altero qvi superari timebat, in auxilium accersitus, Turcarum primus transivit in Græciam, ubi consulto bellum protrahens, postqvam ambos enervatis consumptisqve viribus, fractos ac defessos animadvertit, versis (ut ajunt) proris, arma in eos sine ullo discrimine per occasionem convertit. Et occupato Callipoli oppido, peropportunè in Cherroneso ad Hellesponti fretum sito, cætera græca oppida apertè petere bello, palamqve sibi & posteris Græcorum polliceri imperium non dubitavit, magnamqve Thraciæ partem, nullis ferme obsistere audentibus, ditioni suæ subjecit. Is vita functus duos reliqvit filios, Solmanem & Pazaiten. Solmane brevi è vita subtracto, res universa ad Pazaitem deducta est. Qvi prosperos fortunæ adeptus afflatus, usqve adeò novelli regni fines extulit, ut Thraciam pene universam, excepta Constantinopoli ac Pera, Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Bœotiam, Atticam, majori ex parte occupaverit: Mysos qvoqve Illyrios, Triballos crebris excursionibus infirmaverit. Constantinopolim verò tum omni agro, suburbanisqve ac delitiis spoliavit: tum longa & perdifficili obsidione vexavit, ut cives desperata salute de deditione agere cœperint, petissentqve procul dubio, & in hostis sævissimi potestatem venissent, ni Tamerlanes ille Scytharum præpotens rex, instar torrentis ipso incursu atqve impetu cuncta prosternendo ac vastando, Pazaiten ipsum occurrere ac reluctari conantem, magno prælio & ingenti strage superatum in Asia cepisset. Hic est ille Tamerlanes terror gentium, in cujus exercitu duodecies centena millia hominum fuisse traduntur, Xerxe ac Dario major, qvorum copiis siccata flumina prodiderunt. Iram ipse se Dei vocitavit, nec nomini crudelitas defuit. Multas ac præclaras Asiæ urbes delevit, homines tanqvam pecora trucidavit, non ætati, non sexui pepercit. Damascum nobilissimam Syriæ urbem diripuit atqve incendit. Pazaiten catena vinctum prandens, qvasi canem sub mensa sua comedere jussit, ascensurus eqvum, eo tanqvam scabello usus est. Post cladem Pazaitæ, filii ejus, qvi complures erant, in potestatem venere Græcorum, cum periculum evasuri in Thraciam trajicere contenderent. Calapinus autem natu major emissus à Græcis, tandem patrium regnum obtinuit. Adversus qvem Sigismundus rex Hungariæ collatis signis

 prælium

prælium iniens, tumultuose susus, castra & impedimenta reliqvit, Christianorum ingens occisio facta. Joannes dux Burgundiæ in eo prælio captus, multo auro libertatem redemit. Calapino mortuo Orcani ejus filio tenella ætate adolescentulo Moyses patruus & regnum & vitam eripuit, qvi paulopost sine filio decedens Mahumetem fratrem reliqvit hæredem. Is Valachis fortissimis & bellicosissimis nationibus trans Danubium (ut antè diximus) late dominantibus, bello attritis tributa gravia imperavit. Nonnullos in Asia Turcarum regulos armis oppressos regnis penitus spoliavit, Christianos sub imperio suo degentes qvàm durissimè afflixit. Mahumete mortuo Amuratem ejus filium, qvi per id tempus in Asia morabatur, audita patris morte, in Thraciam trajicere conantem, imperator Græcorum diu prohibuit, Mustaphamqve reliqvum ex Pazaitæ filiis, ut rerum potiretur, emisit & summa ope prosecutus est: sed Mustapha pugna superato & interempto, Amurates victor universum regnum consecutus, Thessalonicam illustrem Græciæ urbem, qvàm tum Veneti possidebant, vi captam, expugnatamq; penitus diripuit, eaq; victoria auctus, Epirum atqve Ætoliam non obscuras provincias reliqvo regno adjecit. Illyriorum agros vastans, oppida multa vi cepit, diripuit, atqve incendit. Uxoribus more gentis qvamplurimis junctus est, inter qvas Georgii Serviæ Despoti filiam duxit. Nec diu post immemor affinitatis, adversus eum duxit exercitum. Georgius impar generi potentiæ, furentem veritus hostem, relicto uno ex filiis, qvi cum præsidio Synderoniam tueretur, cum conjuge cæterisqve liberis ac gentis suæ sacerdotibus in Hungariam profugit. Expugnata est tamen Synderonia ac direpta. Despoti filio lumen ademptum, Georgius patria expulsus, diu apud Hungaros exulavit. Joannes Huniades jam per arma clarus, sæpe cum exercitu Serviam ingressus, plurimis cladibus Turcas affecit, eorumqve duces acie conflixit. Verum qvamvis Serviæ magnam partem recuperavit, non tamen Georgio cuncta restituit, multa dedit amicis. Neqve injuria, cum & ipse sua virtute repulisset hostes, & Georgii suspecta fides esset, qvi medius inter Hungaros ac Turcas nunc hos, nunc illos fefellisset. In his verò qvæ religionis essent, neqve Romanæ ecclesiæ auscultaret, neqve Mahumetis legem seqveretur.

## Cap. V.

### *De bello contra Turcas ab Hungaris duce Johanne Huniade commiſſo. Item de altero ab iisdem contra eosdem magno Chriſtianorum detrimento facto.*

Libet, qvoniam huc ventum eſt, hujus opera ad finem proſeqvi. Cum malè pugnatum eſſet in prælio Varnenſi, de qvo paulò poſt dicemus, fugiens Huniades in Serviam ſe recepit. Senſit adventum ejus Georgius, atqve obviam factus venientem intercepit, & qvaſi hoſtem conjecit in vincula. Nec prius dimiſit, qvàm oppida ſuæ ditionis ab eo pridem occupata recepit. Nec multo poſtea cum Joannes verſus Sophiam copias duceret, videreturqve non parva Turcis illaturus damna, Amuratæ omnia Hungarorum conſilia patefecit. Unde ille admonitus maximam Chriſtianis intulit cladem, qvemadmodum ſuo loco refertur. Cum verò Turcæ Conſtantinopolim eviciſſent, atqve in Serviam ducere exercitum minarentur, ſecundo auxilia petens ad Hungaros tranſiit, & in Auſtriam usqve profectus Ladislaum adiit regem, grandævus jam ſenex dignus veneratu, ſi recta de religione ſenſiſſet: ea in eo ſermonis authoritas, ea corporis majeſtas fuit. Acceſſit hunc Joannes Capiſtranus ordinis minorum profeſſor, vitæ munditia & inter prædicatores Evangelii noſtro tempore inſignis, qvæſivit, an audire ſe vellet? Annuenti, qvod Romana eccleſia credit & docet expoſuit, diu ſecum per interpretem de ſacris eloqviis diſputavit, ut errorem ſuæ gentis relinqveret, magnopere cohortatus eſt. Ille hoc deniqve reſponſum dedit. *Annis nonaginta vitam produxi, nec aliam religionem qvam ſuſcepi à patribus novi, ſapientem me cives mei, qvamvis infelicem hactenus putavere, tu nunc, qvod ſæpe agitant, ſenem delirum efficere cupis, laqveo vitam finire malim, qvam patrum traditiones relinqvere:* atqve his dictis è conſpectu abiit: tam periculoſum eſt religionem imbuiſſe damnatam. Reverſus domum, cum accepiſſet Michaëlem Zilagum, qvi tum Albæ cum præſidio præerat, fratremqve ejus Ladislaum qva-

drigis vectos urbem exisse, milites misit, qvi eos vel comprehenderent, vel occiderent. Michaël ubi adesse hostes animadvertit, curru desiliens, eqvum qvem pone ducebant ascendens veloci fuga salvatus est. Ladislaus in qvadrigis repertus, multis vulneribus confossus ac discerptus interiit: sed non impune id Georgio cessit. Cognovit & Michael paucis post diebus illum prope Danubii ripam iter habere, aggressusqve cum armatis captivum abduxit, cui dextræ manus duos digitos amputavit, cum se gladio defenderet. Redemptus est Georgius magno auri pondere, non tamen diu supervixit, cum truncæ manus fluor sisti non posset, atqve hic perfidi hominis exitus fuit. Lazarus filius post eum gubernationem suscepit, excluso fratre, nomine Georgio, qvem qvondam Amurates excæcaverat. Is cum sorore (qvam nupsisse Amurati diximus) ad opem Mahumetis confugiens, frustra ejus auxilium imploravit. Obiit deinde Lazarus, de cujus hæreditate non parva contentio exorta est. Georgius Turcarum auxilio paternum regnum vendicare nititur. Uxor Lazari relicta Hungaricas opes implorat, nec Cateçuzina Ulrici comitis Ciliæ qvondam uxor ac Georgii filia portionem hæreditatis desperat. Joannes Cardinalis Sancti Angeli ab Hungaris inuitatus, eò profectus, ut arces Rascianas, qvæ Turcis in Hungariam aditum præcludunt, aut Apostolicæ sedis nomine recipiat, aut Hungaris tradi curet: rebus infectis non sine gravi periculo (vix enim Turcarum manus evasit) Budam rediit. Nos Amuratis opera, qvæ medio cursu reliqvimus, proseqvamur. Magnus hic vir fuit, domi belliqve tam suis amatus qvam nostris odiosus, cum centum millibus pugnatorum intravit Hungariam late populatus provinciam, sterilis annus impedimento fuit, ne regno potiretur. Commeatus penuria compulsus rediit. Julianus cardinalis sancti Angeli ab Eugenio pontifice maximo adversus eum missus, Hungarorum extulit animos, & arma sumere persuasit. Exercitus Christianus usqve Sophiam ad Arcum magnum profectus est. Sæpe cum Turcis prosperè dimicatum non sine Joannis Huniadis ingenti laude, qvi tum copias ductavit. Cujus nomen apud hostes adeò terrificum fuit, ut plorantibus pueris matres familiàs taciturnitatem non aliter imperarent, qvam Joannis

præ-

præſentiam minitantes. Congregati tamen non parvo numero Turcæ, cum Chriſtianis confligere non dubitarunt. Sed non tam felix eis pugna, qvam fortis animus fuit: ſuperati virtute Hungarica, multis cæſis, terga dedere. Hungari, qvi bello interfuere, cupiditate gloriæ res ſuas ampliantes, ac de magnis majora tradentes, Imperatori Frederico, ſuperatos bello Turcas ſcripſere, triginta millia hoſtium cæſa, captaqve multò plura. Cardinalis ſancti Angeli ſex millia duntaxat hoſtium in eo prælio cecidiſſe ſuis litteris affirmavit. Signa militaria novem capta. Joannem Huniadem non ducis tantum, ſed militis qvoqve ſingulari virtute uſum, eiqve fides habita. Turcis his Chriſtianorum victoria plus pavoris qvàm damni attulit, non Hungaricas tantum vires, ſed Germanicas qvoqve in ſe commotas arbitrantibus. Conſternati ergo ac perculſi metu, perinde ac totus occidens conjuraſſet, pacem petiere. Hungari qvi ſuas vires non ignorarent, nec tam potentiæ ſuæ qvàm caſui victoriam imputarent, periculoſum exiſtimantes ſæpius tentare fortunam, oblatas ultro conditiones pacis non recuſarunt. Induciæ belli in decem annos dictæ, iuſiurandum per ſua ſacra ambæ partes præſtitere, Deſpoto Serviæ qvæ bello amiſerat, reddita. Moleſta ea res Juliano Cardinali fuit, cui proſeqvenda victoria videbatur. Eugenio qvoqve Romano pontifici nihil moleſtius nuntiari potuit, cujus menti nulla major cura inſedit, qvam Chriſtianæ fidei propagandæ. Scripſit igitur Cardinali, nullum valere fœdus, qvod ſe inconſulto cum hoſtibus religionis percuſſum eſſet. Vladislao regi Poloniæ, qvi eo tempore Hungariam occupabat, uti conventa diſſolueret, imperavit: juramenta remiſit: novum inſtaurari bellum tum precibus tum minis extorſit. Ex Chriſtianis principibus auxilia petiit, præter Philippum tamen Burgundiæ ducem, neminem Chriſtianæ religionis zelus commovit: hic ſolus claſſem inſtruxit, qvæ usqve in Helleſpontum profecta, Turcis ex Aſia tranſitum prohibere in Europam conata eſt. Franciſcus Cardinalis Venetiarum, Eugenii nepos, cum pluribus eò miſſus claſſi præfuit. Vladislao qvi alienum regnum invaſiſſet, è re ſua viſum eſt, ſollicitudinem belli provincialibus non deeſſe. Accerſitis igitur ex Polonia ac Bohemia, cæterisqve vicinis gentibus auxiliis, coactis ex Hungaria copiis, Turcarum agros invadere ſtatuit,

Joanni Huniadi castrorum cura commissa qvadraginta circiter eqvitum millia fuisse traduntur, pleriqve dimidio minorem numerum prodidere, reguli Hungariæ pontificesqve qvamplurimi interfuere. Julianus sancti Angeli cardinalis, milites cruce signatos non paucos secum duxit. Iter per Valachiam receptum, deinde transito Danubio in Mysiam ventum, ut per plana & campestria loca in Romaniam transirent. Amurates hostium cognito adventu, cum Græcis ac Turcis in Europa manentibus non satis confideret, exercitum ex Asianis militibus comparavit. Sed angebat animum trajiciendi freti non mediocris cura, qvi classem apostolicam obtinere pelagus non ignorabat. Anxio (ut ajunt) & multa volventi animo, Genuenses qvidam curas ademere, qvi suis navibus accepta pecunia transportare copias promiserunt. Locus est ubi non amplius qvam stadia qvinqve latitudo freti continet, inter Propontidem & Euxinum pelagus: tantum est spatium qvod Europam Asiamqve disterminat. Bosphorum Thracium dixere majores, à Bizantiorum cornu sexaginta fermè stadiis distantem. Hic Amuratis exercitus transvectus est, aureo nummo vectoribus per capita tradito, qvæ si vera est fama, centum millia fuisse ferunt. Nam Christiani locum attigerant, cui Varna est nomen, cum adventare innumerabiles hostium copias nunciatum est. Cedendum Uladislao Cardinaliqve videbatur, & ne circumveniri ab hoste possent, munitum montanumqve locum petendum. Huniades adversari ac resistere, Turcarum se nosse vires dicere, famam semper majorem esse, qvod si Turcæ omnes adsint, Hungaris tamen impares fore. Illos aurea & discolori veste, Hungaros ferro atqve ære fulgere, Christianum agmen & stare paratum & seqvi, nec turba nec sarcinis prægrave: intentum, qvò dux non modò signet, sed etiam innuat. Contra si Turcarum mores inspiciantur, fœminas magis existimari debere qvam viros, si fugiat exercitus Christianus, qvem rex Hungariæ ducit, in qvo legatus Apostolicus adest, in qvo tot nobilissimi proceres militant, nunqvam deinceps Hungaris contra Turcas futurum animum. Vicit Huniadis sententia, expectati hostes, postera die, sive majoris exercitus speciem præbuere qvam fama ipsa vulgaverat, sive qvod metuentibus omnia vero majora videntur, sive qvod Amurates in cogendo milite, vulgatæ opinioni haud qvaqvam defuerat, territus Huniades eo conspectu tum primum periculi

riculi magnitudinem animo volvens, de fuga regem admonuit. Ille serum consilium arguens, perniciosam magis fugam qvam pugnam dixit. Commisso prælio sperari victoriam posse, sæpe minoribus exercitibus cessisse majores, nec tam multitudinem bellatorum, qvam audaciam & ordinem præstare victoriam. Deum qvoqve respicere meliorem causam, præstantioremqve se paucis (si modo audeant) exhibere, fugientes victoriam hosti tradere, feriendaqve terga, & multam suorum cædem. Magnifica qvoqve verba Joannis pridie dicta, plenus irarum rex exprobravit, jussisqve omnibus arma capere, prælium expectavit. Amurates in proximo colle consederat, ex qvo suos pariter atqve hostes spectare potuit, dato belli signo qvindecim millia eqvitum qvi pugnam provocarent, facto globo in Christianos impetum fecere. Singulis albæ super loricas vestes fuere, qvæ vento agitatæ instar alarum præ se ferebant: totidem viridibus induti sagulis seqvebantur. Aurea eqvorum frena multorum visa, & multis galearum argenti atqve gemmarum nitor, ipsas qvoqve gladiorum vaginas prægrandes uniones ornabant. Non detrectavere Christiani certamen. Itum est ferocibus in pugnam animis: Superior acies nostra Turcas in fugam vertit, qvamplurimis primo impetu prostratis. Perculit ea res magno metu Amuratem, nihil tale verentem, fugisset protinus prodito exercitu, ni circumstantes Satrapæ comprehenso ejus eqvi freno, ignaviam ejus increpassent, fugientq; comminati necem fuissent. Perstitit ergo vel invitus, jussisqꝫ fortissimis arma sumere, prælium instauravit. Pugnatum est summa contentione pluribus horis, nunc Turcis nunc Christianis propinqviore victoria sese præbente. Cadebant hinc atqve inde qvamplurimi, plures ex Turcis, qvorum corpora parum tecta, facile sagittæ ensesqve penetrabant. Postremo cum novus in hora hostis incederet & sauciorum loca integri occuparent, non tam virtute qvam numero superati Hungari, paulatim referre pedem cœpere. Tum Uladislaus cum globo suorum, qvos erga se non minus fortes qvàm fidos habuit ex Polonia, ut hostes ex acie victores diverteret, Christianisqve animum redderet, in tumulum qvem teneri ab Amurate diximus, circumjectosqve undiqve currus impetum fecit. Ibi nova pugna commissa, novus injectus Amurati pavor, trepidatum totis castris, nec jam consistendi animus aderat. Qvod si Huniadi par animus ac regi fuisset, & arridenti fortunæ dedisset manus, haud dubium

qvin

qvin ea dies & Amurati vitam & posteris ejus imperium Græciæ àbstulisset. Verum ipse, ut primum cedere Christiana signa conspexit, cum militibus Hungaris ac Valachis ex acie se subtraxit, atq; insalutato rege nutante adhuc victoria fugam arripuit. Fortasse rei militaris perito nulla in pugna salus visa, & salvare aliqvos qvàm perire omnes maluit. Poloni acceptam eo prælio cladem, Huniadis vecordiæ, atqve ignaviæ tribuerunt, ipse sua consilia spreta conqvestus est. Uladislaus suæ sorti dimissus, dum fortiter circa munimenta hostium pugnat, eqvo dejectus & obtruncatus est. Caput ejus hasta infixum per Græciam atqve Asiam in signum victoriæ populis ostentatum. Poloni ad unum cæsi omnes, direpta castra, & qvæ munitiones curruum tuebantur: necati episcopi, & proceres Hungariæ qvi aderant eadem calamitate oppressi. Julianus Cardinalis, dum fugit amisso prælio, cum jam hostes evasisset, Hungarorum perfidiam evadere non potuit. Potum eqvo dantem apud stagnum forte repertum latrunculi qvidam novere, & arbitrati pecuniam apud eum esse, dejectum eqvo necaverunt, & ablatis vestimentis nudum cadaver feris ac volucribus dimisere. Hic exitus viri fuit magni certè & admirabilis, in qvo nescias doctrina major an eloqventia fuerit. Grata hominis præsentia, blandi mores, vita in omni ætate nitida, religionis zelus, qvi omnia pro Christo & mortem ipsam ferre svaserit. Huniadem (ut antè diximus) fugientem, Despotus Serviæ cœpit. Poloni regem suum jam peracto bello pluribus annis vivere crediderunt, captum non interfectum arbitrati. Cardinali Venetiarum ejus culpa cladis magna in parte imputata est, qvi neqve fretum (uti par fuerat) custodivit, neqve transvectos hostes Christianis ducibus (qvod secundum fuerat ejus officium) nunciavit. De numero cæsorum minimè constat: illud exploratum est, longe plures ex Turcarum acie cecidisse, cæterum pro numero copiarum longè majus damnum Christianis illatum. Victor Amurates neqve fugientes hostes insecutus est, neqve gloriabundis inter suos magnifica verba jactavit, neqve ut antè assveverat, hilarem vultum ostendit. Interrogatus qvidnam tristior esset, & cur non victis hostibus exultaret: *Nollem* (inqvit) *hoc modo sæpius vincere*, jubensq; vasa colligi, copias qvæ superfuerant, domum remisit. Ipse Adrianopolim reversus, DEO suo, qvæ pro victoria fecerat, vota persolvit. Exin volvens animo, regni curas veræ felicitatis expertes esse, inconstantiam

tiam qvoqve fortunæ veritus, qvæ nulli perpetuo bona est, accersitis provinciarum majoribus, Mahumetem ex liberis suis natu majorem pro se regem constituit. Ipse privatam deligens vitam, in Asiam profectus, cum paucis otii sui comitibus, religioni cuidam solitariæ sese addixit. Calibassa inter Satrapas Turcarum opibus & autoritate major, Mahumeti, qvi nondum per ætatem aptus esset imperio, gubernator datus. Reliqvi regis filii, ne qvas regno turbas excitarent, more gentis necati sint. Felicius apud Turcas privatis qvàm regibus liberi nascuntur.

## Cap. VI.

### *De alio bello per Huniadem, qvi ignominiam apud Varnam acceptam abolere cupiebat, celeriter apparato, & qvod Amurates à vita privata ad bellum ducendum sit revocatus.*

EFfluxit deinde non parvum tempus, in qvo nec Hungari Turcas, nec Turcæ Hungaros armis lacessere præsumpserunt. Suam qvemqve calamitas domi attonitum tenuit, cruentissima Varnensis pugna vires utriusqve partis eliserat. Nec Turcis, neqve Hungaris Rex bello idoneus erat, hos Huniades, illos Calibassa alieno nomine gubernavit: ferocior Huniades, reiqve militaris peritior, ignominiam Varnæ acceptam oblivisci non poterat. Unde dies noctesqve meditabatur, qvonam pacto abolere infamiam, & resarcire damna maximè posset. Spem bene gerendæ rei Turcarum qvies præbuit, qvi jam pridem nullum belli apparatum ostenderant. Vires illis atqve animos defuisse ratus, tempus idoneum existimavit, in qvo pristinam recuperare gloriam posset, Turcasqve pessundare, qvibus si adsint exercitus, imperatorem tamen prorsus defuturum arbitratur, nec magis existimandum exercitum sine duce, qvam ducem exercitu carentem. Coactis ita repentè copiis ex Hungaria, accersitis Bohemorum auxiliis, mercenariorum qvoqve militum, non parva manu coacta, ducere exercitum in Turcas statuit, qvos prius aggredi ac conficere credidit, qvam novissimè ex Hungaria nunciaretur.

Eam rebus gerendis ſolertiam ac celeritatem adhibuit. Conſilium ejus Gregorius Deſpotus Serviæ (ut ante diximus) Turcarum ducibus patefecit, magnumqve genti periculum imminens majus oſtendit. Perculſi eo nuncio Turcæ, qvid agerent, non ſatis intelligebant. Amurates jam ſenior religioni addictus, regni curas abjecerat, Mahumetes ætate minor tantam belli molem ferre poſſe non credebatur, Calibaſſæ defuturam obedientiam putabant, qva nihil eſt in bello magis neceſſarium. Trepidare igitur, æſtuare, modò huc, modò illuc mentem convertere, nullum conſilium ſatis placere. Hærentibus in deliberatione ſatrapis, nil tandem ſalubrius viſum, qvam revocare ab otio Amuratem. Neqve enim veterani militaturi ſub alio credebantur, nec fortunam belli tentandam arbitrabantur, qvàm ſub eo, qvi vincere conſveviſſet. Calibaſſa ejus ſententiæ fuit. In qva re Mahumetis animum vehementer offendit, cupientis in ea expeditione ſeſe virum oſtendere, verentisqve ne imperium amitteret, ſi pater iterum regnum aſſumeret: ut ſunt hominum mutabiles voluntates. Miſſi ergo legati Amuratem revocavere, qvi comparato mox exercitu in hoſtem profectus, non aliter qvam ſi ad prædam pergerent, alacres milites duxit. Jam Huniades cum copiis Sophiam tranſierat, proſtratisqꝫ qvi occurrerant locorum præfectis, hoſtiles agros latè populatus, loco qvi Baſilia vocatur, caſtra poſuerat. Cum adventare Amuratis copiæ nuntiantur, non expectavit Huniades provocari, prior ipſe pugnam iniit. Commiſſo prælio anceps diu certamen manſit. Qva parte pugnavit Huniades, fuſi hoſtes terga dedere, nec parva ſtrages edita: pari modo & Amurates in cornu ſuo victor, Hungaros fudit. Poſtremo cum victor victorem incurreret, non tulerunt Chriſtiani Turcarum impetum, qvi qvanqvam virtute præſtarent, numero tamen ſuperati, non tàm victi qvàm feſſi compulſi ſunt cedere. Huniades poſtqvam ſuos neqve minis neqve precibus ſiſtere poteſt, cum paucis ex bello profugit. Multi Hungariæ proceres, & nonnulli eccleſiarum epiſcopi in eo prælio cecidere: gregarius miles ad internecionem cæſus, nec tamen pauciores ex Turcis interiere, emptam multo ſangvine victoriam, Amurates domum retulit. Nec diu poſtea relicto Mahumeti regno, qvemadmodum prius deſtinaverat, mortem obiit. Corpus ejus more majorum in Pruſa ſepultum. Ea eſt Bithyniæ civitas, & Aſiatici regni caput. Paulo anteqvam obiiſſet, Amurates uxorem

rem duxerat, filiam Sponderbei nobilis in Penderacia satrapis, ex qva natum filium nomine Chialapium sextum agentem mensem, Calibassæ moriens commendavit. Ille Mahumetis gratiam initurus, & matrem & puerum ei prodit. Mahumetes accersitis triginta (ut ajunt) matronis, qvæ puerum cognoscerent, postqvam certam Amuratis sobolem esse constitit, strangulatum matri filium reddidit, funusqve regio more fraternum duxit, auspicia regni parricidio consecrans. Sunt qvi Calibassam alienum puerum Chilapini nomine supposuisse ferunt, illumqve pro filio Amuratis necatum, Chilapinum verò apud Constantinopolim clam educatum. Post capturam verò urbis inde subtractum, ac Venetias ductum, & hunc esse qvem Calixtus Pontifex maximus pro fratre Mahumetis in palatio custodiri jubet. Nos veri periculum ad Græcos remittimus, qvamvis multa in hisce rebus figmenta intervenire non ignoramus, & sæpe tonsoris filios, regio defungi honore viderimus.

## Cap. VII.

### *De Mahumete fidei Christianæ ferali inimico, & qvod Constantinopolim Thraciæ urbem excellentissimam armis & Christiana fide spoliaverit.*

MAhumetes igitur defuncto Amurate gubernacula regni ex voto adeptus, instituta majorum pro ingenio correxit. Leges ipse suas domi forisqve tulit, ærarium locupletavit, nova vectigalia excogitavit, copias auxit, in proceres aut aulicos sævire contumeliarivé cœpit. Hic est ille Mahumetes, qvi Constantinopolitanis (ut supra innuimus) bellum intulit, de qvo nunc referre, ut accepimus, haud alienum fuerit. Volverat jampridem animo Mahumetes, qvonam modo Constantinopolim sibi subigere posset, neqve ad suam gloriam pertinere arbitratur, urbem in medio Turcarum sitam esse, qvæ suo imperio non pareret, tantoqve majus inde nomini suo decus accedere, si eam urbem expugnaret, qvantò progenitores sui idem conati, turpius à cœptis destitissent

Cum paucis igitur participato consilio, castellum juxta littus ad ostium Bosphori paulò ab urbe remotius, aliud dissimulans incredibili celeritate extruxit, atqve munivit, bellum deinde urbi non modo indixit, sed contra multa fœdera, contra jusjurandum intulit, simul & gerere cœpit. Senserant ejus animum Græci, diffidentesqve suis viribus ad Latinorum opes confugerant, lachrymis auxilia expetentes. Surdæ (proh pudor) nostrorum principum aures fuere, cæci oculi, qvi cadente Græcia, ruituram Christianæ religionis reliqvam partem non viderunt: qvamvis privatis qvemqve aut odiis aut commoditatibus occupatum, salutem publicam neglexisse magis crediderim. Mahumetes interea coactis undiqve copiis, mirabili apparatu, formidando animo & impetu, terra mariqꝫ regiam urbem aggressus, cuniculis ac latentibus fossis altissimis actis, aggere latè edito, ponte, qva Peram oppidum versus mare muros alluit urbis, longitudinis ad duo millia passuum raptim extructo, turribus ligneis eo usqve erectis, ut muros qvamvis altissimos excederent, machinamentorum tormentorumqve multiplici adhibito genere oppugnata est urbs, defensaqve summis utrinqve viribus. Non paucis diebus ad extremum voce præconis totis castris inclamatum est; *qvinto Calend. Maji milites omnes jejunium sanctificent, seqvente die in armis adsint, urbem extremis viribus oppugnaturi: triduo civitatem militum direptioni futuram.* Constituta die jenunium ad noctem usqve servatum. Exin lucentibus stellis invitationes ac convivia passim habita, ut qvisqve amicum propinqvum notumqve habuit, cum eo hilaris epulatus est: atqve ubi satis est bibitum, tanqvam se deinceps nunqvam visuri essent, amplexati, exosculatiqve simul ultimum vale dixerunt. In urbe autem sacerdotes sacras ferentes imagines, seqvente populo, urbem lustrare, auxilium de cœlo petere, affligere corpora jejuniis, atqve orationibus universi cives intendere. Subsecuta nocte, ad sua qvisqve loca defendenda redire. Erant muri urbis & altitudine & crassitudine toto orbe celebres, sed ob vetustatem & Græcorum injuriam pinnis ac propugnaculis nudi, antemuralia verò opportune communita. In his Græci salutem posuere. Armati milites inter muros & antemuralia pugnam sustinere decreverunt. Triangularem penè urbis formam fuisse tradunt. Duas partes alluit mare. Nec muri desunt ad pulsandos navales impetus idonei. Qvod reliqvum est, ad terram vergens post alta mœnia

nia & antemuralia (qvæ annotavimus) ingenti clauditur fossa. Cœptum est prælium paululum antè lucem, cum miles Turca periculi qvam moræ patientior esset, ac vulnera & sangvinem prædarum dulcedine pensaret, pugnatum est in tenebris majore Turcarum pernicie, in qvos tela superne librabantur. At postqvam illuxit, dato signo undiqve, non solum Constantinopolis, sed etiam ipsa qvoqve Pera, ne qvid auxilii Græcis præstaret, oppugnari cœpta est. Sua cuiqve legioni murorum pars, ac portarum attributa, ut discretus labor fortes atqve ignavos distingueret, & ipsa contentione decoris militum virtus magis ac magis accenderetur: pari modo & navales socii attributas partes invadere jussi. Admoventur urbi ligneæ turres. Convectant milites dolabras, falces, scalasqve. Etiam elatis super capita scutis, densa testudine succedunt. Græci saxorum pondera provolvunt, disjectam fluitantem testitudinem lanceis contisq; perscrutantur, donec soluta compage scutorum exangues lacerosqve prostraverunt: fit strages, & jam Turcæ deficientibus animis, languidius pugnant. Sed adest Mahumetes fortissimum qvemqve nominatim vocitans, utqve in prælium redeant adhortatur: hos præmiis allicit, illos minis deterret. Instauratur ex integro certamen. Turcæ rursus subruere murum, portas qvatere innixi humeris, & super iteratam testudinem scandentes, præhensare hostium tela brachiaq; nituntur. Iterum integri cum sauciis, semianimes cum expirantibus evolvuntur. Cernitur varia pereuntium forma, & plurima mortis imago: Joannes Justinianus apud Genuam Ligurum Metropolim nobili loco natus, qvi superioribus diebus solus urbem defendisse videbatur, in hoc certamine vulneratus, ubi fluitare sangvinem suum animadvertit, ne cæteros deterreret, medicum qværens, clam sese pugnæ subtraxit. Sed imperator, ut abesse Justinianum cognovit, qvo ierit, percontatur, inventumqve rogat, ne pugnam deserat. Ille nihilo magis flexus, aperiri portam jubet, qva curaturus vulnus in urbem redeat. Erant enim obseratæ urbis januæ, qvibus ad antemuralia patebat iter, ne qva fugiendi facultas militi esset, ac propterea fortius hosti resisteret: fit interea remissior defensio, qvod Turcæ animadvertentes, acrius incumbunt. Et qvoniam pars muri jam tormentis æneis disjecta, fossam magna ex parte oppleverat, per ruinas ipsas scandentes, antemurale conscendunt, Græcosqve loco deturbant. Porta qvæ

Joanni patuerat, omnibus aperta, fugam profusiorem reddit. Tunc imperator non ut regem decuit pugnando, sed fugiens in ipsis portæ angustiis cum cecidisset, oppressus calcatusqve obiit. In tanta multitudine pugnatorum duo tantum reperti sunt, qvi se viros ostenderint, alter Græcus, alter Dalmata, Theophilus Palæologus, & Joannes Sclavus, qvi fugere turpe putantes, cum diu Turcarum impetum sustinuissent, multosqve obtruncassent, deniqve non tam victi qvam vincendo fatigati, inter cadavera hostium occubuere. Justinianus in Peram cum divertisset, inde Chium navigavit, ibiqve seu vulnere seu mœstitia in morbum incidens, inglorius vitam finivit. Felix si in ipsis Bizantii mœnibus animam exhalasset. In ingressu portæ octingenti circiter milites ex Latinis Græcisqve periere, partim vulneribus à tergo confossi, partim concursione oppressi. Et jam hostis superiorem murum tenebat, saxaqve in cives devolvens, ingredientibus suis auxilio erat. Tum subito capta urbe, cæsis omnibus qvi resistere ausi sunt, in rapinas est itum. Erat victorum infinitus numerus, in libidinem, in sævitiam corruptior, non dignitas, non ætas, non sexus qvenqvam protegebat. Stupra cædibus, cædes stupris miscebantur. Senes exacta ætate, fœminas viles ad prædam in ludibrium trahebant: ubi adulta virgo, aut qvis forma conspicuus incidisset in manus rapientium, divulsus ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam vel gravia templorum dona sibi qvisqve traheret, majore aliorum vi truncabatur. Cumqve in exercitu maximo ac dissono, ex civibus sociis atqve externis conflato, diversæ linguæ, varii mores, atqve cupidines essent, & aliud cuiqve fas, nihil illicitum toto triduo in Constantinopoli fuit. Templum Sophiæ Justiniani Cæsaris opus toto orbe famatum, & cui comparari alterum neqveat, nudatum sacra suppellectile, ad omnes spurcitias patuit: ossa martyrum, qvæ fuerant in illa urbe pretiosissima, canibus objecta & suibus. Sanctorum imagines aut luto fœdatæ, aut ferro deletæ. Altaria diruta. In templis ipsis aut lupanaria meretricum facta, aut eqvorum stabula. Coacti sunt servi verberibus ac tormentis dominorum abdita scrutari ac eruere. Inventi non pauci thesauri, qvos in ipso belli principio infelices suffoderunt cives. Qvibus si pro defensione urbis usi fuissent, suam fortasse vitam, & patriæ libertatem servassent. Sed avaro in aurum nulla potestas: captivi omnes in castra deducti, pudet dicere

dicere Christianorum dedecus, dicam tamen & posteritati tradere non verebor, qvando persvasum mihi est futuros aliqvando & fortasse anteqvam moriar, qvi tantam Salvatori nostro illatam ignominiam ulciscantur. Simulacrum Crucifixi, qvem colimus, & verum Deum esse fatemur, tubis ac tympanis præeuntibus raptum ex urbe, hostes ad tentoria deferunt, sputo, lutoqꝫ fœdant, & ad nostræ religionis irrisionem iterum cruci affigunt. Exin pileo, qvem sarculum vocant, capiti ejus imposito, corona undiqve facta; *hic est* (inqviunt) *Christianorum Deus*. Tum lapides, lutumqve jactantes, miris dehonestant modis. Sed nihil hæc obsunt Deo nostro cœlum tenenti. Nec majestatem ejus qvoqvo modo imminuere possunt, cujus ea gloria, ea sublimitas est, ea beatitudinis perfectio, ut nec laudibus humanis extolli, nec humiliari vituperiis ullis possit. Nos ista lædunt, atqve confundunt, qvi per ignaviam atqve desidiam, dum veri dei cultum perire sinimus, & in hoc seculo bonum nomen & in altero spem salutis amittimus. Post hæc convivatus Mahumetes, cum forte plus solito adbibisset, ut sangvinem mero adderet, principes optimatesqve civitatis captos, crudelis & sangvinarius carnifex fœdè misereqve jugulari jussit. Rirelucas, qvi apud imperatorem plurimum poterat, cæso ante oculos majori filio, altero ad illicitos usus reservato, securi percussus est: duo ejus alii filii occiderant in bello. Isidorus Cardinalis in eo tumultu captus, cum veste mutata non fuisset cognitus, trecentis asperis sese redemit, id est genus pecuniæ admodum levis. Multi & Veneti, & Genuenses, & Latinorum alii gladio cæsi sunt, qvidam multo redempti auro. Insignis hic annus fuit expugnatione Constantinopolitana, tam Christiano populo fœdus ac lugubris, qvam Turcarum genti faustus lætusqve, qvi ab ortu Salvatoris Christi secundus & qvinqvagesimus supra millenum qvadringentesimus cucurrit. Perenses vetus colonia Genuensium, qvi & Galatæ nuncupantur, cognita Byzantiorum clade, priusqvam rogarentur, Mahumeti deditionem fecere. Muri urbis diruti, multorum bona contra fœdus direpta, fœminæ puerique ludibrio habiti.

CAP.

## Cap. VIII.

### *De Mahumete in Hungaria ad Savum usqve flumen exercitum ducente, & ab Alba vulnere sub papillam accepto turpiter refugiente.*

CAlibassæ, qvi ad eum diem non sine Mahumetis displicentia vixerat, tanqvam Constantino imperatori Turcarum consilia prodidisset, per miseros cruciatus vita erepta: ingentes qvas cumulaverat opes, exitio ei fuisse traduntur, & qvod Amuratem dimisso imperio ex privata vita revocavit ad regnum. Auctus ejus pecunia Mahumetes, tanto rerum successu tumens, in Hungaros expeditionem parare cœpit, qva per triennium circiter instructa, accersitis ex omni regno proceribus, penetratis Thraciæ montibus cum maximis atqve infestissimis copiis ad Savum usqve flumen pervenit: centum qvinqvaginta millia hominum in ejus exercitu fuisse traduntur. Pleriqve tertiam partem huic numero subtraxere. Calixtus tertius, qvi per idem tempus Romanam cathedram sortitus erat, Joannem Cardinalem sancti angeli, cujus supra meminimus præstanti virtute virum, qvi Germanos in arma conciret, Turcarumqꝫ compesceret impetum, ad eas partes legatum misit. Is promissa peccatorum indulgentia, cunctis qvi contra Turcas militare vellent, adjuvante Joanne Capistrano, qvi per idem tempus Hungaris evangelizabat, cruce signatorum haud parvum congregavit exercitum, non divitum, ac nobilium, sed inopis atqve incompositi vulgi. Surdæ opulentum aures evangelio, nec divinus sermo principibus auditus. Contenti præsenti rerum statu potentes, futurum Christi regnum non nisi morientes inqvirunt: credula paupertas facilè prædicatoribus obedit. Supra qvadraginta millia, signum crucis accepere. Tecta magis fide, qvàm ferro acies. Huniades qvoqve non parvas copias in armis habuit. Appropinqvabat spe plenus, & incredibili superbia tumens Mahumetes, nec jam sibi vel montes, vel flumina obstare putabat, gloriari inter suos, Hungariam jam pene victam asserere, Latinorum imperatorem in propinqvo esse dicere, deleto Græcorum imperio, Latinorum instare finem, Turcis omnia paritura, spolia ingentia promittere,

mittere, Germaniam atqve Italiam militum direptioni offerre, pervia cuncta Turcarum armis jactare. Sed qvàm gloriosus ejus adventus, tàm turpis atqve infamis recessus fuit. Albam ad confluentes Danubii Saviqve sitam parvam urbem oppugnare adorsus, obtinere neqvaqvam potuit. Perfregit machinis priores muros, irrupere in urbem ejus acies, pugnatum est interdiu noctuqve: nunc victi, nunc victores visi hostes, ad extremum vulneratus sub papilla Mahumetes, relictis impedimentis, per noctem trepidus aufugit. Hujus pugnæ seriem in historia Bohemica comprehendimus: non est, cur hoc loco latius insistamus. Autores victoriæ tres Joannes habiti, Legatus Cardinalis, cujus auspicio res gesta est, Huniades & Capistranus, qvi prælio interfuere. Verum neqve Capistranus Huniadis, neqve item Capistrani Huniades mentionem fecere, in eis literis, qvas de obtenta victoria, sive ad Romanum pontificem, sive ad amicos scripsere: per suum qvisqve ministerium Deum dedisse Christianis victoriam affirmavit. Avarissima honoris humana mens, facilius regnum & opes qvàm gloriam partitur. Potuit Capistranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem subigere, gloriam verò spernere non potuit. Dicat forsitan aliqvis, non suum illi honorem curæ fuisse, sed Dei, qvi per pauperes & inermes rem Christianam salvare voluerit. Cedimus huic assertioni, qvamvis & Huniades ministrum se victoriæ, non autorem dixerit. Ferunt Mahumetem ab eo tempore nunqvam postea ejus cladis meminisse, qvin mentum barbamqve manu demulcens, qvassans caput, ei diei maledixerit, qva pugnam ad Albam conseruit.

## Cap. IX.

### *De Macedonia, urbibus, fluminibus, montibus, & aliis in ea rebus.*

PRoxima Thraciæ ad occidentem ac meridiem conjungitur Macedonia, terrarum imperio qvondam potita, qvæ inter duo maria protenditur, Ægeum & Adriaticum. Latus ejus meridionale Thessaliæ atqve Magnesiæ terga protegunt, partem septentrionalem Pæonia & Paphlagonia excipit, qvamvis & ipsæ regiones in

Macedonum postea jura concesserint, Macedoniæ additæ. Epirus qvoqve Macedoniam attingit, ex Illyrica terra, altera meridiem, septentrionem altera excipiens. In Adriatico littore Dyrrachium vetus civitas jacet, ab Chersoneso ubi sita est, nacta vocabulum, Epidamnus antea dicta, & à Corcyreis olim condita. Nec procul infra Apollonia fuit optimis instituta legibus, Augusti Cæsaris, qvi Græcas ibi literas didicit, studio memorabilis. In altero littore Thessalonica est, potens qvondam civitas, qvam cum epistolæ Pauli apostoli, tum magni Theodosii præceps atqve implacabilis ira famatam reddidere. Indignatus enim ob cæsos in eo judices, alioqvi clementissimus imperator, universum urbis populum trucidari mandavit, undecim millia virorum cæsa traduntur. Non tulit Ambrosius Mediolanensium pontifex tam immane facinus incorreptum. Imperatorem ab ingressu templi prohibitum, subire pœnitentiam compulit. Nec maximus princeps pastoris subire judicium recusavit. Hinc lex promulgata, ut lata super morte hominis sententia, ante dies triginta non exeqvatur. Hanc urbem liberæ conditionis fuisse Plinius tradit. Strabo conditorem ejus Philippum Alexandri patrem affirmat, ambo eam attribuunt Macedoniæ. Andronicus Emanuelis imperatoris Constantinopolitani filius, hac in parte hæreditatem accepit, demumqve Joannis fratris odio, qvi patri successit in imperio, Venetis tradidit. Amurates Turcarum (ut antè diximus) imperator eripuit, hic reliqvam Macedoniam usqve ad montes Pæoniæ; & qvam modò Albaniam vocant, imperio suo subjecit. Mira rerum mutatio & fluxa humani imperii gloria. Hæc est Macedonia, qvæ duobus inclyta regibus, Græcia Thraciaqve subacta imperium protendit in Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Taurum, Caucasum subjugavit. Hæc in Bactris, Medis, Persis dominata, toto oriente possesso, Indiæ qvoqve victrix, per vestigia Liberi patris atqve Herculis signa circumtulit. Hæc eadem nostra ætate spurcissimæ Turcarum genti subjecta, tributum pendere, jugum ferre miserrimum cogitur. Magnesiam qvoqve ac Thessaliam nostro tempore Turcarum arma invaserunt. Nobilissimi montes Olympus, Pieris & Ossa: Pindus insuper & Othrys, Lapitharum qvondam sedes, Turcarum imperio parent, penes qvos qvinqve & septuaginta urbes fuisse olim Plinius affirmat. Totum Peneum Turcæ possident, inter flumina

Thessaliæ clarissimum, juxta Gomphos hic fluvius oritur, interqve Ossan & Olympum, nemorosa convalle defluens, qvingenta fermè stadia percurrit, dimidio ejus spatii navigabilis. In eo cursu Tempe vocantur, qvinqve millium passuum longitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextera lævaqve leniter convexis jugis. Intus sua luce viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus avium concentu. Arripit amnem Euroton, nec recipit, sed olei modo supernatantem (ut dictum est ab Homero) brevi spatio portatum abdicat: pœnales aqvas, dirisqve genitas, argenteis suis misceri recusans. Hæc Plinius de Peneo. Tot Christianis bona Turcarum arma eripuere, qvamvis nostram magis desidiam incusaverim. In Thessalia regem fuisse tradunt nomine Græcum, à qvo Græcia dicta sit. Helenum qvoqve in eodem loco regnasse, à qvo Helena nuncupata est. Homerus tribus nominibus Thessalos appellavit: Myrmidonas, Helenas, & Achæos. Hic Thermopylarum angustiæ Persarum cæde insignes. Qvæ licet olim Xerxis impetum tenuere, Turcarum tamen armis claudere transitum minimè potuere.

## CAP. X.

### *De Bœotia, Thebis montibus & fontibus sacri in ea.*

POst Thessaliam Bœotia succedit ab ortu in occasum porrecta, Euboicum mare Crisseumqve sinum contingens, Thebarum claritate apud omnes fermè historicos nominata. Hæc musis natale in Heliconis nemore, hic saltus Cithæron, & Ismenus amnis, & fontes Dirce, Arethusa, & Aganippe. Qvæ patria qvondam Liberi patris atqve Herculis fuit, qvæ fortem produxit Epaminondam. Non cedens Athenis claritate civitas, ea nostra ætate exiguum castellum Thebarum est, & à Turcis proximis annis cum reliqva Bœotia occupatum.

## Cap. XI.

### *De Hellade, quæ & Græcia & Attica est dicta.*

SEqvitur Hellas, qvæ à nostris appellata Græcia: ἀκτὴν, id est, littus prisci vocavere. Mutato deinde nomine Atticam dixere. Homerus cunctos Atticam incolentes appellavit Athenienses, cum non ædificata forent Megara. Protenditur autem Attica & Bœotia usqve Isthmum, ubi columna fuit, in qva hic inerat titulus, in parte Peloponnesum spectante: *Hac Peloponnesus, & non Ionia.* In parte verò Megara intuente: *hac non Peloponnesus est, sed Ionia.* Iidem enim Attici & Iones fuere, qvi cum de finibus cum Peloponnesiacis sæpissimè disceptassent, hanc tandem Romano consensu columnam erigi obtinuerunt. Atticam qvamvis saxosam & sterilem, pleriqve tamen mirificis laudibus extulerunt, deorumqve domicilium esse dixerunt loca ipsa possidentium & parentum heroum. In hac civitas Atheniensis qvondam nobilissima fuit, nullius indiga præconii; tanta ejus superfuit claritas. Eadem nostro tempore parvi oppidi speciem gerit. In eo tamen saxo qvo vetustum Minervæ templum fuit, arx est per omnem Græciam nominata, cum operis magnitudine, tum difficultate oppugnationis: hanc Florentinus qvidam Mahumeti tradidit, cum imploratis Latinorum auxiliis nullius opem inveniret. Rura ei ob eam rem tradita, in qveis ævum ignobile ducat.

## Cap. XII.

### *De Peloponneso & ejus forma, de Isthmo, Examilio muro ab Amurate diruto.*

PEloponnesus Atticæ jungitur, totius Græciæ arx qvondam dicta. Nam præter habitantium in ea gentium nobilitatem atqve potentiam, ipse locorum situs principatum designat & imperium. Multi sinus insunt, & promontoria multa: insignes etiam & permagnæ urbes, Chersonesus ipsa locorum varietate jucunda. Formam ejus platani folio simillimam dixere, longitudine ac latitudine

ne fermè parem. Ab occaſu in ortum ſtadiorum mille & qvadringenta perimetros ſive ambitus omiſſis finibus (ut Polybio placet) ſtadia qvatuor millia continet; Artemidorus qvadringenta ſuper addit, cui & Plinius conſentire videtur, Iſidorum autorem ſecutus. Idem duo maria terram ambire dicit, Ionium & Ægæum. Anguſtiæ, unde procedit, Iſthmos appellantur, qvinq; millia paſſuum latitudinis continentes. Has anguſtias perfodere Demetrius Rex, Dictator Cæſar, Cajus Princeps, Domitius Nero inſauſto (ut omnium exitu patuit) incepto tentaverunt. Hic Corinthus nobilis colonia fuit. Græci principes, poſtqvam Turcarum potentia in Europam penetravit, ex mari ad mare producto per anguſtias muro, Peloponneſum à reliqva Græcia diſtinxerunt, murum Examilium appellavere. Hanc provinciam hodie Moream Latini vocant. In ea Achaja continetur, Meſſenia, Laconica, Argolis, & Arcadia, qvæ medium peninſulæ obtinet. Amurates expugnata Theſſalonica, ſubacta Bœotia, & Attica, præter Athenas ad Examilium usqve profectus, perterritis Græcis, diruit murum, tributumqve annuum exegit, dedentibus ſe Peloponneſibus imperavit. At cum Hungari inſtante Juliano Cardinali ſancti Angeli, adverſus Turcas arma ſumpſiſſent, confectisqve nonnullis feliciter præliis, amplius inſtarent, urgerentqve hoſtes: Conſtantinus qvi poſtea apud Conſtantinopolim imperavit, ibiq; necatus eſt (ut antè diximus) hujus provinciæ Deſpotus, animo auctus, & negare Turcis tributum, & Examilium inſtaurare non dubitavit. Ob qvam rem magna deinde pecunia multatus eſt, & Examilium denuo deſtructum, cum victor Amurates apud Varnam Hungaros deleviſſet. Devicta Conſtantinopoli, Albani, qvi plures Peloponneſum incolebant, ſumptis armis, Demetrium & Thomam Conſtantini fratres regno dejicere annixi ſunt, nobilem qvendam græculum ad regium faſtigium aſſumentes. Utraqve pars Mahumetis auxilium imploravit. Illi nobilior pars viſa juſtior. Auxilia adverſus Albanos Demetrio fratriqve tradita, Albani ſubacti prioribus Dominis paruere. Mahumeti XVII. millium aureorum tributum penſum. Thomas qvamvis hæreditario jure imperatorem ſe dicere poſſet, cujus majores longa ſerie Græcorum nomini imperaverant, metu tamen Mahumetis eò titulo abſtinuit. Cum Calixtus pontifex max. Chriſtianos principes, in ſui pontificatus initio, adverſus Turcas invitaret, exiſtimavit Thomas Turcarum imperium

proculdubio ruiturum, Mahumetiqve tributum negavit. Cum verò non tam magnifica facta qvam verba esse animadvertit, persoluto tributo & adjectis donis Mahumeti reconciliatus est. Nunc verò (si vera est fama, qvæ per hos dies allata est) violatæ fidei majorem subire pœnam compulsus, Mahumeti prorsus subjectus est, Peloponnesus tota Turcarum imperio adjecta. Egredienti Peloponnesum per angustias Isthmi ad reliqvam Græciam, Strabo & Plinius occurrere Atticam tradunt, Ptolomæus Achajam, cujus fines hoc modo describit: ab occasu Epirum, à septentrione Macedoniam, & partem Ægæi pelagi collocat. Ad orientem ejusdem maris terminos ponit, usqve ad Sunium promontorium. Ad meridiem Adriaticum pelagus juxta littus, qvod Achelous amnis irrumpit, in Corinthiaco sinu. Qvod si ita est, Atticam, Bœotiam, Phocidem, Thessaliam, Magnesiam, Ætoliam, Acarnaniam Achaja ipsa complectitur. Idem tamen Ptolemæus alio loco mediterraneas Peloponnesi civitates enumerans, Elicem, Buram, Helenam, Pheream in Achaja esse dicit, & propriam esse Achajam intra Peloponnesum affirmat. Nobis qvi pro nostri operis instituto res Peloponnesiacas & Atticas breviter absolvimus, & ad occidentem festinamus:

## CAP. XIII.

### *De Acarnania, & strage memoratu digna à Jo. Vintimilio in ea facta.*

ACarnania prior occurrit, inter Epirum Bœotiamqve protensa, cui Ætolia vel conjuncta vel commista esse videtur. Hæc hodie Ducatus appellatur. Joannes Vintimilius natione Siculus, filiam suam Despoto Acarnaniæ in matrimonium dedit. Exin vexantibus Acarnaniam Turcis, ac generum obsidentibus, cum parvo eqvitatu mare trajecit, obsessores invasit, stragemqve memoratu dignam edidit. Nam parva manu ingentes fugavit copias, salutemqve genero peperit. Qvi tamen paulòpòst per insidias captus à Turcis, regnum amisit: Epirum tamen adhuc ejus nomine teneri ferunt.

## CAP. XIV.

### *De Epiro XIV. gentes autore Theopompo continente, qvod apud eam Paulus Æmilius imperator Romanorum urbes LXX. funditus evertit, qvodq; in sinu Ambracio Cæsar Augustus Antonium & Cleopatram bello Attico devicit.*

EPirus in occidua parte ab Acrocerauniis montibus incipit, protenditurqve versus orientem usqve ad Ambracium sinum, per stadia mille trecenta. Septentrionalem ejus partem Ptolemæus Macedoniæ conjungi tradit: orientale Achajæ, usqve ad ostia fluminis Acheloi: occidentale latus Ionico excipi pelago asserit. Strabo Ausonium hoc idem mare appellavit. In Epiro XIV. fuisse gentes Theopompus tradidit, qvarum celebratissimæ Chaones & Molossi. Regnum enim qvandoqve tenuere prius qvidam Chaones, posterius Molossi, qvi propter regum cognationem ex Æacidarum sangvine prognati, mirum in modum amplificati fuerunt, penes qvos Dodonæ vetus oraculum ac nobile viguit. Oram hujus terræ maritimam felicem atqve uberem tradidere. Multæqve olim urbes & oppida munitissima in Epiro fuere. Sed propter populorum rebelliones, qvi cum Romanis contenderunt, provincia vastata est. LXX. enim Epirotarum urbes à Paulo Æmilio Imperatore funditus eversas esse autor est Polybius, victis Macedonibus & Perseo rege superato. Ex qvibus maximum numerum urbes Molossorum extitisse, & mortalium centum qvinqvaginta millia in servitutem redacta. Plinius Veronensis hanc cladem Macedonibus attribuit, duasqve urbes ruinæ adjecit. Credo qvia Macedones in Epirotas imperium obtinebant, utramqve gentem uno nomine Plinium comprehendisse. Apud Epirum Actiaca pugna late memorabilis commissa est, in qva Cæsar Augustus Marcum Antonium navali prælio vicit, & simul Ægypti reginam Cleopatram. Nam & ipsa huic certamini præsens interfuit: ob qvam rem victor Augustus in Ambracio sinu urbem condidit, eiqve vocabulum indidit Nicopolim, id est, victoriæ civitatem. Ambracii sinus ostium, paulò

qvàm

qvàm ſtadia qvatuor majus eſt. Circuitus ſtadia trecenta amplectitur, optima omni ex ejus parte ſtatio. Ingredientibus occurrebant olim à dextra habitantes Græci Acarnanes, & Apollinis Actii templum qvodam in tumulo ad oſtium eminens, cui campus ſubjacuit, lucumq; habens & navalia, in qvibus Cæſar undeviginti naves decimarum nomine repoſuit, ab uno remorum ordine usqve triremes adjungens. Siniſtra verò Nicopolis eſt, & Epirotarum colonia Caſſiope, noſtra ætas Epirum Artam appellat. Circa littus ejus paucis ante annis præfectus regiæ claſſis nomine Villamarina triremes Venetorum inſecutus comprehendit, atq; incendit. In eodem littore apud Acroceraunios montes finiri Adriæ vel Adriatici maris navigationem, & Ionium incipere pelagus, Straboni viſum eſt, apud qvem mare Auſonium, idem qvod Ionium eſſe apparet, cum Epiri oram Auſonio ablui pelago aſſirmet.

## Cap. XV.

### *De Albania, inter Dyrrhachium & Apolloniam, regione.*

QVæ nunc Albania dicitur, olim Macedoniæ portio fuit, ad occidentem verſa, in qva Dyrrhachium & Apolloniam fuiſſe prodidimus, non incelebres priſco ſeculo civitates. Sermo genti neqve Græcis, neqve Illyricis notus. Credimus hoc genus hominum ex Albania qvondam veniſſe, qvæ vicina Colchidi in Aſiatica Scythia memoratur: ut ſæpe barbarorum inundatio nationum Græciæ atqve Italiæ provincias occupavit. In hac terra potens Camuſa fuit, qvi Chriſtianis parentibus ortus, parum tenax catholicæ fidei, ad Mahumetis inſaniam declinavit. Sed qvam leviter Chriſtum deſeruit, tam facile Mahumetis ſacra contempſit. Rediit enim ad paternam legem, & qvamvis utramq; religionem contempſerit, neutri fidus, Chriſtianus tamen mori qvam Turca maluit, paulòpòſt Conſtantinopolitanam cladem morbo extinctus. Georgius Scanderbechius ejus hæreditatem accepit, nobili loco natus, qvi ætatem penè omnem in armis prro Chriſti nomine pugnando conſumpſit, multas & magnas

magnas Turcarum turmas bello vicit atqve delevit, solusqve qvodammodo regionem illam in Evangelio Christi continuit, qvamvis hodie toties hostili ferro petita, magna ex parte deserta feratur. Rex Alphonsus sæpe milites in Albaniam misit, & Trojam urbem in potestatem receptam à Turcis defendit. Nepos Scanderbechii ex fratre, cum Turcarum parti favens, insidias patruo moliretur, ab eo captus, & ad Alphonsum missus, in carcerem conjectus est. Calixtus qvoqve Romanus pontifex auxilia pecuniaria Scanderbechio non pauca misit. Valona in Albània non magna civitas est, in portu maris sita, qva brevissimus in Italiam trajectus. Hanc Pazaites primus ex Turcis occupavit. Rebellantem Amurates recuperavit. Nescio qvod malum minatur Italiæ.

## CAP. XVI.

### *De Illyricis gentibus, de Manichæis hæreticis, deq; Matronis certo tempore post infirmitatem cum monachis promiscuè manentibus.*

POst Albaniam Illyricæ seqvuntur gentes, ad occidentem septentrionemqve versæ. Hoc genus hominum nostra ætas Sclavos appellat, & alii Bosnenses, alii Dalmatæ, alii Croacii, Istri, Carniqve nuncupantur. Bosnenses introrsus ad Pannoniam vergunt septentrioni expositi, reliqvi adjacentes mari ad Timavi usqve fontes protenduntur, hinc Ausoniam, illinc Pannoniam intuentes. Timavus autem in intimum Adriatici maris sinum excurrit, cujus fontem matrem appellari maris Strabo predidit. In Bosna rex gentis Despotus Stephanus nomine (sic enim reges appellare suos consvevere) qvamvis Christi religionem sectaretur, diu tamen Baptismi sacramento abstinuit. Sed anno superiore vocato ad se Joanne Cardinali sancti Angeli, cujus sæpe meminimus, ab eo baptismatis unda persusus, & sacris nostris ritè initiatus, Turcis (qvibus cum fœdere junctus erat) bellum indixit. Nunc paululum nutare affirmatur. In hac regione qvàmplurimùm hæretici possunt, qvos vocant Manichæos, pessimum genus hominum, qvi duo principia rerum produnt, alterum

rum malorum, alterum bonorum. Nec primatum Romanæ ecclesiæ tenent, neqve Christum æqvalem consubstantialemqve patri esse fatentur. Horum cœnobia in abditis montium convallibus sita feruntur, in qvibus ægrotantes matronæ servituras sanctis viris, si evaserint, ad certum tempus Deo vovent. Redditæ sanitati permittentibus viris vota persolvunt, promiscuè inter monachos præfinito tempore viventes: hanc labem nulla sedis Apostolicæ decreta, nulla Christianorum arma delere potuerunt. Sinit ad nostram exercitationem regnare hæreticos Deus.

## Cap. XVII.

## *De Dalmatia & Croatia, & ubi nam Liburnia.*

IN Dalmatia Ragusеos magnis affecit cladibus Stephanus, inter Bosnenses & Dalmatas ducatum possidens, & Manichæorum veneno infectus, qvi, etsi Christianos per insidias captos, sæpe Turcis venundaverit, mittere tamen Oratores Romam, & auxilia sedis Apostolicæ petere non erubuit: ejus belli sumptus ex Christianis petens, qvod gesserat in Christianos. Nec defuere qvi tam impiis verbis aures accommodarent.

In Croatia mulier Australis, qvæ nuptias Comitis, cum esset inferior sangvine, morum præstantia & formæ elegantia meruit: dum laxandi animi gratia ex castello in castellum obeqvitat, subito Turcarum interventu capta, & apud eos aliqvandiu detenta. Impatientia tandem mariti non parvo auro redempta est.

Qværat fortasse aliqvis: ubinam Liburniam dimiserimus, qvàm permeasse Antenorem Italiam petentem insignis poëta commemorat. Confusi sunt admodum provinciarum fines, nec expedire nova facile est, nedum qvis vetustissima possit absolvere. Plinius Liburniæ finem initium esse Dalmatiæ dixit, & Tragurium marmore notum in ea esse. Salonam qvoqve coloniam, qvæ ab Jadera CCXXII. millibus passuum absuit. Jaderam verò CLX. à Pola distare. Ex qvo fit, ut inter Croatinos & Dalmatas Liburni sedes habuerint, forsitan & Croatini

Croatini novum gentis nomē Liburnorum loca invaſerunt. Nobis hæc indicaſſe ſufficiat. Si qvis certiora deſiderat, priſcos evolvat autores. Ptolemæus Liburniam & Dalmatiam atqve Illyridem ſimul confudit. Et Illyridi qvidem à ſeptentrionali plaga Pannoniam occurrere dixit, ab ortu ſuperiorem Myſiam, ab occaſu Iſtriam, à meridie Macedoniam & Adriaticum littus.

## Cap. XIIX.

### *De Iſtria hodie Sclavonia dicta, & qvod Pomp. Mela & Nepos Iſtrum amnem à Danubio in Adriam fluere falſo crediderunt.*

ISTRIAM veteres Italiæ partem tradiderunt, in qva Parctium & Pola eſt, & Juſtinopolis, qvam caput Iſtri vocant. Inconvenienter Italiæ tamen jungitur Adriatico ſinu disjuncta, & in peninſulæ modum circumdata mari. Qva continenti applicatur à tergo, lapidea eſt & montana regio, qvam priſci Albiam vocavere. Plinius Iſtriam adhærere Liburniæ dixit, ex qvo palam fit, Croatinos Liburnorum loco ſuccedere. Iſtriam ab Iſtro amne dictam ferunt, qvem à Danubio in Adriam fluere falſo credidere. Cui errori & Pomponius Mela, & Nepos Padi accola aures adhibuit. Nullus enim ex Danubio amnis in Adriaticum effunditur mare. Argonautarum eos fabula decepit, qvos per Iſtrum ex mari Pontico in Iſtriam vectos memoriæ proditum eſt. Sed conſtat eos ex Iſtro in Savum adverſo flumine navigaſſe, deinde Nauportum; qvem Labacum hodie appellari putaverim, cujus paludem Lugeum Strabo appellat. Ex Nauporto verò per montes humeris vecta navis in Adriaticum provenit. Iſtri hodie Sclavi ſunt, qvamvis maritimæ urbes Italico ſermone utuntur, utriusqve linguæ peritiam habentes: pars provinciæ melior ea, Venetorum qvæ maritima imperio ſubjecta eſt. Mediterraneam domus Auſtriæ poſſidet. Oppidum ſancti Viti, qvod ad flumen Titum ſitum eſt, Valenſes habent, ex qvo loco ad Aqvilejam mille ſtadia eſſe Tuditanus, qvi domuit Iſtros, tradidit: finem Italiæ Muſiæ fluvium tradidere. In hac terra nihil ætate noſtra memoria dignum geſtum eſſe accepimus,

qvam qvod auſtrales & Venetos magna de finibus contentio agitaverit, & utriusqve partis ſubditi armis contenderint: ad qvas lites componendas, nos aliqvando ab imperatore miſſi, qvamvis inducias belli fecimus, & novos terminos conſtituimus, univerſam tamen litem amputare neqvivimus.

## CAP. XIX.

### *De Carnis & Japidibus.*

CArni inter qvos Japides enumerantur, Iſtros ſeqvuntur. Sclavi tamen, qvorum ſermo regionem obtinet, Carnos biſariam dividunt, duplicem Carniolam eſſe dicentes: Alteram ſiccam & aqvarum indigam, in qva Iſtros ponunt, & Tarſos qvi medios inter Labacum & Tergeſtum incolunt montes, & ad Timavum uſqve proferuntur: Alteram irriguam, in qva flumen Savus ortum habet & Nauportus, qvi Labacus hodie appellatur, & alii plures fluvii. In hac provincia, dum Fredericus imperator coronam regni Teutonici apud Aqvenſem civitatem peteret, Ulricus comes Ciliæ, & Albertus imperatoris frater conjunctis viribus, Labacum inſigne oppidum ex flumine cui adjacet dictum, obſidione cinxere, diuqve machinis omnis generis oppugnavere: ſed à Frederici militibus non ſine clade repulſi, & caſtris exuti, divitem ſuppellectilem perdidere: hoc oppidum Sclavi & Itali Lublanam vocant, ex Lugea palude ſumto vocabulo.

## CAP. XX.

### *De Carinthia, ritu apud eam novi principis creandi, qvomodo nobiles ex Ingonis principis convivio ad Chriſti fidem fuerunt inclinati, de conſvetudine in fures, & de comite Henrico viro corruptiſſimo.*

C*Arinthia* montana & ipſa regio Carnis applicatur ad ortum ac ſeptentrionem, Stiriæ juncta ad occaſum ac meridiem, Alpes Italas & forum Julii contingit. Multæ in ea valles colleſqꝫ feraces tritici, multi

multi lacus, multi amnes, qvorum præcipuus Dravus. Qvi per Stiriam ac Pannoniam in Danubium fertur, haud inferior Savo. Imperium provinciæ Australes obtinent, & Archiducem appellant, cui ea *paret*. Qvoties novus princeps reipublicæ gubernationem init, solennitatem nusqvam alibi auditam observant. Non longè ab oppido sancti Viti, in valle spatiosa, vetustæ civitatis reliqviæ visuntur, cujus nomen temporis abolevit antiqvitas. Juxta in pratis latè patentibus, marmoreus lapis erectus est, hunc rusticus ascendit, cui per successionem stirpis id officium hæreditario jure debetur. Ad dexteram bos macer nigri coloris extat, ad sinistram pari macie deformis eqva, freqvens circa eum populus & omnis rustica turma. Tum princeps ex adversa pratorum parte procedit, purpurati circum proceres ambiunt. Vexillum ante ipsum, & insignia principatus. Comes Goritiæ, qvi palatii curam gerit, inter duodecim minora vexilla præcurrit. Reliqvi magistratus seqvuntur. Nemo in eo comitatu non dignus honore videtur: nisi princeps ipse præ se rustici speciem ferens. Agrestis ei vestis, agrestis ei pileus, calceusqve & baculus in manu gestantis pastorem ostendit: qvem postqvam rusticus ex lapide venientem conspicatus est, sermone Sclavonico (sunt enim & ipsi Carinthiani Sclavi) *Qvis hic est*, inclamat, *cujus tam superbum incessum video?* Respondent circumstantes: *principem terræ adventare.* Tum ille: *Justus ne judex est, salutem patriæ qværens? liberæ conditionis dignus honore? est ne Christianæ cultor fidei & defensor ac propagator?* Respondent omnes: *est, & erit.* Rursus ille: *Qværo igitur qvo me jure ab hac sede dimoveat?* Ait Goritiæ comes: *LX. denariis abs te hic locus emitur. Jumenta hæc tua erunt*, bovem atqve eqvam ostendens. *Vestimenta qvoqve principis, qvæ paulò ante exuit, accipies, erit domus tua libera & absqve tributo.* Qvibus dictis rusticus levi alapa principi data, bonum judicem esse jubet: & surgens, jumentaq; secum ducens, loco cedit. Princeps verò conscenso lapide nudum gladium manu vibrans, se ad omnem partem convertit, æqvum judicium populo promittens: ferunt & aqvam frigidam rustico allatam pileo bibere, tanqvam vini usum damnet: deinde ad templum solenne pergit, qvod in propinqvo tumulo situm est, sanctæ Mariæ vocabulum habens, & pontificale fuisse traditur: ubi peractis sacrificiis, princeps rustica indumenta deponit, paludamentumqve induit, convivatusqve splendidè cum proceribus, in prata revertitur,

 ibiqve

ibiqve pro tribunali ſedens, jus petentibus dicit, & fundos confert. Fama eſt anno DCCXC. poſt Chriſti ſalvatoris ortum, imperante Carolo Magno, ducem gentis Ingonem nomine, ingens convivium provincialibus præparaſſe, & agreſtibus qvidem ad conſpectum ſuum intromiſſis, in vaſis aureis atqve argenteis, nobilibus verò ac magiſtratibus procul ab oculis collocatis, fictilibus miniſtrare juſſiſſe: interrogatum cur ita faceret, reſpondiſſe, *non tam mundos eſſe, qvi urbes & alta palatia, qvàm qvi agros & humiles caſas colerent. Ruſticis qvi Chriſti evangelium accepiſſent, baptiſmatis unda purificatis, candidas & nitidas eſſe animas: nobiles ac potentes, qvi ſpurcitias idolorum ſeqverentur, ſordidas ac nigerrimas: ſic verò pro animarum qvalitatibus inſtruxiſſe convivium.* Caſtigatosqve ea re nobiles catervatim ſacri baptiſmatis undam qværentes, brevi tempore ſub Vergilio & Annone Juvavienſibus epiſcopis, univerſos Chriſti fidem accepiſſe. Hinc honos inveſtiendi principis ruſticitati datus. Fuit autem dux Carinthiæ venator imperii, ad qvem lites venatorum omnium deferebantur, vocatus in judicio coram imperatore, qverelantibus non niſi Sclavonica lingua reſpondere tenebatur. Multa hujus provinciæ ornamenta fuiſſe commemorant, multa privilegia, facile id creditum eſt, qvando imperatorem Ludovicum hujus terræ ducatum filio ſuo Arnolpho primogenito contuliſſe non eſt ambiguum. Eſt & alia provinciæ hujus conſvetudo, in oppido, qvod Clageſurnum appellant, contra fures duriſſima. Si qvis in furti ſuſpicionem inciderit, mox captus laqveo ſuſpenſus vitam finit. Sumpto ſupplicio, poſt triduum de ſuſpicione judicant, ſi reum jure fuiſſe necatum inveniunt, pendere cadaver infame ſinunt, donec ſua ſponte conſumtum decidat; ſin verò, depoſitum in cœmiterio condunt, juſtumqve funus è publico faciunt, & animæ gratas exeqvias. In hac provincia Comes Goritiæ Henricus vir muliere corruptior, impuberes filios media nocte ad potum ſurgere compulit, increpitans qvi ſine ſiti ſomnum agerent, cum paſtoribus ac ruſticis ſæpius, qvàm cum nobilibus diverſatus eſt, ſenex ſuper glacie cum pueris luſit. Inter vulgata ſcorta freqventiſſimè latuit, raro in aula pranſus eſt, ſolus coqvum adiens, offulas in ipſa popina voravit. Veſtes induit viles ac perunctas, pectus nudum & apertum oſtendit. Oculi ſemper lachrymantes fuere, qvem cum aliqvando ad ſe venientem Fredericus imperator ex feneſtra intuitus eſſet, me vocitans: *age* (inqvit) *Ænea, principem,*

*pem, qvi ad nos properat, contemplare, si qvem mundiorem pulchrioremq́, videris aliqvando, effare.* Mihi, cum satis principem Comitesqve considerassem, fœda rusticitas visa est, qvæ dominatum assecuta, egregiam nobilitatem servitio premeret. Huic uxor natione Hungara forma præstanti, & audacia plusqvam viri, cui vincula indidit, mox Ulrici comitis Ciliæ auxilio liberatus, uxorem domo pepulit. Nec diu post vita functus, filios bonæ indolis adolescentes & matri qvam sibi similes reliqvit hæredes.

## Cap. XXI.

### *De Stiria olim Valeria dicta, qvod Fredericus Comes uxorem suam amore concubinæ propria manu interfecit. Item qvod nobilis qvispiam qvi seipsum laqveo suspendere sæpe cogitabat, optimo in missa audienda est usus remedio.*

STiria, qvam qvondam Valeriam invenio nuncupatam, ad orientem Pannoniæ jungitur, latus ejus septentrionale Austriam respicit. Ad occidentem & meridiem Carnis & Carinthianis occurrit, eadem qvoqve montana provincia est, qvamvis in orientem porrecta, planicies non parvas habeat. Dravus ac Mura insignes fluvii terram irrigant. Mura in Dravum exoneratur, ille in Danubium. Urbium populi plerumqve Teutones, Sclavi, qvi citra Dravum rura colunt: imperium Australis familiæ. Est in ea vetus oppidum, qvod Ciliam vocant, nonnulli Syllacem appellatum existimant, & opus fuisse *L. Syllæ*, de qva re nihil nobis exploratum est. Multæ ibi vetustatis reliqviæ visuntur, & Romanorum nomina, principum sepulchralia marmora referunt. In eo præfuit ætate nostra Fredericus comes, qvi cum esset in libidinem pronissimus, & olim Veronicæ concubinæ incensus amore, legitimam conjugem ex comitibus Croatiæ natam, sua manu interemisset, concubinam verò pater ejus Hermannus (ut est potentum justitia) in profluentem demersisset, uxores passim maritis

ritis abstulit, puellarum greges in palatium rapuit, provinciales pro mancipiis habuit, ecclesiarum bona diripuit, monetarum falsatores, veneficos, ariolos, nigromantes undiqve ad se conscivit, & qvamvis anno jubilei jam nonogenarius, indulgentiarum causa Romam petisset, reversus tamen nihilo melior visus, interrogatus qvid sibi Roma profuisset in pristinos mores relapso, *& calceator meus*, inqvit, *ad consuendas ocreas post visam Romam rediit.* Huic vita functo Ulricus filius successit per cætera similis, ingenio tantum & eloqventia major. Qvo (sicut dictum est) interfecto qvatuor & viginti competitores fuere, ut qvi vivens undiqve bella consciverat, moriens qvoqve seditiones excitaret. Sed optimates terræ possessionem Frederico imperatori tradendam censuerunt ea lege, ut competitoribus secundum provinciæ consvetudinem in judicio responderet. Relicta Ulrici armis defendere qvæ possidebat, decrevit. *Fredericus* manu potenti qvum plura castella obtinuisset, in Cilia tandem receptus est, arces loci tradente Joanne Viconitio natione Bohemo, qvi cum fuisset magister militiæ Comitis, accepta Cæsaris pecunia, à conjuge ejus defecit. Sed mox pœnitentia ductus grande scelus ausus, & inexpiabile facinus tanqvam scelus scelere redempturus, Imperatorem jam sibi securum, & cum paucis Ciliæ morantem nocte concubia intercipere aggressus est. Corruptis namqve oppidanorum plerisqve, qvi sibi advenienti partem oppidi traderent, hora constituta cum octingentis eqvitibus intromissus cuncta miscere armis cœpit. Affuit divina pietas Frederico, qvæ illi præter consvetudinem in arce superiori à natura & humana ope munitissima, ea nocte dormiendum svaserat. Proceres qvi remanserant in oppido capti omnes, inter qvos & Joannes Ungnadius cunctis Stiriensibus opulentior, cum Georgio fratre abductus est. Nec Ulrico Austriæ cancellario, qvamvis esset episcopus, & ad templum confugisset, parsum est. Usqve adeo apud homines nostri seculi divina & humana perierunt. Fama est, eaqve celebris, inter Stirienses nobilem qvempiam fuisse, cui sæpe in animum ceciderit, seipsum laqveo suspendere. Id ægrè ferentem ex docto qvodam viro remedium petivisse adversus eam tentationem. Consilium datum, proprium uti sacerdotem conduceret, qvi sibi manenti in arce qvadam solitaria singulis diebus rem divinam faceret. Paruisse nobilem, atqve annum fermè continuasse, nulla suspendii cogitatione interveniente.

Postremo rogatum à sacerdote, ut presbytero vicino, qvi templi dedicationem in proximo monte habiturus esset, auxilio esse posset, licentiam dedisse, proponentem in animo paulopost seqvi & sacris interesse. Stetisse diu postea, nunc una, nunc altera causa retentum. Deniqve circa meridiem profectum agresti cuidam in nemore occurrisse, qvi rem divinam in monte peractam esse, & populum omnem abiisse diceret. Contristatum eo nuntio, ignobilem infelicemqve se esse dicentem, qvi eo die sacratum Christi corpus non vidisset, agrestem consolari cœpisse: *Venditurum', si vellet nobilis emere præmium, qvod inter existendum divinis meruisset*, sagumqve nobilis petivisse pretii nomine. Venditione facta, nobilem nihilominus montem ascendisse, atqve orasse in templo. Reversum autem, in proxima arbore suspensum agrestem invenisse, sed postea diris cogitationibus haud qvaqvam vexatum fuisse. In provincia decoctum sal ad vicinas regiones importatur. Ea & ferri mineras locupletes habet, & argentifodinas non ignobiles, qvamvis incuria principum argentum haud multum effodiatur.

## CAP. XXII.

### *De Austria, & aliqvot rebus gestis in ea.*

Austriam describere hoc loco haud necessarium existimamus, de qva propriam historiam edidimus. In ea provinciales post obitum Alberti Cæsaris Frederico se commiserunt, ea lege, ut si masculum prægnans regina pareret, tutor ejus esset. Si fœminam, terræ dominus. Nato (ut prædictum est) Ladislao, tutelam ejus Fredericus accepit. Milites qvi sub Alberto meruerant, cum stipendio se fraudatos dicerent, provinciam latrociniis ac incendiis vastavere. Eorum vexatio LXX. millibus aureis à Frederico redempta est, cum Bohemi & Hungari excursiones in Austriam facerent. Ex sororibus Ladislai major natu Gvilelmo duci Saxoniæ nupsit. Joannes Huniades cum regni Hungariæ coronam à Frederico frustra repetisset, cum duodecim millibus eqvitum ingressus Austriam, omnem agrum inter Viennam & Stiriæ montes diripuit atqve incendit. Petentem Italiam Cæsarem rogaverunt Australes, uti Ladislaum, qvi

jam propemodum adolevisset, in paterna hæreditate apud se dimitteret. Rejecta petitione, autoribus duobus Ulricis, altero Ciliæ comite altero Eyzingero, sumptis armis rebellavere. Redeuntem ex Italia Fredericum apud novam civitatem obsidione cinxere, qvibus & Henricus Rosensis natione Bohemus cum ducentis eqvitibus & mille peditibus sese adjunxit. Et qvamvis à Nicolao Pontifice maximo jussi essent, ne tutelam Cæsaris impedirent, contemptis apostolicæ sedis mandatis, & tantæ majestatis autoritate derisa, sceleratum propositum tenuere. Docta eo tempore Viennensis schola indoctam sententiam protulit, *qva per appellationem ad futurum concilium interponendam suspendi posse Romani præsulis mandata rescripsit.* Civitas Viennensis & omnis Austria ex eo tempore semper in armis fuit, temeratæ religionis pœnas pendens. Cessit furenti populo Fredericus, pupillumqve adhuc tenerum ea lege in manus comitis Ciliæ tradidit, ut convocatis ad urbem Viennam utriusqve partis consangvineis & amicis, de tutela, de oppidis, deqve cæteris contentionibus principum, qvi vocati convenissent, arbitrium diffiniret. Ladislaus summa populorum alacritate apud Viennenses exceptus, cuncta ex voluntate comitis administravit. Ad constitutum diem concilii Ludovicus Bavariæ & Gvilelmus Saxoniæ duces, Albertus qvoqve Brandenburgensis, Carolus Badensis Marchiones convenere. Tum multi ex Bohemia, plures ex Hungaria Barones. Imperator legatos misit, qvibus & nos adjuncti fuimus, diu de jure partium disceptatum. Sed cum omnia ex arbitrio victoris agerentur, nec leges defenderent, qvem arma non protexissent, infectis rebus discessum est. Negata sunt omnia, qvæ promiserant Australes imperatori, dictum omne indictum fuit, neqve literis neqve sigillis autoritas habita, barbara fide actum. In eo conventu Ladislaus Joannem Huniadem, qvi sibi regnum à Turcarum invasione servasset, ad principatus honorem evexit, qvi suggesto in magno foro apud Carmelitas erecto, sede sedens aurea, regali paludemento ac diademate ornatus, comitatum ei Bistricensem commisit, qvod eo in loco minimè licuit. Neqve enim regni Ungariæ sub imperio Romano majestatem gerere jus est: sed tanta reverentia legum, qvanta eis per arma sive datur sive relinqvitur. Comes Ciliæ, cùm regem qvolibet impellit, & ad se cuncta rapiens Eyzingerum Viennensesqve contemnit, concubinam, qvam viro interfecto sustulerat, reginali

reginali penè honore dignatur. Ex favore tandem regio cadit, & annitente Eyzingero è curia pellitur: qvem in exilium proficiſcentem, qvatuor tantum eqvites comitati ſunt, Alberto marchione Brandenburgenſi, ne per contemptum à populo lapidaretur, ad portam usqve urbis ſecuritatem præbente. Sed qvàm fœda & miſerabilis ejus fuga, tam ſuperbus & favorabilis reditus fuit. Nam poſt annum cum jam ex Bohemia rediiſſet, ſvadentibus primoribus Auſtriæ baronibus, revocatus, cum mille eqvitibus argento & auro ſulgentibus Viennam repetiit, cui ad portas urbis & rex ad mille fermè paſſus exiit,& omnis nobilitas redeunti gratulata eſt. Plebs qvoqve,qvæ paulo ante lutum ac lapides in fugientem jactare tentavit, ſternere viam floribus, qva redeunti tranſitus fuit, minimè dubitavit; ut eſt in utramqve partem immodica, ſive amaverit, ſive oderit. Mira rerum mutatio, & ludentis fortunæ jocus. Eyzingerus extra gratiam regis factus, in caſtella ſua recedens, imperatori qvem graviter offenderat, reconciliatus eſt, nec diu poſtea adeò ſuperbi erant, qvi Ladislai regis partes ſeqvebantur, ut novæ civitatis ſuburbia, in qva Cæſare abſente jacebat puerpera Imperatrix, intrare præſumpſerint, & urbem expugnare contenderint. Qvod ubi non ſucceſſit, exuſtis qvæ obtinuerant locis abierunt. Fuit ſæpe inter Cæſarem & regem incaſſum tractata concordia, neqve enim comes Ciliæ dum vixit, ex re ſua exiſtimavit, unanimes eſſe Auſtriæ principes: at eo mortuo, cum Eyzingerus è Bohemia miſſus ad Cæſarem, leges pacis utriqve parti gratas dixiſſet, & jam qvietura propediem Auſtria videretur, interitus regis ſubito nuntiatus, non ſolum concordiam perturbavit, ſed magnarum rerum & reipublicæ Chriſtianæ ſalutarium exorientem ſpem, prorſus abrupit: Auſtrales & à Cæſare & ab Alberto fratre de tradenda gubernatione reqviſiti, provincialium conventum habuere, in qvo legati Cæſaris ſeniori Auſtriæ principi (is erat Imperator) debere provinciam dixere. Albertus ſuo & Sigismundi patruelis nomine regiæ partem hæreditatis expoſcens, ſuasqve calamitates & inopiam tanto ſangvini alienam referens, commiſerationem inducere conatus eſt. Conventus reſponſum fuit: *facturos provinciales qvod jus æqvitasve dictaret, poſtqvam fratres inter ſe convenissent.* Interea latrones trans Danubium in Auſtriam ad Moravæ fluminis ripam, munitum locum occupavere, omnemqve circa regionem rapinis atqve incendiis vexare

cœperunt. Adverſus qvos profectus Albertus latrones vi cepit, interfectisqve pugnando compluribus, qvingentos & qvinqvaginta captivos abduxit, ex qvibus LXXX. furca ſuſpendit. Qvæ res magnum ei apud Auſtrales & nomen peperit & ſavorem. Ulricus verò Eyzingerus cum viſitato apud novam civitatem Frederico imperatore, cujus parti ſtudebat, Viennam repetiſſet, vocatus ab Alberto, nihil mali ſuſpicans fidenter eum adiit, à qvo mox captus in vincula conjectus eſt, & in privato carcere clauſus. Indigna res viſa civibus, murmurare, damnare omnes factum, nemo tamen auxilium miſero afferre. Imperator ſæpe rogatus, Viennam petere aliqvandiù diſtulit, veritus ne qva fraus ineſſet. Interim Sigismundus ex Atheſi ad Viennam deſcendit, deinde ad novam civitatem profectus, principatus inſignia ab imperatore accipiens, pro veteri conſvetudine in ejus verba juravit. In qva ſolennitate & Albertus affuit, qvi paulopoſt cum Sigismundo Viennam repetiit. Et ambo adverſus imperatorem conſpirantes, Auſtriam ſibi ſubigere conati ſunt. Qvorum ſtudia ſentiens Imperator, Viennam petere ſtatuit. Et accerſito Ludovico Bavariæ duce, magni nominis principe, eò ſe contulit, imperatrice ſeqvente. Appropinqvanti, urbanus populus obviam perrexit. Albertus qvoqve & Sigismundus nobili comitatu extra urbem imperatorem ſalutavere. Habebat Albertus tria circiter eqvitum millia in armis expedita, qvæ non longè à Vienna in qvodam tumulo imperatori ſe oſtentaverunt, magnumqve metum venienti incuſſere. Suſpicionem auxit Albertus, qvi ſæpe ad eos profectus ac ſeorſum locutus, inſidias apparaſſe Cæſari videbatur. Ferunt ejus militiæ ducem Alberto dixiſſe: *facile ſi libet hodie Viennæ te dominum atqve Auſtriæ facio. Nam qvis prohibet qvo minus Fredericum imperatorem ejusq; comites intercipiam? Inhuc tantum, ſoluta deinceps hæreditatis qvæſtio erit. Victori leges atqve homines favent.* Subdubitaſſe Albertum aliqvantiſper, demumqve reſpondiſſe: *Poteram ignoſcere, ſi, qvod ais, me ignorante feciſſes, at mandare turpia non poſſum.* Poſtqvam introgreſſi urbem ſunt Albertus & Sigismundus in domo qvæ Pragenſis appellatur, ſimul habitavere: Imperator privatas civium ædes incoluit. Arx Provincialium nomine cuſtodiebatur. Conſpiravere Sigismundus & Albertus eam noctu aggredi, atqve irrumpere, armataqve militum manu ingreſſi, jurejurando ſe aſtrinxere, *non redituros domum, niſi arcem intraſſent.* Senſere cives,

cives, moxqve arma sumentes, præsidium in arce majus collocavere. Instabat civile bellum, & atrox pugna pro arce. Nec dubium videbatur qvin magno suo malo principes commissuri prælium essent: stetit diu res in ancipite. Civibus tueri arcem stabile propositum erat, ducibus (qvi arcem intrare jurassent) turpe videbatur infecta re domum reverti. Et vim inferre, plenum periculi erat. Postremo conventum est, ut ingressi principes, arcem paululum immorati, potato vino exirent: atqve ita delusa magis qvàm impleta religio est. Postridie arx consensu Provincialium, in tres partes divisa, duas accepere Albertus & Sigismundus, reliqvam Imperator: delectiqve Provinciales sunt, qvi lites fraternas dirimant: & summa illis potestas data, sed grave judicium contra potentes est. Nobilitas & ecclesiarum principes imperatori faventiores sunt, plebs Albertum præfert. *Magno se judice qvisqve tuetur.* Multa sunt in hoc Cæsare, qvæ laudare possis: Corpus egregium, & species imperatore digna, animus sedatus & tranqvillus, ingenium perspicax, memoria tenacior, religionis ardens zelus, ingens cupiditas pacis & otii. Singularem virtutem in qvovis homine diligit, dignamq; præmio ducit, ædificat splendidè, hortos tamen ac gemmas plus æqvo admiratur & amat, & in rebus gerendis tardior ac remissior est. Tenacem pleriqve accusaverunt, & ad rem nimis attentum. Id fecere proximi antecessores Sigismundus atqve Albertus Cæsares, qvorum prodigalitati cujusvis comparata liberalitas videri avaritia potest. Cæterum Fredericus nec sua profundit, nec aliena diripit, verbis factisvé temperans. Albertus frater ejus longè dissimilis, celer in aggrediendis rebus, belli ac gloriæ appetens, periculi contemptor, audax, laboris patiens, manu atqve ingenio promptus, pecunias inter amicos partitur ac profundit. Inter opes pauper, in paupertate dives, nullius rei magis qvàm famæ avarus.

## Cap. XXIII.

### *De Moravia, per qvam nulli, propter latronum insidias, transitus patet.*

PRocedenti per Austriam in aqvilonem Moravi occurrunt, gens ferox, & rapinarum avida, inter Hungaros Bohemosqve trans Danubium sita: hanc provinciam ævo nostro Sigismundus imperator Alberto genero suo, qvi postea imperavit, dono dedit. Rebellantem & imperata facere recusantem, Albertus magnis affecit cladibus. Nam supra qvingentas villas excursione combussit, mortales multos neci dedit, pecus penè omne abegit, jugumqve ferre perfidam gentem coëgit. In hac provincia civitates & oppida Romanæ ecclesiæ ritum tenent, & catholicæ fidei consentiunt. Barones fermè omnes Hussitarum labe infecti sunt. Hic cum verbum Dei prædicaret Joannes Capistranus, & in errores Hussitarum vehementius inveheretur, Baronis non parvi nominis, qvem Ezernahoram vocant, secuta conversio est, qvi relicta priore perfidia, cum duobus millibus subditorum veritatem Romanæ sedis amplexus est: filius ejus doctrina & moribus clarus, non diu postea Olomucensis ecclesiæ pontificatum obtinuit. Ea est unica civitas Moravorum Episcopalis. Regnum inter Moravos aliqvando fuit latissimum ac potentissimum, qvod usqve ad filium Suatocopii duravit, cujus fortunam in Bohemica conscripsimus historia. At cum filius Suatocopi ecclesiam Dei sperneret, regnum genti ademptum est. Qvod postea Romani Cæsares in Bohemiam transtulerunt. In hac provincia complura sunt oppida plena populo, & opibus abundantia. Inter qvæ Pruina principatum obtinet, & Znoyma, Sigismundi obitu memorabilis. Hac nulli transitus patet, nisi armato potentioriq; latronibus omnes aditus obsidentibus: sermo genti mistus est Teutonicus ac Bohemicus, superant tamen Bohemi, qvorum est regionis imperium. Qvæ gentes olim Moraviam incoluerint, non facile dixerim. Qvantum verò ex lectione Ptolemæi accipere licet, Marcomanni & Sudini, Qvadiq; Moraviam & Austriam, qvæ trans Danubium jacet, incoluisse videntur.

Cap.

## CAP. XXIV.

### *De Silesia provincia, de mira apud Uratislaviam urbem seditione, deq; Bulcone Opoliensi, viro neqve inferos neqve superos esse dicente, animamq; cum corpore interire putante.*

Silesia post Moraviam seqvitur, haud ignobilis provincia, qvam fluvius Odera perlabitur, inter amnes Germaniæ latè cognitus: fontes ejus in Hungaria, qvæ Silesiæ ad orientem jungitur. Mare Baltheum cursum terminat: longitudo regionis CC. fermè passuum millia continet, latitudo circiter LXXX. Caput gentis Uratislavia est amplissima civitas ad ripam Oderæ sita, privatis ac publicis ædificiis magnifice ornata. Cujus episcopatum majores nostri aureum vocavere, Hussitarum bella luteum reddidere. In hac urbe (regnante apud Bohemos Venceslao) orta seditione, consules, qvorum prima potestas, per fenestras ex prætorio in forum præcipitati, gladiis ac lanceis iratæ plebis excepti, dirum spectaculum præbuere. Cujus rei autores Sigismundus imperator paucos post annos securi percussit. Duces Silesiæ multi admodum numero, inter qvos paterna hæreditas per capita dividitur: hinc scissa multas in partes provincia freqventes calamitates incurrit, crebris exposita latrociniis. Inter hos duces unum esse ferunt nomine Bulconem, Opoliensem appellant, qvi Glogoviæ residens deliciis ac voluptatibus deditus, usqve adeò insanivit, ut neqve inferos, neqve superos esse diceret, animasq; cum corporibus simul prorsus interire putaret. Ecclesiam vel nunqvam, vel raro ingressus est, sacramentis Christianis prorsus abstinuit, nisi qvod abusus matrimonio, uxore, qvæ sibi ingrata esset, relicta, alteram superduxit. Qvæ ne pellex appellari posset, non nisi per solennia matrimonii conjungi voluit. Silesii sub imperio Bohemorum constituti sunt, nunc tamen imperata facere detrectant, Georgium novum regem admittere recusantes, Gulielmum Saxoniæ ducem secuti, qvi regnum Bohemiæ ad se pertinere affirmat propter conjugem, qvæ Ladislai Hungariæ atqve Bohemiæ regis soror

ror fuit. Gladius ejus litis arbiter erat. Sermo gentis majori ex parte Teutonicus est, qvamvis trans Oderam Polonica lingua prævalet; ob qvam rem non immerito qvidam hoc in loco Germaniæ terminum esse Oderam putavere, qvamvis idem fluvius in septentrionem vergens, germanicas gentes ripis ambabus alluit. Libet in hac parte Germaniæ linqvere fines, & ad orientem ac septentrionem Sarmaticas invisere gentes.

## Cap. XXV.

### *De Polonia regione vasta, qvod in ea domus luto & macerie componantur, eqvi sylvestres & viri inveniantur, de Uladislao cum regno baptismum suscipiente, deq; Frederico Brandeburgensi, & Alberto Bavario regnum qvodlibet pro se recusante.*

POlonia vasta regio est, qvæ Silesiæ ad occidentem proximat, Hungaris, Lituanis, ac Prutenis contermina: hic Cracovia est præcipua regni civitas, in qva liberalium artium schola floret. Sbigneus huic urbi præfuit episcopus, literarum doctrina & morum svavitate insignis, à qvo plurimas accepimus epistolas, multo sale & Romana elegantia conditas, cui ob singulares virtutes Romana ecclesia insigne cardinalatus honoris, rubentem pileum misit. Civitates Poloniæ præter Cracoviam parum nitidæ. Ex maceria domos fermè omnes componunt, plerasqve luto linunt: plaga regionis nemorosa est, potus genti cerevisia, ex tritico atqve humulo factus. Vini rarissimus usus, nec vineæ cultura cognita, ager Cereris ferax, multa genti armenta, multa ferarum venatio, eqvum sylvestrem præter cornua cervo similem edunt, feros boves venantur, qvos prisci Vros vocavere. Pisce ac volucribus abundant, argenti atq; auri inops terra. Vectigalia regi parva. Regnum in qvatuor partes divisere majores: has cum per circulum anni rex ambivit, qvælibet pars tribus mensi-

mensibus regem ac curiam pascit: qvibus exactis ad alteram partem fit transitus. Statuta sunt, qvæ præstare provinciales oportet. Si manserit ultra præfinitum tempus rex, suo vivere sumptu cogitur. Cum rex gentis patrum nostrorum tempestate obiisset, relictam filiam Gulielmus dux Austriæ in matrimonium accepit, illiqve regno præfectus est. Non placuit Polonis rex Teutonicus, Uladislaum ex Lituania vocavere, ejectoqve Gulielmo, coniugem ejus & regnum novo regi tradidere. Gentilis fuerat Uladislaus, & idola coluerat, sed baptismum cum regno suscipere non recusavit. Conversus ad Christum, religiosum principem gessit. Multos ex Lituanis ad Evangelium traxit, Pontificales ecclesias nonnullas erexit, Episcopos magno honore prosecutus est. Inter eqvitandum qvotiescunqve turres templorum inspexit, detracto pileo caput inclinavit, Deum, qvi coleretur in ecclesia, veneratus. Cum Tartaris regni limites infestantibus feliciter dimicavit, Prutenos maximo bello vicit, de qvo inter res Prutenicas memorabimus. Ex priori conjuge prolem non sustulit, cum qva matrimonium haud legitimum fuit. Ex secunda jam fermè nonagenario duo nati sunt filii, Uladislaus & Casimirus, is Lituaniæ ducatum consecutus est, prior patri in regno Poloniæ succedens, ad Hungariæ qvoqve regnum accersitus, in bello Turcarum (ut antea narratum est) cecidit. Qva re cognita, solliciti Poloniæ proceres de successore, Fredericum marchionem Brandenburgensem, qvi pueritiam in regno transegerat, linguamqve gentis & mores tenebat, ut regnum acciperet, rogaverunt. Responsum datum est: *Casimirum Lituaniæ ducem, qvi frater esset defuncti, hæredem extare. Sciscitari ejus animum oportere, cui fraternum paternumq; regnum cupienti, impedimentum afferre è dignitate sua Fredericus non duceret:* pari moderatione & Albertus Bavariæ dux erga Ladislaum Alberti filium usus est, qvi Bohemiæ regnum sibi oblatum recusavit. Fredericus qvoqve imperator, & ab Hungaris, & à Bohemis ad hæreditatem Ladislai vocatus, nunqvam adire sustinuit, qvod patrueli præjudicium faceret. Ingens laus nostræ ætatis, & magnum decus Germanici nominis, qvamvis non ambigo esse aliqvos, qvi non tam justitiæ, qvam ignaviæ tribuunt, alienis regnis qvempiam abstinere. Ego qvod boni speciem habet, non laudare non possum. Casimirus autem, etsi difficile à Lituanis dimitteretur, qvi suum apud se principem retinere cupiebant, in Poloniam veniens pacificam

ficam regni gubernationem accepit: nec diu postea sororem Ladislai regis duxit uxorem. Multa ei adversus fratres Teutonicos, qvi sanctæ Mariæ appellantur bella fuere, de qvibus in rebus Prutenis referemus.

## Cap. XXVI.

*De Lituania regione, Vitoldo viro facile sangvinario in ea regnante, de soli ad transitum æstivo tempore difficultate, gentis in moribus qvalitate, & qvæ super sacrorum diversitatibus Hieronymus Pragensis eremita denarravit.*

Lituania & ipsa late patens regio Polonis ad orientem connexa est, palustris fermè omnis ac nemorosa. Vitoldus huic præfuit Uladislai frater, qvi relicto deorum cultu, cum regno Poloniæ Christi sacramentum accepit. Magnum Vitoldi nomen sua tempestate fuit, qvem subditi adeo timuerunt, ut jussi laqveo se suspendere, parere potius, qvam in principis indignationem incidere voluerint. Detrectantes imperium, insutos ursina pelle, viventibus ursis (qvos eam ob causam nutriebat) dilaniandos objectavit, crudelibusq; aliis affecit suppliciis. Eqvitans, arcum semper tensum gestavit. Si qvem conspicatus est aliter incedere qvàm voluit, confestim sagitta confodit, multos qvoqve per ludum interemit. Sangvinarius carnifex, ut esset inter populares & ipsum principem certum faciei discrimen, radere barbam omnibus imperavit. Id ubi non successit (facilius enim cervicis qvam barbæ jacturam Lituani ferebant) tonsus ipse mentum & caput prodiit, capitale interminatus, si qvis provincialium pilos faciei capiti suo deponeret. Rex à Sigismundo Cæsare Lituanorum appellatus, prius obiit qvàm legati diadema ferentes se convenirent. Successor Suidrigal ursam nutrivit, qvæ sveta ex manibus ejus panem accipere, sæpe in sylvas vagabatur. Redeunti usqve ad thalamum principis, ostia qvæqve patebant. Ibi confricare ac pulsare pedibus ostium, cum fames affuit, consvevit; cui princeps aperiens cibum præbuit. Conspiravere nobiles aliqvot adolescentes adversus

princi-

principem, atqve ursæ modum secuti, sumptis armis cubiculi principalis januam confricavere. Credit Suidrigal ursam adesse, ostiumqve aperuit, ibiqve mox ab insidiantibus confossus interiit. Provinciæ deinde gubernatio ad Casimirum pervenit. Ad Lituanos æstivo tempore difficilis transitus est, palustribus aqvis cuncta fermè obsidentibus, hyems præbet aditum astrictis gelu lacunis. Mercatores super glaciem ac nivem iter faciunt, plurium dierum cibaria in vehiculo ferentes, nulla certa via: meatus (sicut in mari) siderum cursus ostendit. Rara inter Lituanos oppida, neqve freqventes villæ. Opes apud eos, præcipuæ animalis pelles, qvibus nostra ætas Zibellinis Armellinisqve nomina indidit. Usus pecuniæ ignotus, locum ejus pelles obtinent: viliores cupri atqve argenti vices implent, pro auro signato pretiosiores. Matronæ nobiles publicè concubinos habent, permittentibus viris, qvos *matrimonii adjutores* vocant. Viris turpe est ad legitimam conjugem pellicem adjicere. Solvuntur tamen facile matrimonia mutuo consensu, & iterum atqve iterum nubunt. Multum his ceræ ac mellis est, qvod sylvestres in sylvis apes conficiunt. Vini rarissimus usus, & panis nigerrimus. Armenta victum præbent multo lacte utentibus. Sermo gentis Sclavonicus est, latissima est enim hæc lingua, & in varias divisa sectas. Ex Sclavis enim alii Romanam ecclesiam seqvuntur, ut Dalmatæ, Croatini, Carni ac Poloni. Alii Græcorum seqvuntur errores, ut Bulgari, Rutheni, & multi ex Lituanis. Alii proprias hæreses invenere, ut Bohemi, Moravi, & Bosnenses, qvorum magna pars Manichæorum imitatur insaniam. Alii gentili adhuc cæcitate tenentur, qvemadmodum multi ex Lituanis idola colentes. Horum magna pars ævo nostro ad Christum conversa est, postqvàm Uladislaus ex ea gente Poloniæ regnum accepit. Novi ego Hieronymum Pragensem sacris literis apprime eruditum, vitæ munditia & facundia singulari clarum, qvi annos supra viginti in eremo Camalduensi, in Apennino Hetrusco pœnitentiam egit, hic (oriente apud Bohemos Hussitarum hæresi) fugiens pestiferum virus, in Poloniam transivit. Ubi acceptis literis ab Uladislao rege commendatitiis, prædicaturus Evangelium Christi ad Vitoldum principem in Lituaniam penetravit, multosqve populos Vitoldi favore fretus, ad salutiferam Dei Christi fidem convertit, venitqve tandem ad synodum Basileensem, vocatus à Juliano sancti Angeli Cardinali,

cum de rebus Bohemicis ageretur. Narrabat hic multa de Lituanis, qvæ pene incredibilia videbantur. Audiebam ego ex aliis ejus dicta, nec movebar ut crederem: libuit adire hominem, atqve ab ejus ore lata cognoscere. Comites mei fuerunt Nicolaus Castellanus, qvi tum Cardinalis Juliani domum regebat, Bartholemæus Lutimanus Archiepiscopi Mediolanensis scriba, & Petrus Noxetanus Cardinalis Firmiani secretarius, viri graves & docti. Hominem in cella sua trans Rhenum apud Carthusienses convenimus, cujus hæc narratio fuit. Primi qvos adiit ex Lituanis, serpentes colebant, paterfamiliâs suum qvisqve in angulo domus serpentem habuit, cui cibum dedit, ac sacrificium fecit in fœno jacenti. Hos Hieronymus jussit omnes interfici, in foro adductos publicè cremari. Inter qvos unus inventus est major cæteris, qvem sæpe admotus ignis consumere nullo pacto valuit. Post hos gentem reperit, qvæ sacrum colebat ignem, eumqve perpetuum appellabat. Sacerdotes templi materiam, ne deficeret, ministrabant, hos super vita ægrotantium amici consulebant. Illi noctu ad ignem accedebant, mane verò consulentibus responsa dantes, umbram ægroti apud ignem sacrum se vidisse ajebant. Qvæ cum se calefaceret, signa vel mortis vel vitæ ostentasset: victurum ægrotum facies ostensa igni, contra si dorsum ostentasset, moriturum portendit. Testari igitur & rebus suis consulere svadebant. Delusionem hanc esse Hieronymus ostendit. Persvaso populo, deleto templo, ignem dissipavit, Christianos mores induxit. Profectus introrsus aliam gentem reperit, qvæ Solem colebat, & malleum ferreum raræ magnitudinis singulari cultu venerabatur. Interrogati sacerdotes, qvid ea sibi veneratio vellet? Responderunt olim pluribus mensibus non fuisse visum Solem, qvem rex potentissimus captum reclusisset in carcere munitissimæ turris. Signa zodiaci deinde opem tulisse Soli, ingentiqve malleo perfregisse turrim, Solemqve liberatum hominibus restituisse. Dignum itaqve veneratu instrumentum esse, qvo mortales lucem recepissent. Risit eorum simplicitatem Hieronymus, inanemqꝫ fabulam esse monstravit. Solem verò & Lunam & stellas creatas esse ostendit, qvibus maximè Deus ornavit cœlos, & ad utilitatem hominum perpetuo jussit igne lucere. Postremo alios populos adiit, qvi sylvas dæmonibus consecratas venerabantur, & inter alias unam cultu digniorem putavere. Prædicavit huic genti pluribus

diebus

diebus fidei noſtræ aperiens ſacramenta, deniqve ut ſylvam ſuccideret imperavit, ubi populus cum ſecuribus affuit, nemo erat qvi ſacrum lignum ferro contingere auderet. Prior itaqve Hieronymus aſſumpta bipenni excellentem qvandam arborem detruncavit. Tum ſecuta multitudo alacri certamine, alii ſerris, alii dolabris, alii ſecuribus ſylvam dejiciebant. Ventum erat ad medium nemoris, ubi qvercum vetuſtiſſimam, & ante omnes arbores religione ſacram, & qvam potiſſimè Dei ſedem eſſe putabant, percutere aliqvandiu nullus præſumſit. Poſtremo ut eſt alter altero audacior, increpans qvidam ſocios, qvi lignum rem inſenſatam percutere formidarent, elevata bipenni magno ictu cum arborem cædere arbitraretur, tibiam ſuam percuſſit, atqve in terram ſemianimis cecidit. Attonita circum turba flere, conqveri, Hieronymum accuſare, qvi ſacram Dei domum violari ſvaſiſſet, neqve jam qviſqvam erat qvi ferrum exercere auderet. Tum Hieronymus illuſiones dæmonum eſſe affirmans, qvæ deceptæ plebis oculos faſcinarent, ſurgere, qvem cecidiſſe vulneratum diximus, imperavit, & nulla in parte læſum oſtendit, & mox ad arborem adacto ferro adjuvante multitudine ingens onus cum magno fragore proſtravit, totumq; nemus ſuccidit. Erant in ea religione plures ſylvæ pari religione ſacræ ad qvas dũ Hieronymus amputandas pergit, mulierum ingens numerus plorans atq; ejulans Vitoldum adit, ſacrum lucum ſuccilum qveritur, & domum Dei ademptam, in qva divinam opem petere conſveſſent, inde pluvias, inde ſoles obtinuiſſe, neſcire jam qvo in loco Deum qværant, cui domicilium abſtulerint. Eſſe aliqvos minores lucos, in qveis dii coli ſoleant, eos qvoqve delere Hieronymum velle, qvi nova qvædam ſacra introducens, patrium morem extirpet. Rogare igitur atqve obteſtari, ne majorum religionum loca & ceremonias auferri ſinat. Seqvuntur & viri mulieres, nec ſe ferre poſſe novum cultum aſſerunt. Relinqvere potius terram & patrios lares, qvam religionem à majoribus acceptam dicunt. Motus ea re Vitoldus, veritusqve populorum tumultum, Chriſto potius, qvàm ſibi deeſſe plebem voluit. Revocatisqve literis, qvas præſidibus provinciarum dederat, jubens parere Hieronymo, hominem ex provincia decedere juſſit. Hæc nobis Hieronymus conſtanti vultu nihil hæſitans, ac per juramentum affirmavit: dignum fide & gravitas ſermonis, & doctrina oſtendit, & viri religio. Nos qvæ acce-

 pimus

pimus immutata retulimus, veri periculum non aſſumimus; perſvaſi tamen & nos & comites ab eo receſſimus.

## CAP. XXVII.

### *De Ruthenis, & qvomodo principatus apud eos ſoleat aſſeqvi.*

RUtheni, qvos appellare Roſanos Strabo videtur, Lituanis conterminí ſunt, gens barbara, incompta, apud qvam opulentam eccleſiam obtinuit Iſidorus Cardinalis Sabinenſis, cujus ſupra mentionem fecimus. In hac gente civitatem permaximam eſſe tradunt Nogardiam appellatam, ad qvam Teutonici mercatores magno labore perveniunt. Magnas ibi eſſe opes fama eſt & multum argenti, pelleſqve pretioſas, vendenteſqve atqve ementes ponderato argento, non ſignato utuntur. Lapis in medio fori qvadratus eſt, qvem qvi aſcendere potuerit, neqve dejectus fuerit, principatum urbis aſſeqvitur. Pro ea re in armis dimicant, ſæpeqve una die plures conſcendiſſe ferunt, unde ſæpe ſeditiones in populo emerſere.

## CAP. XXVIII.

### *De Livonia ſemiferos homines in una ſui parte continente.*

LIvonia deinde Chriſtianarum ultima provinciarum ad ſeptentrionem Ruthenis jungitur. Tartari eam ſæpe incurrunt, in qva noſtra ætate magnas acceperunt ſtrages. Fratres Teutonici, qvi beatæ Mariæ vocantur, hanc armis qvæſivere, & Chriſti ſacra ſuſcipere coëgerunt, cum eſſet antea gentilis & idola coleret. Eam alluit ab occidenti mare Baltheum, qvod pleriqve veterum oceanum eſſe putaverunt. Nondum ſeptentrio (ut hodie) cognitus Græcis atqve Italis fuit. Chriſtiana religio hanc orbis partem noſtro generi aperuit, qvæ fortiſſimis gentibus deterſa barbarie mitioris vitæ cultum oſtendit. Baltheus ſinus adeò late patet, ut incompertæ magnitudinis apud aliqvos

eſſe

esse videatur. Origo ejus ex Britannico mari ducitur, qvod Germanicum appellari potest. Nam & Germaniæ magnam partem alluit. Ostium ejus in occidenti est, non longè à Chersoneso Cimbrica, qvam Daciam hodie vocant. Excurrens autem in orientem, in septentrionem panditur, insulasqve magnas ambit: occidentale littus Norvegi occupant. Ad Septentrinem semiferos homines esse tradunt, cum qvibus nullum linguæ commercium navigantes habent, signis tantum & nutibus commutare merces feruntur. Meridionale littus Saxonibus ac Prutenis traditur. Orientale (ut diximus) Livones tenent. Inter Livoniam & Prussiam parvam terram esse ferunt, unius fermè diei latam itinere, qvam Massagetæ colunt, gens neqve gentilis, neqve verè Christiana, Polonorum imperio parens, atqve hinc regnum Poloniæ ad mare protenditur, & Balthcum qvem diximus sinum.

## Cap. XXIX.

### *De Prutenis, & qvomodo fidem Christianam à Teutonicis fratribus sanctæ Mariæ sumpserint.*

Redeunti è Livonia in Germaniam, per littus Balthei maris post Massagetas Pruteni sese objiciunt, qvi ripas utrasqve Vistulæ amnis accolunt. Is est Sarmatiæ ac Germaniæ terminus, qvi exoriens in montibus, qvi Poloniam Hungariamqve dirimunt, partem Poloniæ irrigat. Prussiam verò qvàm longa est percurrit, ab oppido Torni usq; Gedanum, qvo in loco Balthcum influit. Hunc fluvium alii Vistulam, ut diximus, qvibus ætatis nostræ sermo congruit, alii Justulam, qvidam Istulam vocavere. Qvod ultra fluvium est, Sarmatici juris fuit: qvod citra, Germanici: ad orientem ac meridiem Masovitæ Poloniqve rura colunt. Occidentem Saxones occupant, aqvilonem Balthei maris excipit littus. Frumenti ferax regio est, aqvis irrigua & plena colonis, multa ambitiosa oppida, multi maris sinuosi reflexus amœnam efficiunt. Pecorum ingens vis, multa venatio, piscatio dives. Ulmerigos olim hanc terram incoluisse Jordanus tradidit, qvo tempore Gothi ab insula Scandavia in continentem descendere, qvi (ut ille ait) Ulmerigorum terras invasere. Ptolemæus autem

tem Amaxobios, & Alaunos, Venedes, ac Githones penes Istulam fluvium habitare affirmat. Barbara hæc gens & idolorum cultrix, usqve ad Fredericum imperatorem ejus nominis secundum fuit. Sub ejus verò imperio, cum amisissent Christiani Ptolemaidem Syriæ civitatem, fratres Teutones, qvos sanctæ Mariæ diximus appellari, inde fugati in Germaniam rediere, viri nobiles & rei militaris periti, qvi ne per otium marcerent, Fredericum accedentes, Prussiam Germaniæ conterminam Christi cultum spernere dixerunt: sæpe illius gentis homines in Saxones cæterosqve vicinos excurrere, ingentem vim pecorum atqve hominum abigere, esse in animo sibi compescere Barbaram gentem: annuat tantum imperator, provinciamqve fratribus perpetuo jure possidendam tradat, si eam armis acqvirant. Jam enim Masoviæ duces, qvi ejus se terræ dominos affirmabant, jus suum fratribus concesserant. Grata oblatio Frederico fuit, qvi collaudato proposito, qvas voluere fratres, sub aurea bulla literas concessit. Illi sumptis armis brevi tempore qvicqvid Prutenici juris citra Vistelam fuit occupavere. Exin tranato fluvio, vetustam & late patulam qvercum in castelli modum erectis propugnaculis juxta ripam munierunt, ibi collocato præsidio ulteriores Prutenos vexare cœperunt. Pugnatum est sæpe pro qvercu, & ingentes Paganorum copiæ fugatæ ac deletæ sunt: bellum pluribus annis productum est. Ad extremum fortuna Fratrum imperio arridens, omnem eis Prussiam subjecit. Victæ Barbaræ nationes, jugum subiere. Ex illo tempore lingua Teutonica introducta est, & cultus Christi gentibus imperatus. Ecclesiæ qvoqve Pontificales erectæ, trans Vistulam Pomesaniensis, Culmensis, Sambiensis, & Varmiensis, ad qvam defuncto Francisco episcopo, parvitatem nostram postulavere Canonici. Calixtus Pont. Max. eam nobis annuente senatu Apostolico commendavit. Qvæ una est illis in partibus jure suo utens, nec subjecta Fratribus: reliqvos episcopos religionis habitum gestare oportet. Qvo in loco munitam qvercum diximus fuisse, nobile oppidum ædificatum est, qvod Mariæburgum vocant, & arx nobilis atqve amplissima: hic sedes magni Magistri, qvi cunctis fratribus præest Prussiam incolentibus. Sunt & alii duo in eadem religione Magistri, alter Livoniam regit, alter conventus Alamanniæ gubernat. Teutones hujus religionis inventores fuere, ac propterea nemo recipitur ad eam, nisi Teutonicus nobili-

nobilibus ortus parentibus, & cui propositum sit pro tuendo Christi Evangelio, adversus salutiferæ crucis inimicos armis depugnare: ob eam rem vestimentis albis utuntur, nigra cruce insuta. Barbam omnes nutriunt, exceptis qvi sacris altaribus serviunt. Pro Canonicis horis dominicam orationem usurpant, neqve literas discunt. Magnæ his opes, nec minor potentia qvàm regibus: sæpe cum Polonis de regni limitibus, acceptis atqve illatis cladibus contendere, nec totis viribus belli fortunam experiri recusarunt cum Uladislao Casimiri qvi modo regnat, patre. Contraxerant ambæ partes validissimas atqve ingentes copias. Polonis Lituani & Tartari adjuncti erant, qvos duxerat *Vitoldus*. Teutonici fratres ex tota Germania vires conciverant. Postqvam prope ad viginti fermè stadia uterqve consedit exercitus, spe plenus & impatiens moræ: Prutenorum magister caduceatorem, qvi bellum regi denunciaret, & duos enses, in qvis staret victoria misit, facta potestate, ut qvem vellet hostis eligeret, alterum sibi remitti jussit. Accepit Uladislaus alacer nuncium, donatoqve caduceatore, uno retento gladio, remisit alterum. Mox jussi milites arma induere, belliqve signum datum, qvadraginta millia eqvitum in ambobus castris fuisse proditum invenio. Uladislaus Tartaros ac Lituanos primum inire certamen jussit: ex Polonis subsidiarias acies elegit. Contra Prutenus auxilia in postremis habuit: florentem ordinis sui militiam in exercitus fronte collocavit. Commisso prælio inermes qvodammodo Tartari ac Lituani magna strage cæsi sunt. Urgebat tamen multitudo, nec terga dare Polonos metuens audebat, atrox pugna supra cadavera occisorum edebatur. Nec tam vulnerare Prutenus alacer, qvam vulnera recipere Tartarus videbatur: protractum est diu certamen, peracta ingens occisio. Lituani Tartariqve veluti pecudes mactabantur. At cum novus semper hostis emergeret, defessi tanta cæde peracta Teutones, versare ferrum vix poterant & jam remissius pugnabant. Qvod ubi Uladislaus animadvertit, tum primum Polonorum aciem validam ac ferro rigentem immittit: fit subita irruptio, instauraturqve prælium: non tulere Teutones recentis agminis impetum, impar pugna recentis ac fatigati militis fuit: oritur mox fuga ex parte fratrum, ferit terga Polonus. Magister ordinis ubi suos cedere videt, nec jam ullam in auxiliis spem esse animadvertit, cum lecta militum manu hosti sese

objectans occiditur: fit fœdior fuga, nec prius Teutonicus fugere, qvam Polonus perseqvi destitit. Perierunt in eo bello ex parte fratrum multa hominum millia, inter qvos viri primarii, qvos vocant Commendatores, eqvestri dignitate insignes, cum ipso Magistro circiter DC. Nec Polonis incruenta victoria cessit, Tartaris ac Lituanis magna ex parte cæsis. Bellum hoc, anno trecentesimo decimo supra millesimum gestum est post Christi salvatoris ortum. Prussia, fortunam regis secuta, omnis excepto Burgo Mariæ ad victorem defecit. Sed interveniente Sigismundo Cæsare, pax inter fratres & Polonum constituta est: percussum fœdus, pecunia Polono data. Prussia reddita fratribus, nec deinde usqve ad Frederici tempora, qvi modo imperat, in possessione agri sui turbata religio est. Sub ejus verò imperio cum populares grave sibi jugum fratrum existimarent, fœdus inter se iniere in hunc fermè modum: ut qvindecim viri singulis certis in locis convenirent, qvi provincialium qverelas adversus fratres audirent, nec sinerent qvempiam indigne vexari. Ex his qvatuor ex religione viros assumi voluere, qvatuor ex prælatis ecclesiarum, pariqve numero ex nobilibus ac civitatibus, hisqve parere omnes voluere. Per idem tempus divisa inter se religio fuit: alii magnum Magistrum seqvebantur, alii qvosdam Commendatores, qvi Magistri regimen improbabant. Magister, ut populares sibi alliceret, fœdus ipsum inconsulto fratrum conventu approbavit. Fredericus qvoqve imperator eidem fœderi robur adjecit, cautione tamen inserta, ne per suas literas jus religionis læderetur. Mortuo deinde Magistro, qvi fœdus acceperat, & altero in ejus locum suffecto, Nicolaus Pont. Max. legatum misit, qvi provinciam Prussiæ inspiceret, cognitoqve rerum statu, qvantum legatus retulit, popularium fœdus damnavit: utqve ab eo discederent, anathema interminatus, acriter imperavit: qvibus pertinacius in eorum sententia perseverantibus, ex consensu partium, lis ad Fredericum imperatorem deducta est. Apud qvem rursus causa cognita, damnato eorum fœdere, jussi Pruteni sunt ad obedientiam fratrum redire: qvi eam provinciam è manibus infidelium suis armis vindicassent, multoqve sangvine coëmissent. Qva re civitatibus nuntiata, mox arma in fratres populariter recepta sunt. Ex qvibus plures capti atqve occisi, castella eorum eversa, arces à fundamentis ejectæ, qvinqvaginta & qvinqve oppida in eam rebellionem

conspira-

conſpiravere. Sed cum non ſatis rem ſuam contra religionem ſine externa ope tutam putarent, Caſimirum Poloniæ regem ſibi dominum aſcivere, devotum fratribus ſangvinem, qvi fortunam patris ejus experti fuiſſent. Ille cum exercitu provinciam ingreſſus, dedentes ſeſe civitates in poteſtatem accepit, cum qvo fratres diu varia victoria dimicarunt. Plures fuere congreſſus, inter qvos memorabilior, qvi apud Coninitium oppidum habitus eſt. Duodeviginti millia Polonorum obſidionem in eo loco tenebant, in qvis & rex ipſe Caſimirus fuit. Oppugnabant oppidum dies noctesqve machinis admotis. Rudolphus princeps Sagoriæ, ex Sileſiæ ducibus, tum religionis ductabat exercitum, qvi laturus obſeſſis opem, cum ſeptem millibus militum aggredi regem non dubitavit. Commiſſum eſt prælium in conſpectu oppidanorum ſumma utrinqve contentione atqve ardore, cæſis hinc atqve inde compluribus. Cum ſuos referre pedem Rudolphus animadvertit, increpans ignaviam fugientium interminatusqve necem, aciem ſiſtit. Et progreſſus in medium cum recenti pugnatorum manu, acre certamen inſtaurat: hos ſternit, illos confodit: fit ſubita rerum mutatio. Urgente Rudolpho, cedit Polonus. Rurſumq; Caſimirus ſuos retinet, pugnæqve ſeipſum miſcet, & tanqvam ex integro pertinaci contentione certatur. Occiditur in pugna Rudolphus, rex verò eqvo dejicitur, meliores ex utraqve parte occumbunt. Poſtremo cæſum credentes Poloni ſuum regem, deſperata victoria, fugam arripiunt. Rex ab amicis adjutus, vix ex clade ereptus eſt. Rudolphus morte ſua, victoriam religioni peperit. Ex Polonis ſupra ſex millia cecidiſſe feruntur, ex Teutonibus qvoqve non pauci periere. Poſt eam cladem, res Polonica nutare apud Prutenos cœpit, eo inclinantibus populis, qvo belli fortuna qværitur. Stat tamen adhuc anceps exitus, & alterius Martis judicium moratur. Ferunt inter hos fratres olim mortuo Magiſtro, cum de ſucceſſione ageretur, unum fuiſſe, qvi rogatus eligere, qvem putaret religioni utiliorem, ſeipſum elegiſſe dicentem: *nolle dejerare, ſcire ſe cogitationes ſuas, aliorum corda ignorare. Si magiſtratus ſibi committatur, non dubitare qvin reipublicæ bene conſultum eat.* Motos ejus verbis reliqvos adminiſtrationem illi crediſiſſe, qvæ ſaluberrima deinde fuerit.

## CAP. XXX.

### *De Saxonia, fluminibus, gentibus & oppidis in ea.*

POst *Prutenos* Saxonicum nomen incipit, gens valida & latissima, cui ab occidenti Visera fluvius terminum facit, pleriqve usqve ad Rhenum protendi Saxones arbitrati sunt. Aqvilonarem plagam Dani obtinent & mare Baltheum: ad meridiem, Francones Bajoarii & Bohemi siti sunt: orientalem plagam, Silesitæ simul ac Pruteni obtinent. In his terminis inclusi sunt Turingi, Brandeburgenses, Mixnenses, Lusatii, Pomeraniqve, qvos omnes Saxonici juris esse volunt. Priores tamen Turingos in ea terra consedisse qvam Saxones ajunt. Hos enim græcam sobolem esse affirmant, ex Macedonia classibus advectam, qvæ Turingos multis bellis defatigatos paternis agris ejecerit. Qvod mihi non fit verisimile. Est enim vetustissimum in Germania terra Saxonicum nomen, cujus omnes veteres meminere. Turingos nemo antiqvorum nominat, qvi Germanicas gentes enumerant. In adventu primo Francorum, qvi tempore Valentiniani Cæsaris Germaniam intravere, Turingos nominari reperio: ob qvam rem malè qvadrat historia veritati, qvæ Turingos priores Saxonibus in Germania fuisse contendit: fatebor tamen Saxoniæ limites aliqvando minores fuisse, aliqvando majores. Nam sicut imperia, ita provinciarum limites ex tempore variantur. Carolus Magnus imperator, multa cum Saxonibus bella gessit, priusqvam Christi cultum reciperent, eosqve magnis afflixit cladibus: postqvam verò deficiente apud Francos Caroli Magni genealogia, Romanum imperium ad Teutones orientales rediit, Saxonum aucta dignitas est: inter qvos plures imperatores fuere, singulari providentia, & rerum gestarum magnitudine clari: maximè verò tres Othones, qvi sibi invicem successere, de Romana ecclesia optimè meriti, qvorum virtute prolatos Saxoniæ fines minimè dubitarim. Inter Pomeraneos, qvi orientem Saxoniæ incolunt, oppida sunt digna nomine: Visinaria, & Sundis, Gripsvoldia, Stetinum, Rostochium, in qvo schola liberalium artium haud contemnenda, & hæc qvidem mari proxima, multis

multis ac divitibus negotiatoribus habitata est: & in mediterraneis Caminum pontificalis civitas, cujus diœcesis latissima est, nec minor Maguntina creditur. Episcopus loci Romano duntaxat præsuli subest. Brandeburgenses in duas marchias dividuntur, qvarum altera vetus, altera nova vocatur. Veterem Marchiam perlabitur Albis fluvius, in cujus littore Stendalum est oppidum, & Gardelevum, & Soldvedelum, & Osterburgium. Novam Marchiam intersecat fluvius Odera, haud multo inferior Albi, in cujus littore Francfordia est dives emporium, & Lubecensis civitas. Spreva qvoqve fluvius eandem provinciam irrigat, æqvandus Tyberi, Berlinum in ejus littore oppidum jacet. Est & aliud flumen Havela nuncupatum, qvod Brandeburgum, ex qvo Marchia nomen habet, in duas partes dividit, veterem ac novam civitatem efficiens. Ibi episcopalis sedes est, & Marchionum tribunal. Ad ejusdem fluminis ripam Havelbergium qvoqve situm est, Pontificalis civitas: circum nobile territorium, cui Prigeniza est nomen, multis refertum oppidis, & Martiali populo plenum. Caput Mixnensium civitas Mixna est, unde nomen regioni datum, hanc qvoqve Albis alluit fluvius, hic valida arx, & in ea cathedralis ecclesia, in qva qvoqve provincia multa sunt oppida Martiali populo plena, & Martinopolis in honorem Martis à veteribus condita, Mersburgium hodie vocant.

## Cap. XXXI.

## *De Turingiæ oppidis, & nobilibus templis in ea, de ritu mirabili super homine gravioribus vitiis inqvinato.*

IN *Turingia* nobile oppidum & caput gentis Herfordia, Maguntino subjecta pontifici, studiis liberalium artium insignis. Nuenburgensis qvoqve parva civitas, duci Saxoniæ parens: hæc omnia jure Saxonum utuntur, & lingua & iisdem moribus freti. Cæterum veri Saxones Magdeburgenses nullo dubitante habentur, Bremenses qvoqve Halberstattenses, Hildesienses, Verdenses, Brunsvicenses, Luneburgenses, & Lubecenses. In Magdeburga Archiepiscopalis se-

des habetur, & in honore ſancti Mauritii ex qvadrato lapide dives templum, Othonum nobile opus, & in eo ſancti Florentini corpus. Credunt qvoqve unam è ſex hydriis ibi eſſe, in qvibus vinum ex aqva factum à domino Salvatore Evangeliſtarum tradit hiſtoria, hanc plebibus oſtendunt, materia marmorea eſt ac pellucida, vini capax, qvantum eqvus ferre poſſit. Alteram ac minorem apud Hildeſienſes affirmant, vexillum qvoqve ſancti Mauritii hic qvotannis oſtenditur. Magiſtratus urbis jus civile Romanorum abbreviatum, & Saxonica lingua conſcriptum, non ſine reverentia cuſtodit: qvod Magni Caroli autoritate firmatum tradunt, eoqve in deciſione cauſarum circumvicinæ gentes recurrunt: magna & venerabilis earum legum authoritas habetur. Bremenſes gloriam ſuam ducunt, Danorum gentem ad Chriſtum eſſe converſam. Non eſt omittendum, qvod de Halberſtadio traditur: hanc civitatem Oltemia perlabitur fluvius, in medio fermè tumulus aſſurgit, in cacumine planicies eſt, duorum fermè ſtadiorum contingens longitudinem, in cujus extremis angulis duo templa ſita ſunt, alterum pontificale, alterum qvod beatæ virginis appellant. In medio, late patet forum magnificis canonicorum ædibus undiq; cinctum. Urbs hæc vocatur, qvod ſub tumulo jacet, Suburbium appellant. In monte nulla laicorum habitatio. Carolus Magnus hujus templi fundator habetur, cujus feſtivitas qvotannis celebratur. XII. hic dignitates, XXIV. præbendæ, Archidiaconatus ſupra vigeſimum primum feruntur. In hoc templo ſingulis annis unus ex populo deligitur, qvem peccatis gravioribus inqvinatum putant, hunc veſte lugubri induunt, & obvoluto capite prima jejunii die ad templum ducunt, indeqve peractis divinis officiis ejiciunt. Is qvadraginta diebus nudis pedibus perambulat urbem, & ædes ſacras circuit, neqve ingreditur, neqve qvenqvam alloqvitur. Invitatus à canonicis per vices, qvod apponitur, comedit. Somnus ei poſt medium noctis in plateis permittitur, die Jovis ſancta poſt conſecrationem olei, rurſus ad templum introducitur, & oratione facta à peccatis abſolvitur, pecuniasqve ei populus offert, qvæ tamen templo dimittuntur. Hunc Adam vocant, & omni crimine liberum putant. Circa Halberſtadium ager optimus ferax tritici, matureſcentibus frugibus, culmorum altitudinem eqvo inſidentem hominem ferunt excedere.

## CAP. XXXII.

### *De aliqvot aliis in Saxonia oppidis, & rebus in ea gestis scitu dignissimis.*

B*Runsvica* oppidum tota Germania memorabile, magnum & populosum, munitum mœnibus ac fossatis, turres qvoqve & propugnacula excellunt, magnificæ domus, perpolitæ plateæ, ampla & ornatissima templa. Qvinqve hic fora, qvinqve prætoria, & totidem consulatus jura civibus dicunt. Hinc appellati duces Brunsvicenses tota Germania nobilissimi, Othonum soboles, qvorum claritas cum potentia labente tempore defluit. *Lubecensium* civitas potentissima est, sine cujus auxilio vix unqvam Daciæ reges continere suos subditos valent. Duodecim viri reipublicæ præsunt, qvos consules appellant. Qvorum perpetua potestas est, in eqvestri dignitate constituti sunt. Popularibus nisi vocentur, nulla de regimine urbis consulendi facultas, nec tamen servire plebs videtur. Sua cuiqve substantia tuta est, & libertas, salvis legibus, ut velint vivere. Æqvum judicium consules agunt, ab his Cæsar, si excesserint, appellatur. Saxoniæ nostra ætate duces habentur Fredericus & Gvilielmus, qvorum alter electorem imperii gerit, alter regnum Bohemiæ sibi asserit, ut supra retulimus. Fuit cum Brunsvicensibus de electoratu dissensio. Sigismundus imperator litem diremit. Sententia ut sæpe fit, potentiori allusit. Alter horum natu senior, robustissimus venator fuit. Junior alter, belli appetens & in armis exercitatus. Crudelia inter eos diu bella exarserunt, hæreditatis paternæ causa. Et qvamvis de pace sæpe mentio fieret, impedientibus tamen Apollonio, qvem Vicedominum appellant, & aliis plerisqve potentibus, qvibus ea discordia qvæstui erat, frustra omnis tractatus abiit. Sed cum vastatis jam agris, tota provincia pessum iret, Apollonius verò fraternarum incensor discordiarum, per annum Jubileum Romam petisset, rogavit Fredericus germanum suum, uti ad se Lipsiam veniret, secum de pace acturus. Annuit Gvilielmus, iter ingresso dixere consiliarii *paratas sibi & qvi cum eo irent insidias esse, caveret ne se perditum iret, neve suos ad necem traderet.* Qvibus ille: *At ego*, inqvit, *libens moriar*,

*riar, si vos prius necatos videro, qvi fraternas contentiones alitis.* Atqve ita locutus, seqvi jussis qvi se amarent, urgensqve calcaribus eqvum, festino cursu fratrem adiit. Qvo cum semotis arbitris evestigio pacem composuit, fœdusqve pepigit. Magnus vir qvi se tam liberaliter in potestatem dederit hostis. Magnus & alter, qvi hostem ex fratre factum, rursum fratrem atqve amicum reddiderit. Apollonius interim Roma reversus & qvi cum eo sentiebant, ex Turingia, ubi plurima oppida possidebant, exterminati sunt. Apollonius in Coburca, qvod est Franconiæ oppidum, se defendit. Sed cum salutem in eo loco desperaret, nullius auxilio fretus, cum thesauris suis clam fugiens, ad Bohemos migravit. Ex illo tempore qvietem habuere Saxones, qvamvis Bohemi castella qvædam ab eis repetentes, sæpe bellum minati fuerint. Induciæ in hanc usqve diem arma partium tenuere. Lis major nunc oritura videtur. Qvando Gvilielmus regiæ sororis maritus ad Bohemiæ regnum aspirare fertur, qvamvis terræ proceres alium sibi regem assumpserint. Libet hoc loco audax privati hominis inserere facinus. Conradus Kauses nobili loco apud Saxones natus, bellicæ rei peritus, manu promptus, & animo imperterritus, cum se patria pulsum, & paterna hæreditate privatum per injuriam Friderici ducis existimaret, scelus incredibile nostra ætate perpetravit. Arx est in Mixna in alto monte & abruptis undiqve rupibus sita, Altumburgum provinciales vocant, ad radices montis oppidum egregie munitum & populo plenum jacet. In arce duo Frederici adolescentes Ernestus & Albertus educabantur. Huc Conradus intempesta nocte magnis itineribus cum paucis comitibus contendit, & admotis scalis prodente pædagogo arcem ingressus, dormientes adolescentulos in cubili comprehendit. Interminatusqve mortem, si vocem emitterent, funibus colligatos extraxit, haud dubius, qvin productos in Bohemiam magno precio venderet, suasqve contumelias eo pacto magnificè ultus videretur. Jam Sylvam Herciniam (qvæ Bohemiam à Saxonia dividit) ingressus erat, jamqve periculum omne transmissum putabat, cum junior captivorum labore ac fame deficiens, & qvietem simul & cibum poposcit. Cujus precibus commotus prædo ad carbonarium divertit qvendam, afferriqve panem ac cerevisiam jussit. Interea apud Altumburgum cognita tanta rei novitate clamor exoritur. Attoniti oppidani raptim arma capessunt, &

pretiosam

pretiosam vendicaturi prædam præcipiti cursu prædonis vestigia insectantur. Sylvam ingressis fortuna blanditur, qvæ inter multos tramites eum teneri svasit, qvi recta duxit ad carbonarium. Ibi Conradus dum puero cibum ministrat, ex improviso capitur, & oblatus principi, audacissimi sceleris capite pœnas solvit. Fredericus eodem penè nuntio, qvo captos atqve abductos filios audiverat, recuperatos & domum reductos didicit. Saxoniæ ducibus parva veræ Saxoniæ portio paret. Sunt enim in ea provincia multi alii principes, multæ civitates imperiales, multi episcopi proprium territorium habentes. Mixna verò & Turingiæ major pars, Lusatiæ & Franconiæ pleraqve oppida his ducibus parent. Jus autem eligendi Romanorum imperatorem Saxoniæ ducibus ex parvo qvodam principatu competere asserunt, inter Mixnam Silesiamqve jacente, cujus caput oppidum est, Wittenberg appellatum, Mons Albus. In Saxonia argentifodinas apud Goslariam Otho primus imperator invenit, qvarum magni fuerunt reditus, ibi & palatium nobilis operis ædificatum. Habet & fontes amaros Saxonia, ex qvibus sal coqvitur album, qvod ad vicinas gentes defertur. Salinæ uberrimæ atqve ditissimæ apud Luneburgium habentur, ex qvibus multi monasteriorum abbates, & multi ecclesiarum prælati vitam ducere consveverunt. Fuit enim qvæstus salis uberrimus. Has salinas Luneburgenses violenter usurpavere, ob qvam rem & à Nicolao Pont. Max. & à Frederico imperatore Augusto damnati sunt, consulatus, qvi ejus rei autor habebatur, autoritate Apostolica dejectus est, sed favore Bernardi ducis Brunsvicensis paulò postea in pristinum statum rediit. Et qvi noviter consulatum adierant, in carcerem conjiciuntur, civitati rebelli & ecclesiasticorum bonorum rapaci, sacris interdictum est, non tamen desunt, qvi rem divinam apud eos faciant. Tantus est ævo nostro, & in populo & in clero, autoritatis ecclesiasticæ contemptus. Est in Marchia Brandeburgensi non magni momenti civitas aqvis circumdata, Habelbergam vocant, in ejus diœcesi loco aspero ac deserto, parvum oppidum est nomine *Vilsnacum*, hic tres hostiæ habentur, ex qvibus cruorem sua sponte manasse tradunt. Ob eam rem magnus populorum huc concursus, & nautarum vota huc solvuntur, vulgo locum *ad sanctum cruorem* vocant. Excessimus scribendi modum Saxoniæ civitates nominatim commemorantes. Id fecimus, qvia veteres scriptores parum de Ger-

mania locuti sunt, & tanqvam extra orbem ea natio jaceret, somniantes qvodam modo res Germanicas attingunt. Ob eam rem dabitur mihi venia, fortasse & aliqvis gratias habebit, si Germanicas describentes provincias, ut res oculis subjiciamus, paulò prolixiores fuerimus, propositi nostri metas egressi.

## CAP. XXXIII.

### *De Dania sive Dacia sive Svetia, & Norvegia, de Margarita trium regnorum insigni domina, deq́ varia trium regum fortuna.*

HOc loco qvoniam Saxoniæ Dania jungitur, priusqvam Germaniæ reliqvas partes absolvo, de ipso Daniæ regno vicinisq; in Aqvilonem versus aliqva referre institui, non indigna cognitu. Tria sunt in Septentrionem vergentia regna, sibi invicem cohærentia, Danorum, qvod hodie Dacum appellant, Svetiorum ac Norvegiorum. Daniam sive Daciam dicere volumus, consvetudini servientes, Germaniæ portio est Chersonesi habens formam, hanc qvondam Cimbri tenuere. Unde illa inundatio barbarorum emersit, qvàm Marius Arpinas Italiam petentem, & res Romanas evertere minantem, ad internecionem delevit. Possidonius (ut Strabo refert) conjecturam facit, qvòd Cimbri latrocinando incertis errabundi sedibus ad paludem usqve Mæotim militiam agitarint: ab eis enim Cimmerium vocari Bosphorum arbitratur, qvasi Cimbricum, cum Græcorum lingua Cimmerios Cimbros nominet. Svetia cincta undiqve mari plures insulas habet, in qvis Scandavia est apud veteres latè memorabilis. Hinc qvoqve populorum innumerabilis multitudo egressa, omnem olim Europam armorum turbine ac procella involvit. Nam Gothorum, qvi Hunnos bello vicere, Pannoniam, Mysiam, Macedoniam, & omnem Illyridem occupavere, Germaniam, Italiam, ac Galliam vastavere, & demum in Hispania consedere, hinc fuit origo. Norvegia, qvæ de ipso Septentrione sortita est nomen, continenti per Ruthenos jungitur, & in Arcton protensa, in-

cognitæ

cognitæ terræ, seu stricto glacie Oceano (ut pleriq; fabulantur) contermina est. Ad orientis partem ac meridiem Baltheo mari alluitur, ad occidentem Britannici finit Oceanus. Daciam Teutones hodie Danorum appellant Marchiam, cujus lingua Germanis incognita est. Ex Norvegia venisse putant, qvi Cimbrorum occuparint loca. In hac terra patrum nostrorum memoria, Voldimarus regnavit, in Svetia Magnus, Aqvinus in Norvegia, qvem ferunt divinum fuisse hominem, miro provincialium amore atqve obseqvio cultum. Huic conjunx Margarita fuit Voldimari filia, ex qva natus Olaus patri succedens, brevi tempore vita functus, regnum matri reliqvit. Ea & paternum adepta est, extincto Voldimaro. At Magno in Svetia hominem exuente, Albertus dux Megapolensis vocatu populi diadema suscepit. Qvi dominatum vicinæ fœminæ contemnens, bello Daciam Norvegiamqve lacessere cœpit. Occurrit ei Margarita coactis copiis. In campis latè patentibus pugnatum est, tanqvam ipsa viri, hostis fœminæ animum induisset, victus Albertus captusqve & in triumphum ductus, regnum amisit. Dimissus tandem, infame senium in paterna domo finivit. Margarita clarissima mulier tribus imperans regnis ad senectutem usqve magnificè ac religiosè subditos gubernavit, demum senio confecta, cùm tantum per se ferre neqviret imperium, Ericum Pomeraniæ ducem qvatuor & decem años natum, filium sibi adoptavit, regnaq; illi commisit, & Philippam regis Angliæ filiam dedit uxorem. Is cum, conjuge sine prole defuncta, ducere uxorem ulterius nollet, jamqve 55. regnasset annos, ad extremum sub imperio Frederici populari tumultu ex regio solio deturbatus est. Et Christophorus dux Bajoariæ sibi ex sorore nepos in ejus locum suffectus, qvi avunculum suum decem annis, qvibus ipse imperavit, in insula Gothica regnare permisit. Christophoro autem ex hoc seculo abeunte, Daciæ ac Norvegiæ coronam Christiernus accepit. Sveci verò in electione regis discordantes, alii Carolum eqvestri dignitate insignem, alii Canutum ejus fratrem natu minorem, regno præficiunt. Pendente adhuc electionis negotio, Carolus immissis militibus, Stocholmum oppidum clam occupat, in qvo regia sedes habetur. Canutus per amicos arcem invadit, hinc bellum inter fratres de regno ortum, & pugna diu anceps, occisis utrinqve pluribus, ea demum lege induciæ pactæ, ut potestas eligendi regem, exclusa nobilitate, plebi fieret. In

qva cum Carolus gratioſior eſſet, majeſtas regni ad eum defertur, Canutus privatam vitam degit. Carolus verò novo regno tumidus atq; inſolens, armatis navibus Ericum ætate confectum, nulli noxium, ſibi ipſi viventem, è Gothia propulſavit. Qvi etiam hodie in humanis apud Pomeranos, unde illi origo fuit, parvo contentus vitam agere fertur, qvam ſint incerta mortalia, & qvàm inania ſuo exemplo docens, qvi tribus potentiſſimis regnis exutus, nec parvam inſulam, in qva decem annis delituerat, uſqve ad mortem retinere potuit, ætate pleniſſimus. Sed neqve Carolo ſcelera ſua impunita fuere, qvi dum Chriſti eccleſias perſeqvitur, religionem contemnit, ſacerdotes diſpoliat, feſtos dies obſervari prohibet, jura divina & humana confundit, à Joanne Benedicti filio Upſalenſium præſule viro cordato & impigro, à qvo nobilitas regni excitata eſt, magno prælio ſuperatus eſt, ac regno pulſus, in parva inſula non longe ab oſtio Viſtulæ exilium agit. Chriſtiernus in locum ejus aſſumptus, pietate ac juſtitia melior, iterum tria regna noſtro tempore in unum redegit, cui & Gothia paret Gothorum qvondam ſedes ac patria.

## Cap. XXXIV.

## *De Bohemia ſuccinctè.*

Bohemorum modo res geſtas attingere, ac ſitum referre locorum ratio exigeret, qvi Saxonibus ad meridiem juncti ſunt. Multa apud eos ætate noſtra memoratu digna emerſerunt, multa prælia geſta ſunt, multus ibi ſanguis effuſus, deletæ funditus civitates, ſpreta & conculcata religio. Exorta eſt Huſſitarum hæreſis, Adamitarum pullulavit inſania, debacchati ſunt Thaboritarum & Orphanorum exercitus, duo fulmina belli, Zyſca & Procopius provinciam ex arbitrio ſuo diripuere. Joannes ac Hieronymus populum decepere, in Conſtantienſi magna Synodo demum combuſti. Jacobellus, Coradus Rocazana, & Petrus Anglicus evangelii corruptores, tanqvam magiſtri veritatis habiti. Qvatuor reges extirpare peſtiferum virus non potuere, Venceslaus, Sigismundus, Albertus & Ladislaus, qvi apud eos veneno extinctus creditus eſt. Poſtremo Georgius rex creatus, qvi Huſſitarum labe infectus putatur, magnus vir alioqvi,

alioqvi, & rebus bellicis clarus. Sed omnia hæc in hiſtoria, qvam de Bohemis his diebus edidimus, conſcripta ſunt. Ibi qvoqve de ſitu regionis, & gentis moribus, pro captu noſtro mentionem fecimus, inde igitur aſſumendum erit, qvicqvid huic operi de rebus Bohemicis deeſſe videbitur. Nos cœptum ſeqventes iter, inferioris Germaniæ provincias abſolvemus, deinde ad ſuperiores revertemur partes.

## CAP. XXXV.

## *De Phriſia, moribus gentis ejus, & ſoli qvalitate.*

PHriſones ad oceanum ſiti, ab oriente Saxoniam contingunt, ad meridiem Weſtphalos, ad occidentem Trajectenſium terræ junguntur, qvanqvam & ipſos Trajectenſes pleriqve Phriſones eſſe volunt. Inter qvos Othonem invenio Phriſingenſis eccleſiæ præſulem, qvi res Germanicas haud imperitè conſcripſit. Albertus epiſcopus Maguntinus, qvi Fuldenſe monaſterium erexit, cum religionem Chriſti perſvadere Phriſiis niteretur, ab eis interfectus & martyrio coronatus eſt. Gens eadem ferox & armis exercitata, robuſti & proceri corporis, ſecuri atqve intrepidi animi, liberam ſe eſſe gloriatur, qvamvis Philippus Burgundiæ princeps ejus ſe terræ dominum vocet. Revera libera Phriſia eſt, ſuis utens moribus, exteris nec parere ſuſtinet, neqve dominari cupit: haud invitus Phriſo pro libertate mortem appetit. Dignitas in hac gente militaris inviſa. Sublimem virum, qvi ſe cæteris efferat, non ferunt. Magiſtratus annuos eligunt, qvi rempub. æqvo jure diſponant. Fœminarum impudicitiam ſeverius puniunt. Sacerdotes ne aliena cubilia polluant, ſine conjuge non facile admittunt. Vix enim continere hominem poſſe, & ſuper naturam arbitrantur. In pecoribus omnis eorum ſubſtantia eſt, ager planus ac paluſtris, multo gramine fœcundus, ligno caret. Bituminoſo ceſpite, & ſicco ſtercore boum, ignes fovent. Ex hac gente tradit Cornelius Tacitus imperante Nerone, duos legatos Romam veniſſe, Veritum ac Malorigem, qvi Pompeji theatrum intrantes, cum vidiſſent qvoſdam cultu externo inter ſenatores ſedere, & intellexiſſent id

 hono-

honoris earum gentium legatis dari, qvæ virtute & amicitia Romana præcellerent, *nullos mortalium aut armis, aut fide ante Germanos esse* exclamaverunt, ac digredientes inter patres consedere: ob qvam rem ambos Nero civitate donavit.

## CAP. XXXVI.

### *De Holandia & Trajectensibus, & Selandia, qvomodo Friburgium in jus Sabaudensium sit conversum.*

HOlandia qvoqve provincia Germaniæ à septentrione Oceano alluitur mari, qvod reliqvum est, Rheni fluminis brachia intercipiunt, insulamqve conficiunt, palustris, pascuosa, pluribus stagnis ac maris intersusa sinibus. Nec desunt, qvi Trajectum nobilem urbem in Holandia sitam dicant, nobis haud alienum esse videtur, aliqvando Phrisiæ Trajectenses, aliqvando Holandiæ traditos esse, ut sæpe regionum terminos dominantium imperia mutant. Nostra qvidem ætate neqve Phrisiæ neqve Holandiæ dantur. Principatus ecclesiæ Trajectensis imperatori tantum subjicitur, latamqve possidet terram, diversis Rheni meatibus interclusam, cui ab oriente Phrisii, à meridie Westphali junguntur, Holandia septentrionem excipit, ab occidente ducatus Gelriæ, de qvo suo loco dicemus, Rheno flumine disjungitur. Imperitissime verò, ne dicam fallacissime, nonnulli ætate nostra Trajectum Gallicæ nationis civitatem esse dixerunt, cum de pontificis ageretur electione. Nam qvo pacto Trajectum Galliæ dabimus trans duo Rheni brachia situm, qvando & qvi cis Rhenum habitant Colonienses, Clivensesqve constat esset Germanos? Trajectensium qvippe situs mos sermoqve germanicus est. Trajectum dives & populosa civitas est. Episcopus urbis XL. millia pugnatorum, si qvando necessitas ingruit, educit ad bellum: forma viris ac mulieribus egregia. Ab exterorum incursu, & aqvarum inundatione, & propria virtute defenduntur: potus genti cerevisia, vinum mercatores afferunt. In ea civitate memoria nostra multæ seditiones fuere, cum episcopum uni parti acceptum, altera recusaret.

Deside-

Desiderius aliqvando qvietum episcopatum tenuit, deinde à civibus ejectus, Romani pontificis & vicinorum principum adversus subditos auxilia imploravit. Illi Diesoldium qvendam contra jus fasqve sibi præsulem assumpsere. Martinus Pont. Max. anathema in eos promulgavit. Contempsere ecclesiasticum gladium obstinati homines, experiri arma oportuit, ingentes Burgundorum ducis vicinorumqve principum copiæ adversus Trajectenses ductæ infeliciter pugnavere. Victor contumax populus, septem annis ecclesiæ mandata contempsit, Desiderius in exilio obiit. Canonici qvi propter eum patria pulsi fuerant, Valramum Morsensem archiepiscopi Coloniensis germanum successorem elegerunt. Agitata est in Concilio Basiliensi causa, confirmata electio. Interim damnata in Synodo Trajectensium rebellio. Iterum frustra pugnatum. Postremo missus ab Eugenio legatus Joannes Cosoronensis episcopus, qvi postea ad Cardinalatus honorem vocatus, Morinensis appellatus est. Cum retulisset unicam pacandæ provinciæ viam esse, Diesoldio ignosci, eiq; gentis præsulatum committi, excluso Valramo: rebelli populo satisfactum est. Pulchre sane: nullæ victis leges favent, sacrosqve canones potentia vincit. Voluerunt Calixti qvoqve imperium eludere Trajectenses, qvi mortuo Diesoldio episcopum ab eo datum recipere recusarunt. Sed apparatibus Philippi Burgundiæ ducis ac potentia territi, & primis conatibus infeliciter usi, furore deposito paruerunt. In Holandia nobile oppidum (Friburgium vocant) in potestate domus Austriæ multis seculis fuit. Sed cum Ludovico Sabaudiæ duci tantam pecuniam deberet, qvantam nec privatim, nec publicè dissolvere cives possent, nostra demum ætate, & dum Fredericus imperat, in jus Sabaudiensium factum est, qvo in loco & sermo germanicus terminatur. (Helvetiâ)

Ultimi Germanorum ad septentrionem & occidentem versi Selandini sunt, insulares populi, Rheni ostiis objecti, inter qvos præcipui Dordracenses habentur. Ea civitas est egregiè munita, dives opum, negotiationiqve maximè accommoda, cujus haud parvam partem anno superiore incendium absumpsisse relatum est. Incuria civium id evenisse constat, qvanqvam pleraqve miracula referuntur, qvæ prætereo, qvia non satis digno testimonio comprobantur. Est & Bricium oppidum non ignobile, aqvis circumdatum, in qvod etiam mercatores multi navibus applicant.

CAP.

## Cap. XXXVII.
### *De Westphalia.*

NOn transibo nunc Rhenum, germanicas qvæ ibi habitant gentes commemoraturus. Dabitur suo loco de his qvoqve dicendi facultas, prosequar veteris ac veræ Germaniæ populos, & qvi junguntur vel Trajectensibus vel Phrisiis ad meridiem, expediam. Westphalia Rheno fluvio ab occidenti clauditur, Visurgi ab oriente, qvem Visera hodie vocant, à septentrione Phrisiam habet, & Trajectensium terram, meridiem Hassiæ montes excipiunt, qvos Abriobios Ptolemæus appellare videtur, ex qvibus Amasis fluvius oritur, qvi Paderburnam & Monasterium non ignobiles civitates alluens, mediam fermè provinciam intersecat, & per Phrisiam defluens fertur in mare. Sala qvoqve fluvius Westphaliam irrigat, inter qvem & Rhenum cum Drusus germanicus belligeraret, domitis hostibus victor oppetiit. Qvomodo autem cultores hujus terræ vocaverit antiqvitas, difficile dictu est, discordantibus autoribus. Strabo vicinos Rheni accolas hoc loco Sicambros appellare videtur, qvi duce Milone cum Romanis bella gessere, victiqve datis obsidibus pacem obtinuere, qvamvis calcata fide ac proditis obsidibus rebellarunt. Ptolemæus qvoqve à parte primum septentrionali Germaniæ, circa Rhenum fluvium Busactores habitare tradit, Parvos appellatos, Sicambros, Oqvenos & Longobardos. Invenio apud Strabonem circa Amasim fluvium Bructeros habitasse, qvos Drusus navali prælio superavit. Bructeros autem bello victos ab Austro in Aqvilonem & Oceanum dilapsos: ob qvam rem conjecturam capere possumus, hos esse, qvi hodie Pruteni appellantur, aqvilonares populi, de qvibus supra diximus: facile namqve Bructeros in Prutenos sermo convertit. Carolus Magnus multa cum Westphalis prælia gessit, eosqve magnis affecit cladibus, coëgitqve Christi religionem amplecti, relicto idolorum cultu: qvam qvum sæpius abnegassent, nec jusjurandum adverterent, ut metu pœnæ rebellionem compesceret, occultos instituit judices, qvibus potestatem dedit, ut qvamprimum dejerasse aliqvem comperissent, aut fregisse fidem, aut aliqvod aliud flagitium commisisse, mox illum supplicio afficerent, ubi primum comprehendi posset, nulla citatione prævia, aut defensione præmissa. Elegit viros graves, & recti amantes,

tes, qvos plectere innocentes haud verisimile fuit. Terruit ea res Westphalos, ac demum in fide continuit, cum sæpe in nemoribus & proceres & mediocres viri laqveo suspensi invenirentur, nulla accusatione prius audita. Qværentibus tamen causam, constabat fregisse fidem, aut magnum aliqvod scelus commisisse, qvi necati reperiebantur. Id judicium usqve ad nostram perdurat ætatem, vocaturq; Vetitum. Qvi ei præsunt, Scabini appellantur, qvorum ea præsumptio est, ut per totam Germaniam jurisdictionem extendere velint. Secretos habent ritus, & arcana qvædam, qvibus malefactores judicant. Ea nondum qvisqvam repertus est, qvi vel pretio vel metu revelavit. Ipsorum qvoqve Scabinorum magna pars occulta est, qvi per provincias discurrentes criminosos notant, & inferentes judicio accusant, probantqve, ut eis mos est: damnati describuntur in libro, & minoribus Scabinis committitur executio. Reus ignarus suæ damnationis, ubicunqve repertus fuerit, supplicio afficitur. Degeneravit autem hoc judicium. Nam & viles aliqvæ personæ admittuntur, qvæ civilia negotia tractare audent, qvibus erat solum de criminalibus permissa potestas. In hac provincia nostro tempore Susatenses ab ecclesia Coloniensi descivere, nec diutino vexati bello, multisqve cladibus affecti & obsidione pertinacissima oppugnati, ad obedientiam rediere. Cujus rei causa & Theodoricus Coloniensis antistes, qvi Westphalorum princeps habetur, & Joannes dux Clivensis, non parvis inter se odiis contendere. Cum Susatenses ad Clivensium opem confugissent, cumqve Coloniensis Saxoniæ duces & non parvam Bohemorum manum in auxilium accersisset, apud Monasterium qvoqve ejusdem provinciæ civitatem, propter ecclesiam, qvam Valramus Theodori frater sibi debitam existimabat, acriter dimicatum est, in qvo bello multis cæsis, unus ex principibus, qvi dux copiarum fuit, interceptus est, & in potestate Coloniensis antistitis factus. Est autem Westphalia regio admodum frigida, neqve frumenti abundans, pane utuntur nigro, cerevisia potus est. Vinum, qvod Rheno vehitur, magno emitur pretio. Opulenti tantum eo utuntur, idqve raro. Populus Martialis est, & ingeniosus, de qvo proverbium esse dicunt: *Vitiosos ac fallaces Westphaliam facilius, qvam stultos gignere.* Hic qvoniam Theodorici mentio incidit, non ab re pauca de eo referre, cui inter viros illustres nostri seculi nemo locum negaverit. Origo ejus

ex familia Morsensi apud Germanos principes non oratissima fuit. tres Fratres habuit, qvi omnes supra LX. annum vixere: Henricus natu major paternum principatum gubernavit: Joannes Monasteriensem ecclesiam, multis annis usqve ad exitum vitæ suæ summa cum laude administravit: Valramus & ad Trajectensem ecclesiam & ad Monasteriensem, defuncto fratre neqvicqvam aspiravit, qvamvis ad Trajectum concilii Basiliensis favore, & ad Monasteriensem Nicolai pontificis institutione uteretur. Theodoricus ipse cum Bononiæ juri pontificio operam daret, à Joanne XXIII. summo sacerdote, Coloniensem ecclesiam obtinuit, cui jam XVII. annos, non sine plebis ac nobilitatis magno favore præfuit. Qvi etsi plurima pro defensione ecclesiæ suæ vario eventu bella gessit, in qvis modo strenui militis, modo fortissimi ducis officium implevit, nunqvam tamen domi sacerdotalia munia, aut civilem administrationem neglexit. Corpore pulchro, & supra communem staturam eminenti, animo magno & perliberali, cujus palatium illustribus semper hospitibus patuit.

## CAP. XXXVIII.

## *De Hassia & aliqvot rebus gestis in ea.*

INter Westphalos ac Francones Hassia jacet, montana regio, qvæ à Rheno in septentrionem porrecta, Turingiæ jungitur. Princeps gentis Ludovicus Landgravius ætate nostra ad imperium vocatus, imparem se esse dixit, qvi tantæ rei molem sustinere posset. Maluitqve parvo imperio à parentibus sibi relicto utiliter præesse, qvam magnum accipiens dissipare. Id qvoqve sibi obstare ad rem Christianam gerendam dixit, qvod literas ignoraret: fuit tamen legum cultor, qvas sibi patrio sermone exponi jussit, qvoties coram eo causa ventilata est, nec unqvam compertus est tulisse iniqvam sententiam. Hic dum reformatur9 monasterium qvoddam suæ ditionis ingreditur, & invitatus cum monachis edit, venenum pro cibo inter edendum sumpsisse creditus est. Nam & ipse & abbas, qvi reformationem petierat, paulòpòst extincti feruntur.

CAP.

# Cap. XXXIX.

## *De Francia nobili provincia, origine Francorum, & qvi primum duces & reges in ea fuerunt.*

FRancia huic ſuccedit, nobilis ſanè provincia, & admodum potens, ab incolatu Francorum ſic appellata. Franci qvidem Trojani ab origine fuerunt. Qvi deleto Ilio duce Priamo, Priami ex ſorore nepote, per Pontum Euxinum in Mæotidas paludes in Scythiam pervenere, ibiqve civitatem ædificarunt, qvam vocavere Sicambriam, ex qva dicti Sicambri. Conſtat enim poſt evictam incenſamqve Trojam, qvi ſuperfuerunt excidio, in tres turmas diviſos in exilium profugiſſe, & alios qvidem Ænea duce Italiam petiviſſe, à qvibus Albani prodierunt, & deinde Romani qvi orbis imperio potiti ſunt. Alii ſub Antenore per medios Achivos elapſi, Illyricos penetravere ſinus, & regna Liburnorum ad intimum Adriaticum pelagus acceſſere, urbemqve condidere Patavium, ubi ſepultum Antenorem tradunt, qvi Henetum fugiens ſecum duxit, à qvibus poſtea dicti Veneti, qvorum eſt hodie ingens poteſtas terra mariqve. Tertii (ut diximus) in Scythiam penetrarunt, qvo in loco in magnam gentem coaluerunt. Cumqve Scytharum multi Romano imperio ſubjecti eſſent, & ipſi qvoqve tributa penderunt, manſeruntqve vectigales uſqve ad tempora Valentiniani Cæſaris. Qvo imperante Alani imperium vexare cœperunt. Imperator qvidem propoſito edicto libertatem in decennium eis promiſit, qvi Alanorum ferocitatem compeſcerent: Allecti eo præmio Sicambri arma ſumpſerunt, Alanosqve bello victos delevere. Ob qvam rem libertate in decennium ab imperatore donati ſunt, & mutato nomine Franci appellati, qvod Attica lingua ſive feroces ſive nobiles ſonat, Itali Francos liberos vocant. Exacto decennio cum Romani ſolita tributa repeterent, Franci ipſa libertate effrenes facti, parere recuſaverunt. Principes eo tempore Francis fuere Priamus & Antenor, antiqvi nominis ac virtutis, qvibus copias ductantibus prælium cum Romanis conſertum eſt, in qvo Priamus ipſe cum fortiſſimis ſuæ gentis cecidit. Qvi cladi ſuperfuerunt

runt ex Scythia digressi sunt, & in Germaniam profecti, in partibus Turingiæ consederunt, cum principibus suis Priami & Antenoris filiis Marcomede & Sunone. Suno sine liberis decessit, Marcomedi filius fuit Faramundus, qvem sibi Franci regem creaverunt, & hic primus inter Francos regnavit. Huic filius Clodoveus Crinitus, à qvo Francorum reges Criniti sunt appellati. Per idem tempus Gothi, qvi jam urbem Romanam irruperant, ultra Ligerim fluvium in Gallia sedes invaserunt. Burgundiones qvoqve juxta Rhodanum habitabant, qvi & ipsi paulòpòst reges habere cœperunt. Franci verò transmisso Rheno Romanos qvi ea loca tenebant, fugaverunt, paulatimqve aucti potentia Maguntiam, Treverim, Agrippinam, Tornacum, Cameracum, Remos, Svesonam, Aurelianum invasere. Ita ut ab Aqvitania usqve in Bajoariam imperium extenderent. Clodoveo autem mortuo Meroveus successit filius, à qvo Franci Merovingi dicti sunt. Post Meroveum Hildericus regnum adeptus, dum luxuriosè viveret, à suis pulsus est, Romano Ægidio in ejus locum suffecto. Hildericus regno privatus, ad Bisinum Turingiæ regem confugit, cujus conjugem per adulterium polluit. Post octo autem annos revocatus Agrippinam invadens, ejectis deinde Romanis magnam regni sui partem recuperavit. Mortuo autem Ægidio, filius ejus Syagrius in civitate Suesona regnavit. Bisina autem regina cum accepisset Hildericum regnum recuperasse, relicto viro ad eum confugit, à qvo recepta, & pro conjuge habita, Clodoveum ei peperit, qvi postea regnum adeptus, primus Francorum regum Christi religionem accepit, à beato Remigio Episcopo baptizatus. Illud autem veritate caret, qvod pleriqve tradunt, Agrippinam ab incolatu Francorum vocatam Coloniam. Nam priusqvàm Franci Germaniam intrarent, Colonia Romanorum appellata est, à Claudio Cæsare condita, & ab ejus conjuge Agrippina nuncupata. Fuerunt inter Clodoveum ac Syagrium aliqvot bella, postremo victus Syagrius, ad Alaricum Gothorum regem confugit, qvi nonus à magno Alarico regnabat. Reposcitur à Clodoveo Syagrius, atqve obtentus occiditur. Romani qvoqve reliqvi per Galliam habitantes exterminantur. Clodoveus Alemanos sibi subjecit. Gothis qvoqve & Aqvitanis bellum indixit, eosq; superavit, occiso Alarico rege. Fertur cum ad bellum progrederetur, si victor evaderet eqvum beato Martino vovisse, qvi XII. & C. annis ante id

tempus

tempus vita excesserat. Victoria potitus, eqvum tradidisse, eumqve centum solidis redimere voluisse, stetisse eqvum immobilem, donec pretium duplicaretur. Qva ex re dixisse regem ferunt: *Martinum bonum auxiliatorem esse, & negotiatorem carum.* Hic Clodoveus uxorem duxit Glodosindam filiam regis Burgundionum, qvæ cum esset Christiana adhuc ei pagano juncta est, magnisqve precibus virum orabat, ut baptizaretur, natosqve filios clanculum baptizabat. Causa autem qvæ Clodoveum Christianum fecit, hæc esse fertur: Qvia cum pugnaret contra Svevos, & pene victus esset, votum vovit Christianum se facturum, si ex prælio evaderet. Ob qvam rem mutata fortuna, ex victo victor factus, subactis Svevis Christianæ religioni se credit, cujus posteri in Francia usqve ad Pipinum nonum, patrem Caroli Magni regnaverunt. Tunc verò Hilderico secundo per ignaviam regnum ademptum est. Detonso enim eo, & in Monasterium retruso, Pipinus regnum accepit. Erant tunc in Francia Majores domus, qvi regnum gubernabant. Anno enim septingentesimo decimo, mortuo Dagoberto minore Francorum rege, filius ejus parvulus in tutela Pipini Grossi, qvem alii Ansgisi filium dicunt, in tutela fuit, & per insidias periit. Tunc Grimoaldus filius legitimus Pipini Grossi, regnum usurpans Dagoberti regis defuncti, captus in custodia obiit. Per idem tempus Galli, qvi intra Seqvanam & Ligerim fluvium habitabant, adversus Francos bella movere, & usqve Maguntiam excurrentes, eam civitatem obsederunt. Franci rege carentes, Carolum Martellum ad regnum sublimare voluerunt. Qvi regnum renuens, Ducatum accepit, Gallosqve bello repressit. Provinciam verò inter Ligerim & Seqvanam, qvæ tunc Gaudina vocabatur, à se Carlingam vocari jussit. Qvod postea apud Teutonicos diu servatum. Hic Carolus ex Adelheida nobili concubina Pipini Grossi filius fuit, inclytus vir & bello potens, qvi multa Saracenorum millia gladio interemit. Et pater fuit Pipini Nani, qvi Carolum Magnum genuit imperatorem toti orbi cognitum, ex conjuge Berta, qvam duxit ex Græcia. Hoc ergo Francorum genus, cum è Scythia in Germaniam venisset, ibiqve diu consedisset, germanicum effectum est: adeò ut tota fermè Gallia, & magna Germaniæ pars, à montibus Pyrenæis, usqve ad Pannoniæ terminos, Francia diceretur. Nam qvicqvid Francis suberat, Francia vocabatur. Ea in duas partes divisa fuit. Nam qvod est

Galliæ, occidentalis Francia dicebatur. Qvod est Germaniæ, orientalis. Et Germaniam qvidem eatenus extenderunt, qvantum sermo germanicus protenditur. Hæc gens sub Carolo Magno Romanum imperium meruit, qvi afflictam Longobardico bello sedem apostolicam consolatus est. Carolus enim qvamvis Galliæ potiretur imperio, Germanus tamen fuit, in Germania natus alitusqve. Cujus sedes plerumqve in Aqvisgrano fuit, qvæ civitas Teutonica est, ibi palatium ejus & caput ostenditur. Ejus posteri imperium tenentes, in Gallia & in Germania regnaverunt. Deficiente autem masculina linea imperium ad Germanos, id est Francos orientales rediit, inter qvos primus habitus est Otho. Est autem imperium apud Germanos non eo modo, ut nemo imperare possit nisi Germanus: sed qvoniam eligendi imperatorem autoritas Germanis tradita est, plerumqve Germanus eligitur. Eam ob causam cum vacasset imperium post obitum Ludovici Bosonis filii, Germani (qvorum ea potestas erat) Germanum elegerunt, & Francum ex orientali Francia. Hæc præmisisse voluimus, qvoniam de Franconia sermo incidit, Sunt enim multi qvi Francos eos solummodo esse volunt, qvi circa Parisios habitant, & illis datum imperium esse volunt, qvos rectius Francigenas qvis appellaverit.

## CAP. XL.

### *De Franconia, ubi de Alberto viro in armis dexterrimo, & qvod suis egregiis factis Achilles Teutonicus sit cognominatus.*

FRanconia verò (ut nostra ætate recipitur) à meridie Svevis & Bajoariis jungitur, ab occasu Rheno, ab ortu Bohemis ac Turingis. Septentrionem iidem Turingi Hassiqve excipiunt. Provinciam perlabitur haud ignobilis amnis, qvem Moganum vocant. Ptolemæus hunc fluvium Obrincam appellare videtur, qvi superiores Germanos ab inferioribus eundem dividere affirmat, neqve enim alius fluvius est, qvi eam divisionem aptius qvam Moganus efficere possit, & hodie qvidem inferiores Germani usqve ad Maguntium procedunt, abinde superiores vocantur. Moganus verò ex montibus

Bohemiæ ortus, è regione Maguntii in Rhenum exoneratur. Ob qvam rem non defuerunt, qvi Maguntium Moguntium à Mogano fluvio dicerent. Perlabitur idem fluvius non paucas civitates, qvarum illustriores sunt Herbipolis, Francfordia. In Herbipoli nobilis episcopi sedes est, qvi & Francorum dux habetur, & cum rem divinam facit, gladium in altari nudum ante se habet. Francfordia nobile emporium est, in qvo superi cum inferis Germani conveniunt, bis singulis annis. Ibi qvoqve imperator eligitur ex veteri consvetudine, ob qvam rem palam est imperium datum esse Germanis, qvando inter eos eligitur & coronatur, etsi demum ad culmen gloriæ Romæ qvoqve diadema suscipitur. Et in Franconia nobile templum Bambergense ad Pognitium amnem situm, qvod fundavit Henricus secundus imperator, qvem accolæ religiosè colunt, & sanctum habent. Ibiqve Berengarius sepultus est, qvi regnum Italiæ usurpavit, & ab Othone primo captus, in Germaniam ductus, illic exulans obiit. Supra civitatem in edito monte arx est, & natura & arte munita, in qva nos aliqvando cum episcopo loci, prandium fecimus. Albertus nobilissimus Francorum Comes, & Othonis Saxoniæ ducis ex filia nepos, cum Conradum comitem occidisset, qvi Ludovici regis fuisse filius dicebatur, in hanc se arcem contulit, & aliqvandiu regis obsidionem pertulit. Difficilis expugnatio loci videbatur, ob qvam rem ad dolos recursum est. Otho Episcopus Maguntinus minister sceleris inventus est, qvi profectus ad Albertum litis arbitrum se dixit, rogavitqve Albertum, ut ad imperatorem in castra descenderet, qvia vel pacem ei daret, vel in arcem reduceret incolumem. Credidit Albertus, & accepta jurisjurandi religione Othonem secutus est. Vix arcem egressi erant, cum Otho: *vereor*, inqvit, *ne diu apud imperatorem morari oporteat. Utilius fortasse consilium erat, prius sumpsisse cibum:* laudavit Albertus verba præsulis, & in castellum rediens Othoni prandium dedit. Qvo sumpto ad imperatorem cum eo perrexit, ubi mox captus est, & capitali sententia damnatus: cui archiepiscopi fidem imploranti, respondit parum religiosus Pontifex: *se fidei suæ fecisse, qvi semel reduxisset incolumem cum ad prandium introivit, bis reducere non promisisse.* Infelix Albertus gladio obtruncatus est. Melius Romani, qvi pari fraude usum unum ex captivis ab Hannibale Romam missis vinctum remisere: fraus enim (ut inqvit maximus orator) astringit perjurium, non solvit. Prædia qvæ Albertus habuit, ecclesiæ

Bamber-

Bambergensi postea cesserunt. Est autem Franconia partim plana, partim montosa, montes ipsi haud difficiles sunt, ager non admodum pinguis. Nam plerumqve arenosus est, multis in locis consiti colles vineis, gratum producunt vinum, maximè verò apud Herbipolim: multæ sylvæ & multa venatio est, terra in multos partita est Dominos, qvamvis episcopum Herbipolensem ducem Franconiæ dicant, ut ante relatum est. Maguntina ecclesia & Bambergensis plurima obtinent loca. Palatinus qvoqve Comes haud parvam occupat partem. Marchiones potentes in ea sunt, multæ præterea civitates imperiales apud Francones florent. De Norimberga dubium est, Franconiæ an Bajoariæ cedat, ipsum nomen indicat ad Bajoarios urbem pertinere. Norimberga enim Noricum montem significat, ob qvam rem patet Noricorum civitatem fuisse. Noricis autem Bajoarii successere, & nunc ea portio terræ Bajoariæ qvæ inter Danubium & Norimbergam jacet, Noricum appellatur. Civitas tamen in parœcia Bambergensi est, qvæ ad Francones pertinet. Ipsi Norimbergenses nec Bajoarios, nec Francones videri volunt, sed tertium qvoddam separatum genus. Urbs ea nobilis magnificis operibus publicis ac privatis ornata est, amne Pegnitio interlabitur, in agro sterili & arenoso condita, atqve ob eam rem industrioso populo: omnes enim aut opifices sunt, aut negotiatores: hinc multæ illis divitiæ, & magnum in Germania nomen. Aptissima imperatorum sedes, libera urbs, & in medio fermè Germaniæ sita. Inter Bambergam Forchem jacet, famosum niveo pane oppidum, incolæ patriam fuisse Pilati falsò putant. In hac provincia Fredericus Marchio Brandenburgensis fuit, imperatori Sigismundo inter charos amicos habitus, & qvatuor filii fuerunt, Joannes, Fredericus, Albertus, & alter Fredericus. Joanni qvi primogenitus esset, electoratus imperii debebatur. Sed judicium patris Fredericum prætulit, qvi secundo genitus erat, & aptior ad obeunda imperii munera videbatur. Prius itaqve qvam moreretur, hæreditatem suam inter filios divisit, Fredericum electorem instituit, neqve malè judicavit. Nam Fredericus inter principes Germaniæ sapientia clarus habitus est, cujus consilio multæ sæpe provinciæ pacatæ sunt, justi qvoqve ac honesti tenax habetur, qvi cum posset regnum Poloniæ consеqvi per electionem Baronum, recusavit (ut antè diximus) ne vero hæredi injuriam faceret. Albertus verò germanus ejus cum Norimbergensibus

gensibus bellum intulisset, omnes fermè Teutoniæ principes ad se traxit, civitates verò Norimbergensibus suppetias misere: grave & atrox bellum fuit, in qvo tot potentiæ concurrentes infensissimis odiis biennio certavere. Novem prælia commissa feruntur, ex qvibus octo victor Albertus confecit, in uno tantum victus succubuit, nec de pace convenit, nisi postqvam exustis agris, attritis villis, abactis pecoribus, ruricolis interfectis, commeatus ac pecuniæ contendentibus defuere, tum qvoqve pax ex Alberti sententia magis dicta. Hic Albertus ab ipsa pueritia ac teneris, ut ajunt, ungviculis educatus in armis, pluribus interfuit præliis, qvàm alii sui temporis duces aut viderint aut legerint: militavit in Polonia, pugnavit in Silesia, castra posuit in Prussia, hostes in Bohemia fudit, nullus in Germania terræ angulus, qvem non calcarit armatus, duxit exercitus innumerabiles, prostravit ferocissimos hostes, expugnavit munitissimas urbes. In congressibus pugnam prior iniit, victor à prælio excessit ultimus, in oppugnationibus oppidorum sæpe murum primus ascendit. Ad singulare certamen crebrius à vicinis invitatus, nunqvam detrectavit, nec unqvam non stravit hostem. In militaribus ludis (qvibus hasta contenditur) unus omnium repertus est, qvi nunqvam eqvo dejectus sit, & omnes in se currentes dejecerit. Ex torneamentis nunqvam non victor exivit. Septies ac decies, solo tectus clypeo ac galea, cætera nudus (ut est apud Teutonicos duelli qvædam species) in provocatores pariter armatos, acuta lancea cucurrit, nullo unqvam damno affectus, cum adversarios nunqvam ipse non eqvo deturbaverit. Qvibus ex rebus non injuria Teutonicus Achilles appellatus est. In qvo non solum militares artes & Imperatoriæ virtutes singulari qvadam gratia reluxere, sed nobilitas qvoqve generis, proceritas corporis, ac venustas, & virium robur, ac facundia linguæ, admirabilem eum ac penitus divinum reddidere.

## Cap. XLI.

## *De Bajoaria, & unde gens ipsa secundum Strabonem sit deducta.*

Bajoaria ad ortum æstivum ac meridiei partem Franconiæ proximat. Ea qvoqve perlata & dives terra est, cui ad meridiem Alpes Italiæ junguntur, Svevi decidentem ejus solem recipiunt, Australes orientem, ac Bohemi septentrionem. Danubius mediam fermè perlabitur inter Austriam ac Bajoariam. Alii Anasum, alii Oenum terminum posuere. Svevos à Bajoariis Lycus disterminat amnis. Hanc olim regionem Norici tenuere, cujus adhuc portio trans Danubium sita (ut ante diximus) Noricum appellatur. Bajoarii autem unde dicti sint, & unde originem traxerint, non facile dixerim. Verum cum reperiam vetustissimos codices Bajoariam appellare, qvam moderni Bavariam dicunt, non difficile trahor, ut Bajoarios à Bojis dictos, gallicam fuisse olim gentem credam. Huic opinioni Strabo qvinto commentario fidem adhibet, ita inqviens: *Priscis igitur* (ut dixi) *temporibus, plurimæ Gallorum gentes fluvium incolebant* (de Pado loqvitur) *è qvibus amplissimi fuerunt Boji, Insubres, & qvi olim cum Gæsatis, Senones, Romana per impetum potiti sunt urbe.* Hos Romani posterioribus annis funditus deletos perdiderunt, Bojos verò è finibus ejecerunt. Inde migrantes, circum adjacentes Istro locos cum Tauriscis habitarunt, bellum assiduè contra Dacos gerentes. Constat igitur Bojos in Pannonia consedisse. Qvo ex loco facilè successu temporis in Noricum conterminam regionem migrare potuerunt. Idem qvoqve Strabo lacum, qvi modo Constantiensis appellatur, designans, paululum ab eo distare Rhætios ait, amplius Helvetios & Vindelicos, desertam autem Bojorum regionem esse affirmat, usqve Pannonios: ob qvam rem satis indicat Bajoariorum terram à Bojis cultam fuisse. Idem Strabo Germaniam describens, Bojos prius Hercyniam habitasse sylvam asserit, & Cimbros agmine facto eorum invasisse locum, atqve à Bojis rejectos fuisse. Itaqve satis persvasum esse potest, Bajoaricum nomen ex Bojis descendere. Ager enim eorum trans Danubium, Hercyniam sylvam non parva ex parte occupat. Ea nunc Germanica gens est,

eſt, ſermone utens Teutonico: neqve deſerta regio, ut Strabo tradit, qvod ſuo fortaſſe tempore fuit, nunc cultiſſima eſt, magnas ac ambitioſas civitates habens & oppida nobiliſſima, qvorum ſplendorem neſcimus tota Europa, qvæ vincere poſſint. Pontificales urbes V. in ea ſunt, qvarum una Metropolitica eſt (Saltzburgam vocant) ex flumine cui adjacet. Veteres Juvaviam vocavere. In Bajoaria Ludovicus Ludovici filius gibbo & ſtruma deformis, impia contra patrem bella ſuſcepit, venerandumqve ſenem, & autoritate inſignem, qvi qvondam regnum Franciæ gubernaſſet, in arce munitiſſima obſedit: ſed ſuperis ultionem tanti ſceleris petentibus, prius febre percuſſus, qvàm patris animum in ſuam traheret ſententiam. Ille in poteſtatem Henrici ejuſdem familiæ ducis poſtea factus, brevi tempore vitam finivit. Nec Henricus diu ſupervixit. Qvi cum prohibuiſſet ſubditos in anno jubileo Romam petere, veritus ne provincia pecuniis exhauriretur, eodem anno ad patres ſuos additus eſt. Succeſſit ei Ludovicus filius ex ſorore Alberti Cæſaris natus, magni animi adoleſcens, gloriæ cupidus, & pecuniarum contemptor: qvi Judæos omnes, publicè poſitis edictis, è ſuis dominiis exterminavit: uxorem de Saxonia duxit, neptem Frederici Cæſaris. Multas Germaniæ lites autoritate ſua compoſuit, qvamvis ſæpe & multum conatus, reconciliare Cæſari Ladislaum regem neqviverit. Albertus ejus terræ ac familiæ princeps, poſtqvam pater ejus Erneſtus puellam balnei cuſtodem ab eo perdite amatam, & in ſpem matrimonii ſuſceptam, apud Straubingam Danubii fluentis demerſit; cum diu vitam in mœrore peregiſſet, tandem luctu peracto, uxorem de domo Brunſvicenſi duxit ex qva ſobolem pulcherrimam ſuſtulit. Sub imperio Frederici podagra laborans, ſepoſitis cæteris curis, ſectatus muſicam, aſſiduis cantibus ac ſonis animam oblectavit, interdum & venationi operam dedit. In Saltzburga, qvam Metropoliticam in Bajoaria ſedem obtinere diximus, tres archiepiſcopi fuere, qvorum ultimus Sigismundus nomine, dum ſchismatis procella deſævit, cum eſſet adhuc præpoſitus, Romanam eccleſiam magnificè juvit. Sed archiepiſcopus à Nicolao pontifice creatus, literas apoſtolicas, qvibus cenſura in Auſtrales imperatori rebelles fulminabatur, in eccleſia ſua publicari non ſivit, ſive metu potentiæ illorum, ſive qvod anathemate ſuſpenſo, pa-

cem melius inveniri putavit Ad qvam componendam & ipſe deſcendens in Auſtriam, non parvam operam impendit.

Circa Rhenum, qva flos Germaniæ noſtro tempore viſitur, inter Theodoricum Maguntinenſis eccleſiæ præſulem, & Ludovicum Comitem Palatinum Rheni crebræ diſſenſiones fuere, & ſæpius ad arma ventum eſt, totaqve circum regio rapinis atqve incendiis vaſtata, cum Maguntino Marchiones Badenſes ac Brandeburgenſes opem ferrent, Palatino Jacobus Treverenſis antiſtes, & nonnullæ civitates aſſiſterent. Mortuo Ludovico Palatino, qvi relictam Ludovici regis Cypri uxorem duxerat, filium ex ea natum infantem adhuc Fredericus frater ejus, conſentientibus terræ optimatibus, adoptavit. Gubernationem provinciæ tanqvam Dominus accepit, electorem imperii ſe dixit, cœlibatum perpetuum promiſit, ne arrogato filio uxorem ducens præjudicium faceret. Rogatus Nicolaus Pontifex qvintus id genus adoptionis confirmavit, recuſavit Fredericus imperator ſæpe multumqve reqviſitus.

In Svevia Albertus Frederici frater imperatoris, cum pluribus civitatibus variante victoria bellum geſſit. Ab Ulmenſibus civitatem Rotenburgenſem litigando per ſententiam obtinuit.

## Cap. XLII.

### *De in Marchionatu Badenſi nonnullis rebus geſtis. Ubi de Svitenſium in hoſtes devictos mira crudelitate.*

In Marchionatu Badenſi princeps Jacobus juſtitiæ ac prudentiæ fama inter Germanos clariſſimus, cum ſibi ad humanam felicitatem ſola literaturæ peritia deeſſe videretur, qvos ex conjuge legitima liberos ſuſtulit, ediſcere literas compulit: inter qvos diviſo patrimonio, cum Carolo primogenito ſingularis induſtriæ juveni imperatoris ſororem matrimonio collocaſſet, plenus annis haud invitus è vita deceſſit. Tirolenſes, qvi valles Oeni & Atheſis incolunt, cum Sigismundum principem ſuum in tutela Frederici Cæſaris exiſtentem, jam grandiuſculum ad ſe remitti fruſtra petiviſſent, ſumptis armis præfectos

ctos provinciæ, qvos Cæsar instituerat, dejecerunt. Et cum Tridentini episcopi, cujus erant subditi, in fide Cæsaris perseverarent, cum exercitu eò pervenere, civitatemqve metu perculsam proditione cœperunt, & arcem oppugnatione fatigatam ad deditionem compulerunt. Exin pactionibus cum Cæsare convenientes, minori qvam crediderant felicitate suum dominum obtinuere. Svitenses montani & feroces populi, cum Thuricenses ex fœdere, qvod cum eis pepigerant, desciviſſent, comparato exercitu in eorum agrum cuncta vastantes exiere: Qvibus cum Thuricenses prælio congredi præsumpsissent, usqve ad internecionem cæsi sunt, tantaqve Svitensium in victos hostes crudelitas ac rabies fuit, ut eo ipso loco partæ victoriæ epulantes, congestis necatorum corporibus, & mensalia & sedilia ex illis apparaverint, & aperientes hostium cadavera cruorem biberint, corda dentibus laniaverint.

## CAP. XLIII.

### *De Ludovico Delphino Viennensi bellum in Basilienses movente, de Amedeo Sabaudiæ duce, ex ducatu eremum, ex eremo summum Pontificatum, & ex summo Pont. Cardinalatum subeunte. Item de Bolomero in lacum demerso, & Joan. Segobiensi Alcoranum Mahumetis traducente.*

IN Alsatia cui qvondam Helvetia nomen fuit, tum Gallici nunc Germanici juris provincia, cum Ludovicus Delphinus Viennensis in agrum Basiliensem omnem fermè militiam Gallicam eduxisset, ingentemqve metum Basiliensibus incussisset, Svitenses ex fœdere sociæ civitati qvatuor millia militum lectissimæ juventutis auxilio misere. Qvos cum Delphinus appropinqvare animadvertisset, medium inter Basileam & Svitenses cum toto exercitu se opposuit, nec detrectavere illi certamen, qvamvis pedibus pugnaturi triginta millia eqvitum stare contra se in aciem cernerent. Pugnatum est summis utrinqve viribus, ad extremum non tam victi qvàm vincendo fessi, Svitenses

nimis audaces præſumpti facinoris pœnas dedere. Nam paucis fuga dilapſis obtruncati omnes in campo jacuere. Rarus tamen ex Svitenſibus inultus interiit, ex qvibus plures reperti ſunt, qvi lanceis perforati ad obtruncandum hoſtem per medias haſtas dilapſi, vindictam accepti vulneris expetiere.

Amedeus in Sabaudia dux primus ejus gentis, cum annis fermè XL. poſt patris obitum provinciæ gubernacula tenuiſſet, & admirandus adaucto paterno imperio, parta undiqve pace formidandus, cumulatis opibus, ſapientia plenus vicinis populis ac principibus videretur, ac demum relictis principum & gloriæ faſtibus in eremum ſe recepiſſet, & ſumpta penula, ac retorto baculo, cum ſex viris eqveſtris ordinis ætate provectis, mundo & pompis ejus renuntiaſſet, ad extremum ſummi Pontificatus honorem ex Baſilienſi congregatione ſibi delatum, in eccleſiæ diviſione ſuperis parum faventibus accepit. Barbam totondit, qvam promiſſam nutriverat, ducatum primogenito ſuo tradidit, eccleſiaſticas ceremonias & orandi morem repentè didicit, Stipatusqve magna nobilium caterva, & illuſtri comitatu circumdatus, Baſileam perrexit, ubi ab iis, qvi generale concilium facere arbitrantur, in maxima populi multitudine, qvæ undiqve ad ſpectaculum tantæ rei confluxerat, inter duos filios egregia facie adoleſcentes, alterum Sabaudiæ ducem, alterum Gebennarum comitem, ſolennibus pro more ſervatis, Pontifex Romanæ eccleſiæ coronatus eſt. Celebravit ſæpe divina: Benedixit plebibus: Officia curiæ ordinavit: Cardinales doctrina & autoritate præſtantes aſſumpſit. Fuerunt ei cum rege Franciæ Carolo, cum Alfonſo rege Aragonum, qvi tum hoſtis Eugenii Papæ fuit, cum Philippo duce Mediolani, cum pluribus aliis de recipienda ejus autoritate tractatus, qvi omnes incaſſum abiere. Fuit & Fredericus imperator apud eum in Baſilea, ſed clam nocte intempeſta, ne adoraſſe idolum videretur, abiit. Reverentiam ei tanqvam vicario Jeſu Chriſti, ſubditi ejus tantum & Svitenſes populi, & Baſilienſes, & Argentinenſes, & qvi Alberto parebant Bajoariæ duci præbuerunt. Fuit enim magna ſpes obtinendæ Germaniæ. Cum ſex principes Electores in eam ſententiam fœdus iniiſſent, ut niſi Eugenius poſtulatis eorum annueret (poſtulabant autem res prorſus negandas) in Amedei (qvem Felicem qvintum appellaverunt) obedientiam tranſirent. Sed cum illorum conſilia Fredericus pervertiſſet, & qvi

qvi ſub nomine Synodi Baſileæ degebant, abire juſſiſſet, deſperato meliori ſucceſſu, interveniente per legatos ſuos Carolo Franciæ rege, eccleſiæ pacem dedit. Nicolao Pontifici Maximo reconciliatus, relicto nomine Papæ, Cardinalatus honorem retinuit. In qvo paulò poſtea non ſine boni viri opinione deceſſit felix princeps, & nimium, ſi ſenium ſuum eccleſiaſticis titulis non fœdaſſet. Bolomerus qvi ejus qvondam & primus & dilectiſſimus conſiliorum particeps fuerat, ingentesq; opes apud eum cumulaverat, cum in nobilitatis odium incidiſſet, proditionis reus factus mortis ſententiam tulit, & in lacum Lemanum præcipitatus, magno ſaxo ad collum ſuſpenſo demerſus eſt. Nobilitas exinde novi ducis indignationem ſubiens, ad regem Franciæ confugit, cujus opibus adjuta in patriam rediit. Joannes Segobienſis homo Hiſpanus, moribus ac doctrina illuſtris, qvi cum ſummos theologiæ præceptores doctrina æqvaret, ab Amedeo dum ſe Papam dixit, Cardinalatus eminentiam acceperat, & deinde unioni conſentiens Nicolao Pontifice Max. Cardinalatus dimiſſo titulo, Cæſarienſi eccleſiæ præfectus fuerat, in altiſſimis reconditus montibus, parvo monaſterio contentus, vocatis ex Hiſpania legis Arabicæ magiſtris, librum qvem vocant Alchoranum, & in qvo Mahumetis ψευδοπροφήτου non tam myſteria qvam deliramenta continentur, in noſtram linguam de novo convertit & ineptias ejus veris ac vivis rationibus & argumentis exploſit.

In Arelate ad ſepulchrum Ludovici Cardinalis ſanctæ Ceciliæ, ejus urbis epiſcopi, qvem Baſileæ in conſeſſu patrum præſidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta eſt, & invalidorum freqvens undiqve concurſus ſpe ſanitatis factus.

CAP.

## CAP. XLIV.

### *De Joanna virgine Lotharingensi, Anglorum copias è Francia fugante, de Flocheto pontem arcis novo commento invadente, deq́ꝫ Thalboto Anglo duce cum filiis ad Burdegalam in bello cadente.*

JOannes comes Armeniaci incesto Germanæ sororis amore perculsus, nuptias ejus tentare conatus, haud indignus existimatus est, qvem paterna hæreditate Carolus rex Franciæ armis ejiceret. In regno ipso Franciæ, qvod nostra ætate Joanna virgo Lotharingensis divinitus (ut credunt) admonita virilibus indumentis & armis induta, Gallicas ducens acies, ex Anglorum manibus magna ex parte (mirabile dictu) prima inter primos pugnans eripuit. Cum jam Philippus Burgundiæ dux paternæ necis injuria remissa, relictis Anglis ad Francos defecisset, ingentes inter Carolum regem & filium ejus Ludovicum Delphinum Viennensem, contentiones atqve inimicitiæ succreverunt. Carolus Andegavensis eo tempore Delphini avunculus apud regem plurimum poterat, cujus potentiam cum Joannes Alenconii dux ferre non posset. Borbonii qvoqve princeps, & frater ejus spurius, Andegavensem gubernationem ægris animis intuerentur, Delphino ut à patre discederet, svaserunt. Sic enim fieri posse, ut rex desiderio filii Carolum à se rejiceret, regnumq́ve qvod in ejus manibus pessum ire videbatur, meliori consilio regeretur. Qvibus permotus Delphinus, insalutato patre ad Nivernenses discessit, qva re comperta rex comparato raptim exercitu in Alenconium duxit, & expugnatis non magno negotio plerisqve munitionibus, ducem in deditionem accepit. Exin contra filium profectus, cum civitates Niverniæ Delphinum adversus patris imperium tueri non auderent: eum ut à se abiret, rogaverunt. Ille in Borbonium se recepit, nec diu post metuens dux Borbonii Regis iram, filium patri reconciliavit, qvæ res fratri suo spurio haud bene cessit. Nam is parvo post tempore captus, in profluentem demersus, violati paterni juris in filium pœnas

pœnas dedit. Interjecta deinde non longa temporis mora, Renatus è regno Siciliæ propulſatus, filiam ſuam Henrico regi Angliæ in matrimonium collocavit, haud abnuente Francorum rege, qvi eo conjugio inducias belli, ſibi ac regno ſuo ſalutares, cum Anglis plurium annorum obtinuit. Qvibus concluſis, ſecurus jam domi Rex, ut Franciam militaribus ſpoliis atqve incendiis diu agitatam, tantiſper ſineret reqvieſcere, Delphinum cum magna parte copiarum ad Helvetios (ut eſt ſupra relatum) dimiſit, ipſe cum reliqvo exercitu in Lotharingos profectus, Metenſem, Tulenſemqve agrum vexavit, oppidumqve non parvi momenti, qvod Spinale vocant, dedentibus oppidanis ab eccleſia Metenſi abſtulit. Exin Franciſcus Aragonenſis capto ſurtim oppido Foſerſi, qvod in Normannia ſitum, in poteſtate ducis Britanniæ fuit, duorum potentiſſimorum Franciæ ac Angliæ regum interrupiſſe pacem viſus eſt. De qva re dum miſſis ultro citroqve legationibus contenditur, Flochetus cum non paucis eqvitibus à rege Franciæ profectus, qvadrigas fœno oneratas, in qvo milites armati laterent, pontem arcis, qvo Seqvana fluvius jungitur, qvi Normannos à Francia dirimit, edoctos ruſticos educere jubet, atqve in medio pontis portæ arcis ſubſiſtere. Ipſe in inſidiis cum cohortibus ſignum expectavit, qvo recepto cum milites è fœno dilapſi portam invaſiſſent, trucidatis cuſtodibus tam diu locum tenuere, donec Flochetus advolans, & pontem & arcem in poteſtatem recepit. Cujus rei percepto nuncio, & rex ipſe per eundem pontem in Normanniam copias trajecit, & ex alia parte Franciſcus Britanniæ princeps exercitum duxit. Dux Summerſeti eam provinciam pro rege Angliæ cum imperio tenebat. Qvi poſtqvam tanti belli molem in ſe verti cognovit, Talbotum copiarum ducem fama clarum, & rebus geſtis inſignem, Rothomagi apud ſe eſſe juſſit, ſperans ejus conſilio, atqve armis civitatem, cujus nutare animos animadverterat, in fide continere. Sed fruſtra ejus conſilium fuit. Nam Rothomagenſes poſtqvam regem appropinqvare didicerunt, miſſis ad eum legatis ſuam ac fortunarum ſuarum pacti ſalutem, exercitum intra urbem recipere & imperata facere promiſerunt. Qvibus à rege collaudatis, & domum cum præſidio militum remiſſis, urbs regiis dedita eſt. Talbotus cum duce ſuisqve omnibus in arcem ſeſe recepit. Qvæ cum oppugnari cœpta eſſet, interventu Renati regis ea compoſitio facta eſt, ut Angli

qvæ in Normannia retinebant oppidis excederent, Dux ac Talbotus, cum suis liberi essent. Sed cum præfecti oppidorum non parerent, Dux Somerseti dimissis in arce Talboto & duobus privignis suis clam recessit in Angliam. Arx postea dedita est, & privigni Ducis cum Talboto in potestatem Regis facti sunt. Talbotus verò cum esset clara apud omnes fama, qvam non malis artibus, sed robore corporis & ingenii dexteritate in aperto Marte qvæsivisset, data fide, qvod adversus Francos deinceps arma non gereret, libere dimissus est. Hic anno jubilei indulgentiæ causa Romam venit, ut qvidam putant, absolutionem qvæsiturus ejus promissi, qvod regi Franciæ fecerat, mihi hoc minimè compertum est. Illud constat, Talbotum cum in Angliam rediisset, jamqve rex Franciæ victa omni Normannia, Burdegalam qvoqve armis subegisset, à rege suo non sine magnis copiis in Gasconiam cum imperio missum, & Burdegalam recuperasse, & alia pleraqve castella, qvæ ab imperio Anglicano desciverant, partim vi expugnasse, partim deditione voluntaria recepisse. Qvæ cum Rex Franciæ rescivisset, è vestigio duos exercitus instruxit, qvorum alterum, cujus præfectus gener suus comes Clarimontis, ac ducis Borbonii filius, cum qvindecim millibus pugnatorum, in qvis totius militiæ robur fuit, ad urbem Burdegalam recto itinere contendere jussit: Alterum qvem ipse ductavit, ex purpuratis suis conscripsit, qvibus & comes de Stampis annumeratus est, qvem lecti juvenes D. eqvites CCC. ex Britannia seqvebantur. Jussit & hunc exercitum retento apud se comite Rex præire, qvi cum septem, ut ajunt, leucis à Burdegala constitissent, parvum qvoddam castellum oppugnare cœperunt, turri qvadam inter Burdegalam & castellum ipsum occupata, ac sagittariorum præsidio munita. Talbotus verò, postqvam sibi cum duobus exercitibus pugnandum esse intellexit, eum prius aggrediendum censuit, qvem minori negotio superari posse confidebat. Egressus igitur cum robore sui exercitus, jam vespere ad turrim qvam diximus occupatam pervenit, qva primo impetu expugnata, sagittarios omnes ibi captos circiter qvinqvaginta interemit. Exin mane profectus, cum accepisset regium exercitum pugnam parare, veritus tanqvam sibi è manibus præda dilaberetur, jussis aliis seqvi, cum qvingentis galeatis militibus, octingentis sagittariis prope hostes advolans, tumultuarium prælium iniit.

iniit. Consultaverant aliqvandiu inter se hostes, an retro pedem fugiendo referrent, sed pudore propinqvi Regis experiri belli fortunam decreverant. Erant eis trecenta circiter tormenta ænea, id est bombardæ qvæ curribus adduxerant, ea via, per qvam Talbotus adventurus erat, opposuerunt, multas præterea machinas hinc atqve inde collocaverunt, qvibus ignari hostes confici possent. Ut ergo furentes Talboti milites, itinere, qvod unum patebat in castra hostium, nescii machinarum procurrunt, dato tormentis igne, primo congressu trecenti ferme milites ictu lapidum ex Anglis periere. Qvod ubi Talbotus animadvertit, filium qvi se seqvebatur ut abiret, & ad meliora tempora se reservaret, admonuit. At cum filius diceret non esse sibi ex eo prælio fugiendum, in qvo pater periclitaturus esset. *Ego*, inqvit, *fili, multis rebus clarissimè gestis, nec mori sine gloria, nec fugere sine dedecore possum, te nunc militare incipientem, nec fuga infamem, nec mors clarum faciet.* Sed cum filium plus pietas qvam commonitio paterna moveret, cohortatis sociis ut forti animo pugnam redintegrarent, testudine suorum facta in hostes, qvi nunqvam munitiones castrorum exire præsumpserant, audacibus invectus animis haud parvam illorum stragem edidit. Sed cum hostes partim loco, partim tormentis ac numero militum superiores essent, etiam crus Talboto lapis è tormento missus abripuisset, cæsis majori ex parte suis, & ipse tandem cum duobus filiis, altero legitimo, altero extra matrimonium nato, & uno genero procumbens cecidit. Hic post sumptas ex hoste victorias clarissimi viri exitus fuit, qvem Britonum potissimum constantia & audacia prostravit. Burdegala iterum in potestate regis facta est. Britanniæ Ducem, ejus germanum, qvi nunc rerum potitur, cum diu sobole caruisset, votum vovisse ferunt, liberos si superi darent, priores duos alterum Minorum, alterum Prædicatorum religione consecraturum, exin voti compotem, primum qvi sibi natus est Franciscum appellavit, secundum Dominicum. Natus est ei & tertius filius qvem in Angliam nutriendum misit. Is cum mortuo patre in Britanniam Francisco regnante rediisset, ab eo captus & in carcere necatus est. Fama est eum, cum neci traderetur, impietatem fratris accusando, qvi non contentus regnum sibi debitum occupasse, sed animam qvoqve sibi nefarius auferret, Franciscum coram divino judicio de parricidio responsurum, infra annum citasse. Ob qvam rem cum intra præfinitum tempus Franciscus

hydropiſi laborans obiiſſet,ut eſt religioſa Gallorum natio,correptum eum divina cenſura vulgo creditum eſt. Dominicus ei ſucceſſit, qvi cum hoc anno ſine liberis deceſſiſſet, Arturum Francorum militiæ principem patruum ſuum ſucceſſorem habuit, non minus prudentia qvam annis gravem. Carolus dux Aurelianenſis, qvi magno qvondam prælio ab Anglis captus ſuerat, jam ſenex in patriam dimiſſus, defuncto Philippo Maria Mediolanenſis ducatus, tanqvam ſibi ex ſucceſſione debiti,ſeſe titulis adornavit.

## CAP. XLV.

### *Qvod Gandavenſes ſupra viginti millia civium amittentes, Philippo duci Burgundiæ ſe ſubmiſere, qvodq́ʒ Delphinus Viennenſis Agnetem occidere tentaverit.*

IN Flandria Gandavenſes adverſus Philippum Burgundiæ Ducem rebellantes, pluribus præliis victi, ad extremum ſupra viginti millibus civium una pugna amiſſis, confeſſi errorem Philippo manus dedere, legesq́ʒ victoris acceperunt. Idem Philippus & oppidum Lucenburgenſe maximum ac munitiſſimum, qvod in Saxonum poteſtatem dotis nomine venerat, non ſine indignatione Ladislai regis armis accepit. Delphinus Viennenſis, cum mulierem qvandam nomine Agnetem forma præſtantem ac patri dilectam occidere tentaſſet, iterum regis odium incurrit: cumq́ve nuſqvam alibi ſe tutum arbitraretur, ad florentes Philippi opes confugiens, ut primum eum convenit: *Miſerto mei conſangvinee* (inqvit) *qvi ſine terra ſum filius regis.* Ad qvem Philippus: *Dum terra mihi eſt* (ait) *cave te ſine terra dixeris. Nam qvæ mihi provinciæ parent, eadem tuæ ſunt, nec minus tibi qvam mihi obediant volo.* Poſt hæc ei & Brabantiæ florentiſſima oppida, & ambitioſas Flandriæ civitates oſtendit, Dominum eum & principem in conſpectu ſuo nuncupari jubens.

## Cap. XLVI.

### *De Anglia insula, & qvod olim Britannia, qvodq; Albion fuerit dicta. De rege Henrico, Sofulso, Eboracensi & Somerseto ducibus.*

VEntum modò est in eum locum, de qvo brevissimus est in Angliam trajectus, neq; enim plusqvam triginta millibus passuum id mare latum est, qvod Flandriam atqve Angliam interluit. Absolutis Galliæ rebus, haud inconveniens fuerit transmisso pelago, Angliæ (cui qvondam Britanniæ nomen fuit) qvàm brevissimè mutationes sub Frederico factas, commemorare. In Anglia qvam tum Albion, tum Britanniam veteres vocavere, rex Henricus solitudinis & otii cupidus, alieno magis qvam suo judicio regnum gubernavit. Potens apud eum, & in primis auditus dux Sofulsi fuit, qvi leges pro suo arbitratu,& populis & principibus dixit. Supressit qvos odivit, & iterum qvos amavit, erexit. Sed cum res Anglica apud Francos imminui cœpisset, & jam imperium Gallicum in pristinam gloriam emergeret, dux Eboracensis coactis non parvis copiis, nec paucis stipatus Baronibus, Lundonias venit regis consilium mutaturus, atqve (ut ipse dicebat) regis & regni saluti consulturus. Non expectavit ejus adventum dux Sofulsi, sed navigio raptim correpto, per Themisiam fluvium saluti suæ fuga consulere adorsus est. Sed destinatam qvis mortem fugiat? Missi qvi eum comprehenderent, per compendia itinerum cursum ejus prævenere, ipsumqve mox interceptum, in prora navis qva vehebatur obtruncaverunt. Dux qvoqve Somerseti, qvi perdita Normannia Angliam remeaverat, potensqve apud regem credebatur, in carcerem conjectus est. Nobiles viri qvàm plures necati,nec sacerdotio præditis parsum est: inter qvos & amicus noster Adam Molines secreti regii signaculi custos & literarum cultor, amisso capite truncus jacuit: nec diu postea cum dux Eboracensis domum rediisset, Somerseti princeps è carcere missus, permittente rege, gubernare regnum incepit, qvæ supremæ sibi cladis causa fuit. Irritatus enim ob eam causam princeps Eboracensis, cum majoribus copiis qvàm prius Lundonias properavit: cui

 cum

cum rex obviam cum duce Somerſeti exiviſſet, putans illum aut verborum lenocinio placare, aut regiæ majeſtatis autoritate deterrere, nihil profecit. Eboracenſis enim cum eſſet longe potentior, juſſo rege ut in partem ſe reciperet, in Somerſetum ac ejus eqvitatum irrupit, eumqve mox captum, detruncato capite interfecit.

## Cap. XLVII.

### *De Scotia & mirandis apud Orcades arboribus, ſuos fructus in aves mutantibus. Item de Hibernia.*

SCotia ejus inſulæ, in qva eſt Anglia, ſuprema portio eſt, in Aqvilonem verſa, fluminibus haud magnis, & monte qvodam ab Anglia diſcreta: hic nos brumali tempore fuimus, cum Sol paulo amplius qvàm tres horas terram illuminaret. Jacobus eo tempore regnabat qvadratus & multa pingvedine gravis, qvi cum olim in Anglia captus, undecim annis in cuſtodia fuiſſet, ac dimiſſus tandem ſuſcepta ex Anglis conjuge domum reverſus, complures regulos gladio percuſſit, & ipſe tandem à ſuis domeſticis interfectus. In qvos ultione peracta, filius ejus regnum ſuſcepit. Audiveramus nos olim arborem eſſe in Scotia, qvæ ſupra ripam fluminis enata, fructus produceret anetarum formam habentes, & eos qvidem, cum maturitati proximi eſſent, ſponte ſua decidere, alios in terram, alios in aqvam, in terram dejectos putreſcere, in aqvam vero demerſos, mox animatos enare ſub aqvis, & in aëre plumis penniſqve evolare. De qva re cùm avidius inveſtigaremus, didicimus miracula ſemper remotius fugere, famoſamqve arborem non in Scotia ſed apud Orcades inſulas inveniri. Illud tamen nobis in Scotia miraculum repræſentatum eſt. Nam pauperes penè nudos ad templa mendicantes, acceptis lapidibus eleemoſynæ gratia datis, lætos abiiſſe conſpeximus. Id genus lapidis ſive ſulphurea alia pingui materia præditum, pro ligno, qvo regio nuda eſt, comburitur.

Hibernia nunc nobis abſolvenda eſſet, qvæ parvo à Britannia disjuncta freto, partim libera Scotorum amicitia & ſocietate gaudet, partim Anglicano paret imperio. Sed qvoniam nihil dignum memoria

ria per hoc tempus, de qvo ſcriptio eſt, geſtum accepimus, ad res Hiſpanicas feſtinamns.

## Cap. XLVIII.

### *Qvod Hiſpania ſit in qvinqve regna diviſa, & qvod apud ipſam nonnulla ſcitu digna ſint geſta.*

LAtiſſima regio Hiſpania & terra optimis comparanda, viris armisqve potens, hoc anno noſtro in qvinqve reges diviſa eſt. Primum ac maximum Caſtellæ Regem appellant. Proximum ei Aragonum. Tertio Portugalenſem. Qvarto Navarræ: Granatæ, qvod ab Evangelio Chriſti alienum eſt, ultimum ponunt. In Caſtella prænobili ac late dominante regno, cujus reges Gothorum ſangvine creti, nunqvam genus variarunt, Alvarus de Luna, natione Aragonenſis nobili genere, qvamvis extra matrimonium natus, cum olim Joanni regi adeò ſe inſinuaſſet, ut unus omnium regni regisqve potens videretur, Johannemqve Navarræ regem & Henricum magiſtrum militiæ ſancti Jacobi, potentia ſua opprimere, ac regnum gubernare conatos armis deturbaſſet, poſtea tamen adverſante ſibi regina redeuntibus illis, ac regem in poteſtatem ſuam recipientibus, è curia pulſus, in poſſeſſionibus ſuis aliqvandiu privatus vixit: felix ſi conceſſo frui otio noviſſet: ſed nulla eſt regno dejectis qvies. Dum ergo ſublimem locum, de qvo rurſus majori cum ruina præcipitetur, vendicare conatur, regi clam ſvadet, uti per ſpeciem venationis in ſaltus ſibi propinqvos egrediatur, ſe cum potenti manu futurum obviam. Nec dubium, qvin regni optimates libertatem regi aſſerant. Non fuit difficilis perſvaſio. Rex cum paucis egreſſus parum cuſtoditus, (nam Alvari jam pene nomen extinctum erat) ubi ad inſidiarum locum pervenit, mox clamore edito, Alvarus inter lectos exultans milites, *liberum regem ſalvere* dixit, eumqve ſecum adduxit. Qva re vulgata confeſtim mira inclinatio regni facta eſt, & iterum ad Alvarum regni gubernatio devoluta nec diu poſt cum eisdem Joanne atqve Henrico atrox prælium commiſſum eſt, in qvo plures utrinqve cecidere, victoria

ria penes Alvarum fuit. Henricus non multis post diebus ex vulnere manus, qvod in ea pugna receperat, mortem obiit. Magistratum ejus Alvarus obtinuit, & aliqvandiu postea regis pariter & regni moderator est habitus, ad extremum tamen potenti invidiæ succubuit. Nam cum nobilem qvempiam jussu regis ingrata sibi qvædam renunciantem, è fenestra suæ domus præcipitari jussisset, mox captus, & in medio foro capitali sententia damnatus est: non tamen ut ignavus occubuit, sed numeratis suis in regem regnumqve meritis, non lachrymans aut ejulans, sed alacri vultu & qvasi ad epulas invitatus, cervicem gladio præbuit: vir alti spiritus, non minus domi qvam belli clarus, & cui magna semper in mente sederint. Joannes deinde aliqvot annos per se regnum administravit, qvo vita functo, filius ejus Henricus regnum accepit. Adolescens animo plenus, & recti cupidus, qvi relicta priori conjuge velut infœcunda, alteram ex Portugallia duxit Imperatricis sororem, & in regnum Granatæ cum exercitu profectus, magnam hostilis terræ partem diripuit atqve pertrivit. Joannes Cardinalis Ostiensis, summa vir integritate, & scientia juris eminens, cui juvenis in dictandis epistolis servivi, senio confectus, in eo regno, unde illi origo erat, animam Deo dedit. In regno Navarræ & filius in patrem & pater in filium arma suscepit, filiusqve tandem regno pulsus ad Alphonsum patruum Arragonum Siciliæqve regem, peragrata prius Gallia, confugit. Nunc Ludovicus Montesiæ Magister, & Joannes Deseritanus viri præstabiles, ab Alphonso missi, reconciliare patri filium student. Joanna Alphonsi & soror & conjunx, absente viro multis annis Arragonum & Valentiæ regnis tot potentiæ civitatibus, tot nobilissimis principibus jura dixit, casta & sancta mulier, & digna, qvæ prolem peperisset Alphonso. In Portugalia Petrus cognomine infans (sic enim filii regis anteqvam regnent appellantur) magni nominis princeps, qvi totam fermè Europam peragraverat, suæ virtutis documenta demonstrans, cum regnum tutorio nomine aliqvandiu summa cum laude administrasset, nec minori fide Alphonso ex fratre nepoti simul & genero suo restituisset, tandem subortis utrinqve dissensionibus, cum odio crescente ad prælium ventum esset, sagitta in incertum missa transfossus interiit, vir magnorum operum, & qvi olim sub Cæsare Sigismundo stipendia faciens, non parvam sibi gloriam in Turcas pugnando paraverat.
Alphon-

Digitized by Google

Alphonſus exinde manſvetiſſimus princeps, alti cordis & prudentiæ ſingulari prædicus(neq; enim in ſtultos unqvam regius Portugalliæ ſanguis derivatus eſt)poſt regnũ qviete tenuit,cui cum obiiſſet dilectiſſima conjunx, eademq́; ſoror patruelis, hortatu ut aliam ſuperduceret, non ſvaderi potuit, ſed omnis ejus cura converſa eſt, ut aliqvid agat, qvod ſibi laudem & Chriſtianæ religioni fructum pariat. Qvapropter invitatis regni proceribus, ſuſcepto publice crucis ſigno, claſſem in Turcas & expeditionem promiſit.

## Cap. XLIX.

### *De Genuenſibus, & eorum crebris in principatu reipublicæ mutationibus.*

ULtimis Europæ finibus peragratis, & qvantum propoſiti noſtri fuit, ſeptentrione decurſo, in patriam tandem reverſus, novitates Italiæ cum jam referendæ occurrant,ab ea nimirum urbe incipiendum eſſe arbitror, cujus creberrimas mutationes & oriens ſimul & occidens admiratur. Ea eſt Genua Ligurum domina ac regina, qvæ civilibus agitata diſcordiis, memoria noſtra imperium maris amiſit. In ea cum excluſo Philippo Mediolanenſium Duce, ejusqve prætore Opicino Olgate necato, autore Franciſco Spinula VIII. libertatis capitanei creati eſſent, eisq́; paulòpoſt ſublata libertate exactis, Iſnardus Gvarro ducatum accepiſſet, annos ſupra ſeptuaginta natus, autore Thoma Fregoſo, qvi & ipſe olim ante Philippi dominium ducali honore functus fuerat, cum homo grandævus ad gubernationem inutilis videretur, vix ſeptem diebus regnare permiſſus eſt, Thoma ejus honorem ſurripiente. Qvem cum qvatuor gubernaſſet annis, Germanus ejus Baptiſta ad ſedecim circiter horas regno expulit. Nam Thomas reſumptis viribus confeſtim fratrem palatio deturbavit, tres annos poſtea & nonnullis menſibus urbem regens, donec autore Joanne Antonio Fliſco iterum civitas libertatem aſſeruit, delectis VIII. capitaneis, priori ex more rempublicam adminiſtraturis, qvi Thomam Fregoſum in carcerem conjecerunt, cum jam ter patriæ ſuæ ducem geſſiſſet. Horum principes fuere Joannes

Antonius, qvem prænominavimus, miles eqvestris ordinis, & Raphaël Advanus juris interpres. Sed hæc qvoqve paucorum mensium libertas fuit, cum Raphaëli non tam capitanei qvàm ducis nomen placeret. Is enim gentilibus suis ac Spinularum primoribus in suam sententiam tractis, collegas suos magistratu abdicavit, ducalesqve fasces assumsit, qvibus paulò supra duos annos est usus, à Barbana gentili & patruele suo è republica dejectus. Barbanam verò nondum mense toto principatu potitum, Janus Fregosius Joanne Antonio Flisco & Aurianis faventibus regno pepulit. Qvi paulòpòst Antonio pro suscepto beneficio necem paravit: interposito Joanne Philippo ejus gentili, qvi eum percuteret, cui & castella defuncti condonavit. Jano verò cum rexisset annis paulò amplius duobus, in magistratu fatis functo, frater ejus Ludovicus successit, qvi à Petro patruele suo è dignitatis culmine dejectus est. Is est Petrus Fregosius, qvi modò regnat, multa vi animi & corporis, sed optimatibus civitatis & omni fermè nobilitati odio habitus, qvi & gentilem & patruelem suum Nicolaum Fregosium honestis moribus præditum, & philosophiæ studiis insignem, ob suspicionem affectati dominii, vocatum à se in palatium paratis percussoribus interemit, nunc, cum regnasset annis qvatuor, tam suæ qvàm aliarum nobilium familiarum principes, ex urbe dejecerunt, Ludovico patruele suo, qvē ipse ante deposuerat, in ejus locum suffecto. Qvi cum se parum gratum magnatibus esse intellexisset, eundem Petrum, qvem regno deturbaverat, in auxilium accersivit, ille tertia post exilium die reversus, & patruelem ducatu amovit, & omnes adversarios urbe pepulit. Qvorum principes ad florentes Alphonsi Aragonum & Siciliæ regis opes conversi, magnam & formidabilem classem ab eo impetraverunt, cum qva jam fermè duobus annis terra mariqve Genuam oppresserunt. Ventum est sæpe ad mœnia civitatis, & aliqvando intra suburbia pugnatum. Hoc autem anno, cum signo dato & in ipso portu, & pro mœnibus urbis undiqve pugnaretur, ingressi sunt Aragonenses, ducisqve milites ad magnam urbis partem fugaverunt, passim cædibus, passim rapinis civitatem fœdantes, sed adfuit præsto cum delecta juventute Petrus, qvi fugientes suos sistere compulit, & in Aragonenses dilapsus, ingenti edita strage, urbem penè captam recuperavit. Actum tamen de eo fuerat, si portam, qvàm ceperant hostes, ita communissent,

ne

ne concludi superna potuisset, & aditum seqventibus navalibus sociis patentem retinuissent. Nunc ambæ partes qvasi ex integro ad bellum se parant, qvamvis fama est Petrum animo fractum, Gallorum implorare auxilia, eorum regi patriæ suæ principatum, qvem retinere non potest, pecunia venditurum.

## CAP. L.

### *De Mediolanensibus, & variis apud eos rebus gestis, Philippo Maria, & Francisco Sfortia, ducibus.*

APud Insubres urbemqve toto famatam orbe Mediolanum, Philippus Maria Dux gentis, qvi Genuam ditioni suæ qvondam subegerat, Amedei Sabaudiæ ducis filiam matrimonio sibi conjunxerat, Alphonsum potentissimum regem cum duobus fratribus, altero rege Navarræ, altero militiæ Compostellanæ magistro, multisqve regulis navali prælio victum, captum, & ad se usqve deductum, insolita usus libertate, magnificentissimè donatum, libertati dimiserat, Sigismundum Cæsarem Romam petentem, cum Mediolani ageret, visitare contempserat, Bononiam, Forolivium, Imolam è manibus tyrannorum armis ereptas, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ restituerat, atrocem Svitensium gentem bello domuerat; de Florentinis ac Venetis per suos duces sæpius triumphaverat, totamqꝫ qvondam Italiam tremore affecerat: jam recedente fortuna, perdita Genua, Nicolao Picinnino, in qvo maximè fidebat, defuncto, exercitu suo ad Casale majus juxta flumen Padum duce Micheleto Carimiola ab hostibus prælio fuso, & castris exuto, magno numero eqvitum peditumqve capto, eò deductus erat, ut non modo Venetis, sed omnibus per circuitum populis ac principibus contemptui esset. Et Veneti qvidem Abdua flumine transmisso, in agro Mediolanensi castra metati, tantum ei terrorem incussere, ut de relinqvendo imperio cogitaverit, qvæ sunt ultra & citra montes, auxilia regni deposcens. Sed qvem fortunatum atqve hostibus insultantem, omnes honore ac favore dignum existimavere, idem in calamitate constitutus, ab omnibus

tanqvam odio dignus relictus est. Unus tamen omnium Alphonsus accepti beneficii memor, ad opem ferendam sese accinxit, sed cum serius iter agit, interim Philippus primum ob adversam valetudinem oculis captus, deinde ex ipsa arce hostilium armorum fragore audito vehementer commotus, vitæ tædio simul & languore mortem obiit, ipso Alphonso hærede instituto. Fuit autem Philippus ingenti corpore, in juventute macer, in senectute pingvissimus, deformi facie ac terribili, instabilibus ac prægrandibus oculis, ingenio peracri & callido, in largiendo profusus, in parcendo facilis, in audiendo difficilis, at ubi in colloqvium venisset, mitis ac placidus, cultus corporis ac munditiarum, omnisqve lenocinii negligens, venandi cupidus, eqvorum studiosus. Cæterum qvietis impatiens, atqve imperitandi avidus, in pace bellum, in bello pacem qvæsivit, simulandi atqve dissimulandi egregius artifex, in milites qvàm in cives indulgentior, raro in publicum prodiit, delatoribus facile credidit, in suspiciones adeò pronus, ut sæpe fidissimos à se amicos levissimis de causis alienaverit. Pulchris indutos vestibus ægrè ad se venire permisit. Sermonem de morte audivit invitus. Tonitrua ac fulmina mirum in modum expavit. Tabifica lue percussos ex urbibus migrare in agros jussit, eorumqve domos incendio tolli, qva cura innumerabilem illum Mediolani populum multis annis intactum, qvodammodo ab ea peste servavit. Huic cum vita decessisset, funus nec tanto principe dignum, nec suis majoribus ductum est, nec sepulchri decus additum. Populus cognita ducis morte in libertatem sese proclamavit, duodecim viris electis, qvi rempublicam administrarent. Castrum portæ Jovis instar excellentissimæ regiæ captum ac dirutum est, & testamentum Philippi dilaniatum. Ad dominium Mediolanense multi aspiravere, sed qvi coloratis uterentur titulis, qvatuor tantum fuere. Fredericus imperator devolutum ad se principatum, Philippo sine liberis legitimis vita subtracto, contendebat. Alphonsus ex testamento hæreditatem petebat. Carolus dux Aurelianensis ex sangvine Vicecomitum natus, ab intestato sibi deberi ducatum ajebat. Franciscus Sfortia Vicecomes conjugem suam, qvæ Philippi filia fuerat, hæredem patri suscipiendam affirmabat. Auditæ sunt legationes omnium in senatu Mediolanensi. Qvarum aliqvæ sermone directo dominium petiere, aliqvæ per simulationem oblati contra Venetos auxilii insinuare se populo,

pulo, atqve inde paulatim vendicare dominium ſatagebant. Sed civitati, qvæ jam libertate gauderet, & imperandi cupiditate demortui principis militiam conduxiſſet, nulla conditio placuit, qvæ jugum qvovis pacto in capita civium videretur inſerre. Obtulit tamen imperatori cenſum qvotannis, aureum poculum, ſi libera ſuis legibus dimitteretur. Dilaniabatur interea undiqve Philippi hæreditas. Veneti Placentiam, Cremam, Laudam occupavere, & multa præterea minora oppida. Dux Sabaudiæ Ludovicus Valentiam & Confluentiam invaſit. Aſtenſes ad ducem Aurelianenſem Carolum deſcecere, qvi ſuſceptis à rege Franciæ non parvis auxiliis, Alexandrinorum agros vexare cœperunt. Papienſes inteſtinis agitati diſcordiis diu ancipites fuere, qvibus ſe potiſſimum partibus jungerent. Novarienſes, Comenſes, Alexandrini, ac Terdonenſes Mediolanenſium imperium ſubiere, Parmenſes in ſocietatem qvodammodo recepti ſunt. Franciſcus Sfortia per idem tempus in Piceno agebat, qvamvis majorem ejus provinciæ partem jam amiſiſſet, qvem Philippus non multò ante, qvam moreretur, ſibi per communes amicos reconciliatum, ut ad ſe rediret, in Venetos pugnaturus, acceſſiverat, rogato Alphonſo rege, ſibi ut ſeptuaginta millia auri nummum ſuo nomine numeraret, qvo facto jam paratis atqve inſtructis copiis, itineri ſe accinxerat, cum mors Philippi enunciata eum, qvi longo tempore ad Mediolanenſes inhiaſſet, magis ac magis properare compulit: qvem ut Lombardiam primum ingreſſus eſt, Mediolanenſes incerti, qvo mens ejus inclinaret, ne vel per ſeipſum vel conjunctus Venetis ſuis cœptis obviam iret, miſſis oratoribus, & oblatis non parvis ſtipendiis conduxere, moxqve duce ſui exercitus facto, ut Placentiam omnibus copiis obſideret, imperaverunt. Ipſe dicto parens, dum ad Placentiam in obſidione ſedet, Papienſes qvia jam Mediolanenſe imperium tanqvam faſtidioſum & inſolens detrectarent, ſeſe ſibi dedentes accepit: qvæ res Mediolanenſium animos haud mediocriter conturbavit, qvi per conventiones inhibitum Franciſco dicebant, qvempiam ex urbibus, qvam olim Philippus tenuiſſet, occupare. Franciſcus verò non ſe occupaſſe, ſed dedentem, & ultro ſe offerentem civitatem recepiſſe ajebat. At Mediolanenſes, cum ejus potentiam vererentur, diſſimulandum potius ſtatuere. Ille continuata apud Placentiam obſidione, tandem ſumma vi oppugnare adorſus urbem, qvamvis magna & forti

militum manu munitam, armis tamen expugnavit ac diripuit. Mediolanense regimen per id tempus penes nobiles fuit, & apud eos qvi Philippi qvondam consilium direxere. Itaqve res prosperæ sapientium ductu cedebant, jam non parva Gallorum manus. * Nam circiter tria millia eqvitum delecti roboris, qvæ Alpes transierant, apud Alexandriam profligata deletaqve fuerant, & Veneti apud Caravagium magno prælio superati, omnes penè copias amiserant, & Lauda ab eorum imperio erepta in potestatem Mediolanensium redierat. Cum Franciscus Sfortia ad infestandum Brixienses missus, sive qvod principatum Mediolanensem, cujus sibi opinionem jampridem finxerat, alio modo conseqvi non posse sperabat, sive qvod Mediolanenses cum Venetis amicitiam societatemq; clam seqventes, ne solus utriusq; populi præda relinqveretur, præveniendos censuit, prior cum Venetis fœdus iniit: in qvo cum multa hinc atqve inde promissa essent, illud inter cætera convenit, ut ad urbem Mediolani ditionemqve ejus obtinendam, Francisco cum copiis proficiscenti senatus Venetus & pecuniis & armis auxilio esset. Qva re firmata mox in Mediolanensem duxit. Militabant eo tempore apud Mediolanenses Bracciani, qvi cum Ludovicum de Verme, ac nonnullas alias Francisci copias apud Modœtiam fudissent, tandem relictis Mediolanensibus ad eum desecere. Franciscus filiam suam Jacobo Picinino uxorem despondit. Carolus verò Gonzaga haud ignotus copiarum ductor, qvi paulò ante à Mediolanensibus deficiens ad Franciscum venerat, postqvam desertos eosdem Mediolanenses, & sine ullo duce relictos animadvertit, iterum ad Mediolanenses relicto Francisco transivit. Erat hic vasto corpore, formaqve pene gigantea: viribus verò, qvi magnitudini responderunt, dicendi copia clarus, literis græcis ac Latinis instructus, sed animo inconstanti, & ingenio ad omne facinus sive honestum sive necessarium parato, cui non parva spes fuit oppressa in Mediolano libertate dominium urbis arripere: sed fortuna jam Mediolanensibus novercante, Placentini, Therdonenses, Novarienscsqve populi ab eis deficientes, Francisci præsidia receperunt. Alexandrini cum nullam in eis spem sitam esse contuerentur, Gulielmi Montisferrati principis fratris imperio se commiserunt. Respublica medio tempore ex nobilitate in plebem defluxerat, lectiqve viri duodecim, qvi urbi de more præessent, ex fece populi ignobiles atqve incogniti magistratum gerebant.

gerebant. Hi cum nobilitatem, qvàm multis modis offenderant, suspectam haberent, neve cum Francisco sentirent, svadente Gonzaga, qvi eam viam ad principatum urbis arripiendum commodissimam existimavit, septem primarios cives, genere nobiles, & opibus abundantes, raptim interceptos per noctem obtruncavere, ac deinde in foro plebi spectaculum objecerunt, inter qvos Jacobinus Bossius egregius adolescens, placidus moribus, & literis eruditus, & nobis amicitia junctus, prorsus innocens, supinus trunculsqve jacuit. Nec diu post Joannem Caynum venerabilem senem, & filium ejus Franciscum egregia forma juvenem, non alio crimine irretitos, nisi qvod illustrissimæ Blancæ Mariæ Francisci conjugi sangvine juncti erant, crudelibus affectos cruciatibus necavere. Exin Georgius Lampugnanus juris interpres, sub specie legationis tanqvam ad imperatorem mitteretur, in Modoetia captus atqve interfectus est, magnus libertatis assertor, & qvi testamentum olim Philippi (populari favens regimini) laniasset. Nec Theodoro Bossio admodum in civitate gratioso pepercerunt, qvem cum diu in vinculis tenuissent, tandem interemerunt. Galeottus qvoqve Thuscanus, & ipse natu nobilis atqve opulentus civis intercisus occubuit. Qvibus ex rebus cum jam nulla libertatis forma relicta esset, & duodecim viri ausu tyrannico urbem cædibus ac rapinis fœdarent, successorumqve comitia prohibentes, invito populo sibiipsis imperium prorogarent: commota deniqve atqve incensa civitas correptis armis, novo magistratu ex nobilitate creato, tyrannos è repub. dejectos in carcerem conjecit. At cum neqve hoc modo respirare populus posset (nam perditis omnibus, excepta civitate Comensi ac Parmensi, qvæ in officio ad ultimum perstaret, Franciscus dura obsidione civitatem premebat) iterum plebs incensa nobilitatem è palatio pepulit, tyrannos demptis vinculis, tanqvam libertatis amatores, & optimè de rep. meritos in priorem locum restituit. Illi ad priores artes reversi, cum satellites magno numero sibi assumpsissent, multaqve svadente Carolo spolia perpetrarent, nobilitatemqve prorsus opprimerent, non tamen ei viam ad invadendum principatum permisere. Qvod cum ipse animadvertisset, etiam periculosam apud Mediolanenses moram intellexisset, per internuncios Francisco reconciliatus, ac magnis allectus præmiis, Laudam illi prodidit, tertioqve jam fidem fallens, non sine magno Mediolanensium damno

damno, ac plebis consternatione, ad eum transivit. Non tamen defuit tyrannis animus, qvin postulatis undiqve subsidiis Francisci jugum jam propè cervicibus imminens, excutere conarentur. Sed cum alios frustrà rogassent, Venetos tandem ne se derelinqverent, pervicerunt. Nam neqve illis ex usu videbatur Franciscum ætate florentem rei bellicæ peritissimum, cujus jam vires atqve arma non sine gravi jactura sensissent, eo imperio potiri, qvod suo par tandem videderetur. Percusserunt igitur fœdus Veneti cum Mediolanensibus, legesqve, qvas tota citerior Gallia seqvi deberet, præscripserunt, mandantes Sfortiæ, ut certis contentus viribus ac terminis, Mediolanenses in pace dimitteret. Ille haud ignarus se brevi periturum, ubi Venetis paruisset, imperium eorum contempsit, & qvamvis desertus ab omnibus videretur (nam soli Florentini, & hi qvidem parce opem ferebant) in obsidione tamen perseverare decrevit. Jam mortuo Francisco Picinino, frater ejus Jacobus cum Brachianis ad Venetos transierat, jam Leonardus Venereus à senatu Veneto missus, Mediolanum ingressus, auxilia & commeatus magnam copiam, qvibus civitas indigebat, propediem afferre pollicebatur: erat & in exercitu & in civitate summa omnium rerum indigentia, ita ut dubium videri posset an obsidens Franciscus, an obsessus dici deberet. Vix ei bis mille eqvi supererant, qvi ferre insessorem possent, & milites stipendio fraudati, pro cibis sese armis exuerant. Neqve enim Francisco argentum erat, qvo stipendiari militi posset. Sed inter spem metumqve dubius, obsidionem de die in diem verba pro factis ostentans, producebat. In civitate verò, cum jam frumentum omne absumptum esset, nec aliud genus edulii restaret, & jam canes, eqvi, cæteraqve id genus animalia manducarentur, nec ferre amplius famem multitudo posset, collecti in unum apud portam Vercillinam, correptis armis, in forum prorumpunt, obviumqve Leonardum Venetorum legatum gladiis confodiunt ac discerpunt: exin palatium fusis tyrannorum satellitibus aggrediuntur, qvo sine resistentia occupato, qvos invenerunt, tyrannis vincula indidere. Exin missis ad Franciscum legatis, principatum ei civitatis obtulerunt, qvi mox ingressus dominium urbis accepit: & deinde non multis interjectis diebus, cum liberis ac conjuge reversus, ducalibus insignibus exornatus, in triumphantis modum urbem intravit: qvicum jam Comum Parmamqve in deditionem

nem accepiſſet, Gulielmoqve Monteſerratenſi Alexandriam ademiſſet, non parvum deinde bellum Florentinis ſociis cum Venetis & Alphonſo rege diutius geſſit: in qvo cùm acrius premeretur, (neqve enim tantæ potentiæ par eſſe poterat) Renatum regem fortiſſimis eqvitum cohortibus cinctum, ex ulteriori Gallia magnis ſtipendiis ac promiſſis allectum in auxilium accerſivit, qvi cum ſuperatis montibus in Italiam deſcendiſſet, ac Gulielmum è Monteſerrato arma ponere per amicitiam ac neceſſitudinem compuliſſet, etiam caſtra ſua Franciſci caſtris conjungens, in hoſtilem agrum deſcendiſſet, expugnatisqve raptim nonnullis caſtellis, more Gallico mortales omnes in eis comprehenſos trucidaſſet, tantus mox terror Venetos invaſit, ut jam caſtra caſtris conferre amplius nullo pacto præſumerent, nec jam retinere poſſe, vel Brixiam vel Bergomum agris amiſſis confiderent. Cumqve Turcarum bellum res eorum maritimas infeſtaret, repentè præter omnium opinionem pax, qvæ diu in ſenatu apoſtolico fruſtra fuerat agitata, deniqve apud Laudam interventu cujusdam (ſed probatæ & integræ vitæ) monachi inter Venetos & ipſum Franciſcum clam rege facta eſt: qvæ res ut regi moleſta, ita Franciſco utilis, Venetis neceſſaria fuit. Arcem deinde inſanientis populi favore dirutam, Franciſcus brevi reſtauravit, mira fortunæ ſive cuncta regentis dei providentia nobile ac magnificum opus iisdem manibus ſubito refectum eſt, qvibus fuerat paulò ante rejectum. Franciſcus Philelphus nobilis Satyrarum ſcriptor, per idem tempus ad Heroicum carmen converſus, res Sfortiæ ſcribere cœpit, Leodriſius Cribellus ſoluta oratione ac metro clarus haberi cœpit.

## CAP. LI.

### *De Venetis, & qvod Franciscus Foscarius dux ab imperio depositus, animam indignatus statim emiserit.*

APud Venetos terra mariqve potentissimos, qvi nomen Italicum apud Barbaras nationes longè latèq; clarum fecere, filius Francisci Foscari ducis veluti qvippiam in rempub. molitus esset, in exilium actus, deinde revocatus, & iterum in suspicionem criminis adductus, & crudelissimè tortus, cum nihil mali confiteretur, relegatus in Peloponnesum, miseram ibi vitam finivit. Gener ejusdem ducis Andreas Donatus, dum Cretam insulam pro Veneto imperio gubernat, dux insulæ appellatus, revocatus domum, honore privatur, & magna mulctatus pecunia, in exilium mittitur. Armilaus inter Venetos dignitate & autoritate potens, dum ex concilio ad multam noctem domum revertitur, jaculo transfossus occiditur, nec qvi tantum scelus patraverit, inventus est, qvamvis id filio ducis crimini dederint. Franciscus Barbarus studiis humanitatis excellens, editis non paucis, neqve illaudatis opusculis senio confectus, non sine celebri nomine vita decessit. Imperator Fredericus cum Roma rediens, eò se cum conjuge & rege Hungariæ Ladislao, totoqve comitatu recepisset, libenter & amicè visus incredibilibus honoribus cumulatus est. Franciscus dux gentis, qvi annos XXXV. summa cum laude civitatem rexerat, Philippo Mediolanensium duci Brixiam Bergomumqve ademerat, copias ejus pluribus in locis fuderat, Franciscum Carminiolam clarum ducem copiarum de proditione suspectum securi percusserat, Marsilium Cararium, cujus majores diu Patavium per tyrannidem tenuissent, dum paternam hæreditatem vendicare conatur, interceptum necaverat, pacem cum Turcis non tam honestam qvam necessariam fecerat, Imperiumqve Venetum terra mariqve longe ampliaverat, gubernationi tandem cedere compulsus est, tanqvam præ senio reipub. videretur inutilis. Ille veluti contumelia affectus, ingratæ patriæ aspectum non ferens, eamqve vitam recusans qvæ careret imperio, è publico palatio in privatam domum se recipit, ubi cum

cum principatum ſuis civibus reddidiſſet, ægram qvoq; confeſtim animam naturæ reſtituit. Cujus caſum tanqvam prævidiſſet Baptiſta Blaſius Cremonenſis Aſtronomus pluribus ante menſibus prædixerat. Erat autem Franciſcus cum moreretur non longè ab anno ſuæ vitæ nonageſimo, venerabilis ſenex, præcipua corporis majeſtate decorus, memor omnium qvæ poſt infantiam aut vidiſſet, aut audiviſſet, facundia copioſus, & ingenio prompto ac dexterrimo, & qvi moderari frena ſenatus optimè noſſet, ejus pater in Ægypto negotiatus cum prophetam regionis illius qvempiam de futuris interrogaret, reſponſum ab illo accepit, *filium ſibi eſſe, qvi aliqvando ſuæ civitatis principatum aſſeqveretur.* Franciſco ſuffectus Paſchalis, vir ſingulari prudentia, & moribus humaniſſimis, cujus ducatum nulla putant bella ſuſcepturum, niſi vel neceſſaria, vel admodum glorioſa.

## CAP. LII.
## *De Mantuanis.*

LUdovicus Marchio Mantuanus inter principes noſtri ſeculi famæ non mediocris, literis eruditus, & rebus militaribus exercitatus, in eo bello, qvod Veneti cum Franciſco Sfortia poſt dominium Mediolani ab eo captum geſſere, partes illius ſecutus, magnum monumentum rebus ejus acceſſit. Carolus frater ejus qvi fidem Franciſco feſellerat in vincula conjectus, ſub ejus fidejuſſione dimiſſus, cum neqve ſic promiſſioni ſuæ ſatisfaceret, omnibus, qvæ in Mantuano agro tenebat, oppidis privatus eſt. Sed cum ſtipendia Venetis faceret, non parvas eorum copias in Mantuanum duxit, ubi vaſtatis late atqve incenſis agris, cum fortuna principium ejus belli ſecundum feciſſet, & cum jam Mantuani metu perculſi rebus ſuis diffidere viderentur, Ludovicus acceı ſitis ex Mediolano auxiliis, milites ſuos in aciem producens, fratri copiam pugnæ fecit, nec ille certamen detrectavit. Commiſſum eſt atrox prælium, in qvo duo fratres ambo ætate florentes, ambo rei militaris periti, ambo corporis atqve animi viribus præſtantes, de gloria, de imperio, de vita ſummis conatibus contendere. Deniqve victor Ludovicus fuſo fugatoqve

Carolo, omnes ejus copiarum duces ac primores eqvitum, cæsis plurimis intercepit. Ille deinde patria extorris atqve egenus morbo confectus interiit.

## Cap. LIII.

### *De Ferrariensibus, & disputatione apud eos inter Græcos & Latinos facta.*

APud Ferrariam mortuo Nicolao Estensi principe, omnium nostri seculi fortunatissimo, nisi conjugis adulterium & in ea & filio dilectissimo vindicare olim coactus fuisset, Leonellus dominatum suscepit, princeps pacificus, literarum peritus, & Musicæ cultor. Qvo decedente, Borsius frater ejus & ipse Nicolai filius ex concubina Ptolemæa Senensi ad principatum vocatus est. Egregia forma juvenis, & in armis cum laude versatus, dicendi & agendi peritus, qvi cum Cæsarem Fredericum Romam petentem, & inde reversum magnificentissimè accepisset, super Mutinam & Rhegium civitates Ducatus honorem accepit, primusqve omnium in Estensi familia Dux appellatus est. Eugenius Pontifex dum Ferrariæ cum Græcis concilium ageret, Hugo Senensis qvi per id tempus medicorum princeps habitus est, omnes qvi ex Græcis studiosi philosophiæ eò convenisse crediti sunt, apud se invitavit, qvos cum opipare magnificeqve pavisset, finito prandio epulis mensisqve remotis, eos in disputationem pedetentim placideqve pellexit. Cum jam Marchio Nicolaus adesset, & multi in synodo excellentes philosophi adventassent, cunctos in medium Philosophiæ locos adduxit, de qvibus inter se Plato & Aristoteles in suis operibus contendere ac magnopere dissentire videntur, dicens eam se partem defensurum qvam Græci oppugnandam ducerent, sive Platonem illi, sive Aristotelem seqvendum arbitrarentur: cum Græci certamen minimè recusassent, protracta est ad multas horas disputatio. Postremo cum rex convivii Hugo Græcorum philosophos, alterum post alterum argumentis & dicendi copia victos tacere compulisset, palam factum est Latinos homines, qvi jam pridem bellicis artibus & armorum gloria Græcos superaverant, ætate nostra etiam literis & omnium doctrinarum genere anteire,

anteire. Fuit autem domus Estensis viris semper doctis amica, nostra ætate non solum Hugonem (de qvo præfati sumus) magnis ad se præmiis traxit, sed multos in jure civili, plures in cæteris facultatibus honoravit. In studiis verò eloqventiæ Joannem Aurispam Siculum Græcis ac Latinis literis edoctum, & qvi versu prosaqve claruit, inter familiares habitum, ditem beatumqve facit. Gvarinus autem Veronensis omniumqve fermè pater ac magister, qvi nostra ætate Græcas literas didicere, admirabilis, & omni honore dignus senex, qvi omnem ætatem suam legendo, docendo, scribendo percurrisset, unicum senectutis suæ refugium, & illud qvidem honestum, dignumqve suis exercitiis ac virtutibus invenit.

## Cap. LIV.

### *De Bononiensibus, & factione inter Baptistam Connetulum & Hannibalem Bentivolum.*

IN agro Bononiensi pirum qvandam aridam ex minoribus formicis pastus causa complures ascenderant, supervenere majores non parvo numero, qvæ illas partim occiderunt, partim dejecerunt. Post duas fermè horas tanta minorum formicarum vis exorta est, ut totus ager nigro tectus agmine videretur. Accessere stipatæ omnes, & arboris undiqve stipitem circumdantes paulatim ascendere cœperunt. Majores formicæ ubi hostes adesse animadverterunt, conglobatæ supernè pugnam expectaverunt. Postqvam simul acies convenere, commisso prælio majores morsu rabido, modò illas, modo istas è minoribus interemere, totoqve brevi spatio confecerunt, ut cadentium morientiumqve cumulus ad piri radices non parvus in terra succreverit. Sed cum pertinacius instarent minores, semperqve acies aciem premeret, viginti aut plures unam ex hostibus circumdarent, & à tergo & à fronte pugnantes, undeqvaqve latera confoderent, victæ tandem majusculæ & ad unum omnes necatæ, illati prius temerè prælii pœnas dedere. Hæc acta sunt, spectantibus Romanæ ecclesiæ copiis, cum Petri cathedram Eugenius qvartus teneret, ea nobis

qvi se vidisse ait, vir fide dignus & autoritate retulit Nicolaus Pistoriensis utroq; jureconsultus, qvi tum in castris apostolicis Nerii Senensis episcopi vices agebat. Simile hoc illi est, qvod in Gallia Belgica non longe ab urbe Leodio constanti fama gestum ferunt, nidum sive in rupe sive in arbore falco sibi paraverat, ovaq; fovens pullos avidus expectabat. Hunc Corvi supervenientes loco deturbavere, ovis ejus effractis ac voratis. Spectaverunt id è proximo bubulci, fugientemqve trepidum Falconem annotavere. Postridie (mirabile dictu) Falcones Corviq;, qvasi ex toto orbe ad pugnam vocati, isti septentrionalem, illi meridionalem partem tenentes, ordinatis aciebus & tanqvam rationis capaces essent, aliis qvi cornua observarent, aliis qvi media ducerent agmina dispositis, atrox ac ferocissimum prælium in aëre commiserunt. In qvo cum modo Corvi, modo Falcones cederent, & iterum resumptis viribus, certamen instaurarent, totus undiqve subjectus ager & pennis & cadaveribus obtectus est. Ad extremum victoria penes Falcones fuit, qvi non solum rostris, sed etiam ungvibus accerrimè decertantes, corvos omnes ad internecionem delevere. Exin parvo tempore interjecto, cum duo de Leodiensi ecclesia contendentes, alter à Gregorio tertiodecimo, alter à Benedicto duodecimo in episcopum electus, (erat enim inter illos de Romano Pontificio disceptatio) ambo cum copiis in eundem locum pugnaturi venerunt. Joannes dux Burgundiæ alterum armis juvit, alterum Leodiensis populus seqvebatur. Pugnatum est collatis signis summa utrinqve contentione, horrendum cruentumqve prælium factum. In qvo tandem victor Joannes dux triginta millia hostium cecidit. Memorabile ejus rei fanum conditum est, qvod nos illac postea transeuntes cæsorum ossibus plenum vidimus. Sed de illo Falconum atqve Corvorum suam cuiqve opinionem relinqvimus, veri periculo penes famam dimisso. Bononia qvæ non tam studiorum mater, qvam seditionum altrix appellari potest, soror & ipsa civitatis Genuæ, ac solius inconstantiæ constans, cum factionem Lambecariam non sine cæde multosq; cives domo pepulisset, comuni Conetulorum ac Bentirolorũ consilio regi cœpit. Principes factionum Baptista Conetulus & Hannibal Bentivolus fuere, ambo sangvinarii, ambo paratis cædibus insignes, qvi licet simul compatratus sacramento juncti essent, nihil tamen inter se meliores fuere. Nam Hannibal levato de sacro fonte Baptistæ filio, visurus puerperam,

compa-

compatrem seqvitur, eiqve manu prenso pro novo nato congratulatur, ab irruentibus ex improviso Baptistæ satellibus obtruncatur, ut manifestè apparuerit, Baptismi sacramentum non tam fœderis retinendi, qvam cædis patrandæ causâ à Baptista qvæsitum fuisse. Sed non inulta mors Hannibalis fuit. Nam qvi partes ejus seqvebantur, sumptis paulòpòst armis fugatis adversariis, plateam obtinuere. Baptista indicio tandem puerili in specu qvodam subterraneo, cum plerisqve complicibus suis latitans, repertus, & fumo compulsus exire, mox pluribus vulneribus confossus est. Cadaver ejus in forum tractum, & diu ludibrio habitum, cum pleriqve more ferarum cor ejus dentibus laniassent, cruoremqve bibere non horruissent, tandem exustum est. Apud Florentiam per id tempus Xanthus latebat Herculis Bentivoli, qvem qvondam Eugenius Pontifex Max. interfici sive jusserat sive permiserat, filius extra matrimonium natus, pauperem vitam in lanificii exercitio ducens, nec satis gnarus qvo patre genitus esset: hunc Bononienses è vestigio vocant, recusantem, & qvodammodo invitum in patriam ducunt, eqvitem ex lanifice faciunt, tutorem Hannibalis filio reipub. principem tradunt. Cujus ea in rebus adversis fortitudo, ea in secundis moderatio hactenus ostensa est, ut Herculis filium omnes norint, qvi cum exules per proditionem nocte qvadam urbem intrassent, ac exercitus rumore qvasi victores insultassent, haud qvaqvam destitutus animo, excitis amicis, correptis armis, in eos prosiliit, nec mora, victos cæsis captisqve pluribus ex civitate deturbavit. Bessarion eo tempore Cardinalis Nicenus, natione Græcus, prudentia singulari, & nostra suaqꝫ lingua peritissimus, Nicolai qvinti Pontificis Max. in ea urbe vices gerebat, qvi usqve ad ipsius pontificis obitum legatione functus, nobilitati plebiqve juxta charus fuit, qvamvis eò deducta civitas est, ut legati Papæ rogare magis qvàm imperare qveant, qvod planè nunc experitur Ludovicus sanctorum qvatuor coronatorum Cardinalis legatus, qvi qvamvis ingenio valet, & ea præditus est autoritate, qvæ summi sacerdotis nepoti deberetur, non plus tamen in urbe potest qvàm senatui placet & Xantho.

CAP.

## Cap. LV.

### *De Florentinis, & diversis apud eos rebus gestis.*

FLorentiam urbem in Fesulanis ruinis ad ripas Arni fluvii conditam prisci homines Fluentiam vocavere, qvæ cum auspiciis fundata felicibus, vicinas per circuitum civitates excellere, mirisq; modis imperium propugnare cœpisset, Florentia longè melius qvàm Fluentia dicta est. In hac urbe Pontifex Max. Eugenius qvartus, id concilium, qvod Ferrariæ cum Græcis cœperat, magnificè consummavit. Erant plures inter Græcos ac Latinos super arcanis orthodoxæ fidei contentiones, qvarum maxima ac difficillima fuit de sancti spiritus processione, cum Græci paracletum ex patre duntaxat, nostri ex patre filioqve procedentem assererent. Post multas ac diversas disputationes, in qvibus tanqvam interpres Nicolaus Saguntinus utraqve lingua disertissimus ingenio facundiaqve juxta promptus illustre nomen adeptus est, tandem cum Latina ecclesia in uno fidei symbolo consensere. Civitas in imperatorem Græcorum, & Patriarcham Constantinopolitanum, & omnes eorum comites abundè lateqve patuit. Patriarcha illic senio confectus decessit, & apud prædicatores in templo humatus est, cui Masseus Vegius poëta Laudensis non ignobilis epitaphium versibus imparibus edidit. Nicolaus Picininus illustris copiarum ductor, ab exulibus Florentinis invitatus, Fesulanum ingressus agrum, qvi Florentia decem millibus passuum abest, hostiliter cuncta diripuit, nec diu postea in agro Aretino cum Eugenio simul & Florentinis bellum intulisset, apud Angleriam magno prælio victus & profligatus est. Ludovicus Archiepiscopus Florentinus apostolicis tunc copiis præerat, qvi ea victoria nobilitatus, ad Cardinalatum paulo postea provectus est. Eugenius enim, & unione Græcorum facta, & Picinini metu deposito, mente atqve animo auctus septendecim Cardinales creavit, viros aut genere illustres, aut virtute præstantes, aut vitæ sanctitate conspicuos. Inter qvos & duo Græci assumpti sunt, Isidorus Archiepiscopus Ruthenorum, Bessarion Nicenorum pontifex, qvorum supra meminimus. Alphonsus Rex Aragonum

num rogatus à Philippo Maria (ut antea dictum est) sibi adversus Venetorum potentiam opem ferret, coacto non parvo exercitu, profecturus in Galliam iter ingressus est. Sed ante Philippus obiit, qvam ipse Tiburi, qvo jam appulerat, digrederetur, audita verò amici morte, & qvod ab eo nuncupatus hæres esset, in Sabinos profectus magnificentissimo illi funere justa persolvit. Deinde transmisso Tiberi, recta via in Florentinum duxit, eo ut ajebat animo, ut Florentinos revocare suas copias ex Gallia cogeret, atqve ita per Tusciam pacatam & sibi amicam ad opem Mediolanensibus ferendam, qvos Veneti bello premebant, proficisceretur. Noluerant Florentini ab Alphonso rogati Rege, Venetorum societatem deserere. Qvapropter Alphonsus in agrum Volaterranum profectus, Pomaratium haud ignobile oppidum portas claudere ausum, eo ipso, qvo venerat, die copiis circumpositis vi cepit ac diripuit. Deinde ad castrum novum in agro movit, cujus incolæ audita Pomaratii clade, confestim absqve certamine in deditionem venerunt. Idem fecere aliqvot castella circumjecta. Exin Montecastellum natura & opere munitum obsedit, qvo tempore ea imbrium magnitudo, eaqve vis ventorum exorta est, ut neqve extra tentoria qviescere milites possent, multis eorum discerptis ac per inane raptatis, qvibus ex rebus, & qvod annonæ inopia laborabat, movens inde Alphonsus Campiliam duxit. Sed qvoniam Florentini id oppidum præsidio & annona firmaverant, frustra ibi contendit. Castella tamen aliqvot finitima in Gerardisca (id ei regioni nomen est) recepit, atqve illis restituit, qvibus Florentini prius ademerant. Erat in comitatu regis Simonetus mille ducens eqvites, qvi finito Florentinorum stipendio ad eum transiverat. Sigismundus autem Malatesta, qvem Rex anteqvam Tusciam ingrederetur, cum eqvitibus mille & octingentis, peditibus verò sexcentis conduxerat, cum ab eo indies expectaretur, ad Florentinos transivit. Fredericus qvoqve Urbinatium princeps notus & clarus in armis, Florentinorum stipendia faciebat, qvi cum essent eqvitatu peditatuqve haud inferiores rege, omnemqve illi expugnandorum oppidorum facultatem præriperent, non fuit regi consilium in obsidione Campiliæ perseverare, & præsertim qvod in montibus commeatus penuria premebatur. Divertitur igitur ad loca maritima, & apud Populoniam olim fama celebrem, nunc dirutam urbem consedit, qvo in loco facile sibi ex regno Neapolitano

 & fru-

& frumenta & bellica tormenta navibus afferri poterant. Abeſt inde tribus fermè millibus paſſuum Plumbinum nobile oppidum, in cujus obſidione (de qva poſtea dicemus) laboranti Regi, Caſtilionum & ipſum non parvi momenti oppidum, prodente Florentinorum præſidio traditum eſt, præter arcem, qvam cum Simonetus obſediſſet, paucis poſt diebus per deditionem accepit. Dum verò Rex paulo ante apud Aqvam vivam hiberna ageret, à legatis Mediolanenſibus aditus eſt, qvi opem ejus implorantes in eo loco decerni bellum adverſus Venetum ſenatum obtinuere. Jam enim Franciſcus Sfortia Mediolanenſi populo indignatus, Venetorum auxilio fretus, eos ſubigere ſibi ſummis conatibus nitebatur, qvorum paulò ante fines & arma promoverat. Cum verò Rex ſoluta Plumbini obſidione Neapolim rediſſet, & deinde in Pelignos ſeceſſiſſet, Florentini legatos ad eum miſere, pacem petentes. Qvibus accepta fide in caſtra profectis, poſtqvam mandata expoſuerunt, bellumqve excuſarunt, Antonii Cardinalis Hilerdenſis, nominati inter primos theologi opera, qvi id negotii de Pontificis voluntate ſuſceperat, paucis poſt diebus ea lege pax Florentino populo reddita eſt, ut Caſtilionum & inſula Gilii, qvæ ipſius belli tempore Florentinis erepta fuerant, in poteſtate Regis remanerent. Sed cum Franciſcus Sfortia Mediolano potitus eſſet, omneſqve pontes & arces apud Abduam tanqvam Mediolanenſes à Venetis repeteret: Alphonſus, qvi cum Franciſco eſſet inſenſus, è re ſua eſſe ratus, illum, ne radices in tanto imperio ageret, impedire, per Leonellum marchionem Eſtenſem reconciliatus Venetis, & cum eis amicitia ſocietateqve facta, Florentinis, qvi Franciſci fortunam ſecuti & armis & pecunia eum juvabant, ſecundo bellum indixit, Ferdinandum filium in expeditionem contra eos mittendum duxit. Erat is eo tempore admodum adoleſcens, ingenio eximio, & ad cunctas optimas artes docili ac parato, liberalibus diſciplinis inſtitutus, armorum tractandorum ſcientia edoctus, gloriæ cupidus, inediæ ac laboris patiens, cui pater ſex millia eqvitum, duo millia peditum commiſit. Fuerunt & in exercitu ejus comes Everſus & Urſinus Neapoleos haud contemnendi copiarum duces, Fredericus qvoqve Urbinas, qvi ſuperiori bello Florentinorum arma ſecutus erat, in exercitu militavit. Florentini verò poſtqvàm imminere ſibi belli tempeſtatem ſenſerunt, Eſtorem, Faventinum Simonetum (qvem ſupra nominavimus) ac Sigiſmun-

gismundum Malatestam, postremo Alexandrum Sfortiam conduxere, qvi simul juncti supra decem millia eqvitum, peditum verò magnum numerum in castris habuerunt. Ferdinandus tamen per agrum Cortonensem in Aretinum copias duxit, ubi castellis aliqvibus non magni nominis vi captis atqve direptis, Folianum non parvi momenti oppidum cum oppugnare cœpisset, nec hostes auxilium ferrent, post dies octo per deditionem accepit, eqvitatum Estoris apud montem Politianum pluribus captis, nonnullis occisis, fudit ac fugitavit. Recinium in agro Florentino vi expugnavit, Castellinam verò cum obsedisset, hyberno rigore invalescente recessit, & in maritima loca ad Aqvam vivam patris exemplo sese recepit: qvo tempore & Antonius Olzina Vadam in littore maris sitam navibus occupavit, & ampliori fossa à terra communivit, qvo ex loco Pisanum & Volaterranum agrum infestum reddidit. Cumqve interea Florentinorum duces ad Folianum castra movissent, velletqve Ferdinandus auxilium obsessis ferre, jamqve itineri se commisisset, tanta in castra lues consecuta est, ut præ languentium numero, non modò ad rem gerendam, sed vix ad movenda castra satis esset. Ob qvam rem Folianum interea summa vi oppugnatum, nec minori virtute defensum, tandem ab oppidanis clam præsidio traditum est, qvi tamen paulòpòst & ipsi victorum præda fuere, oppidum incensum ac solo æqvatum. Per idem qvoqve tempus Gerardus Gambacurta dum castella qvatuor, qvæ pater à Florentinis acceperat, intra Apenninum sita, Ferdinando tradere vult, ab uno è suis proditus, castellis amissis diu regem mendicando secutus est. Exin pace apud Laudam (ut diximus) facta, revocatus à patre Ferdinandus in regnum concessit. Florentini qvæ amiserant, cuncta receperunt. Baldatius pedestrium copiarum haud ignobilis ductor, manu promptus & audax, cum diu Florentinorum stipendia meruisset, in palatium tandem accersitus, dum magistratui contumaciter respondet, captus ex altissimis fenestris in forum præcipitatur, cui qvamvis magno casu jam expirasset, securi tamen cervix abscissa est. Inter Florentinos omnes qvi nostra ætate floruerunt, Cosmus cognomine Medicus, & prudentia & autoritate eminuit: is princeps urbis habitus, senatum qvo voluit, impulit: civitati leges ex arbitrio dixit, inopes cives complurimos ditavit. Matrimonia, constitutis ex argento suo dotibus, multa conjunxit. Villas magnificentissimè exædificavit.

vit. In ſacras ædes ditiſſima dona contulit. Monaſterium ſancti Marci & amplum & nitidum à fundamentis erexit. Parochiæ ſuæ templum, cum ſibi parum placeret, prorſus diruit. Exin ſtructuram admirandi operis ex lapide Feſulano ſuſcitavit, ædes ſuas qvamvis ornatiſſimas erexiſſet, amplius tamen meditatus opus, palatium & altum & ingens ex qvadratis lapidibus, inſigni urbis loco adeò pulchrum, adeò amplũ conſtruxit, ut ei alterũ æqvari tota civitate non poſſit. Commendanda eſt multis in rebus Florentinorum prudentia, tum maximè qvod in legendis Cancellariis non juris ſcientiam, ut pleræqve civitates, ſed oratoriam ſpectant, & qvæ vocant humanitatis ſtudia. Norunt enim rectè ſcribendi dicendiqve artem non Bartolum aut Innocentium, ſed Tullium, Qvintilianumq; tradere. Nos tres in ea urbe cognovimus, Græcis & Latinis literis & conditorum operum fama illuſtres, qvi Cancellariam alius poſt alium tenuere, Leonardum & Carolum Aretinos, & Poggium ejuſdem reipublicæ civem, qvi ſecretarius apoſtolicus tribus qvondam Romanis pontificibus dictarat epiſtolas. Illos præceſſerat Colucius, cujus ea dicendi vis fuit, ut Galeacius Mediolanenſium princeps, qvi patrum noſtrorum memoria graviſſimum Florentinis bellum intulit, crebro auditus ſit dicere, *non tam ſibi mille Florentinorum eqvites qvam Colucii ſcripta nocere*. Diſceptatum eſt diu inter Florentinos ob pecuniarum exactiones, qva tenuiores cives magis qvam opulenti urgebantur. His diebus, conſentiente Coſmo nova Cataſtri, id eſt, fortunarum cujuſqve civis deſcriptio cœpta eſt, qvam raro factam ſine tumultu motuqve populi ferunt. At nunc qviete tranqvilleqꝫ tranſiit. Lucenſes qvi noſtra memoria bis Florentinorum obſidionem perpeſſi, bis Philippi Mediolanenſium ducis auxilio ſuam libertatem defendere, ad extremum cum vicinis viribus pares eſſe non poſſent, nec facilè invenirent, qvi qvoties hoſtis premeret, toties ferret opem: fœdus in qvinqvaginta annos cum eis percuſſere, eas leges ſubeuntes, qvas dixere potentiores. Inter Florentiam & Senam apud oppidum, qvod Caſſiam appellant, anno poſt Jubileum ſexto viſæ ſunt nubes, viginti (ut ferunt) cubitis à terra ſublimes, inter ſe mirabili ventorum impetu agitatæ depugnare, & alteræ alteras pellere, & mutatis ſæpe vicibus pelli, qvæ pepulerant. Interea ſumma incredibili ſpiritus violentia domorum tecta per inane jactari, muros dejici, & ſaxa ingentia loco moveri, vetuſtiſſimas olivas & antiqviſſima qvercuum

qvercuum robora radicitus convelli atqve confringi, homines ac jumenta non parvis ſpaciis per cœlum ferri, ac raptari. Hæc nobis, qvi ſe vidiſſe ajebant retulere. Sed magis nos ut crederemus, epiſtolæ à graviſſimis viris de his rebus Alphonſo regi, cum apud eum ageremus ſcriptæ, & in præſentia noſtra lectæ, commoverunt.

## Cap. LVI.

### *De Senenſibus & eorum aliqvot bellis. Item de Hermaphrodito.*

URbs Sena unde mihi origo eſt, ſecundum hodie locum in Hetruria obtinet, amœniſſimo ſita loco, & (ſi mihi fides habenda eſt) populo neqve rudi neqve inurbano. Hujus rectores qvi nobilitate poſtpoſita, qvæ fuit in ea civitate tota Italia memorabilis, & parte populi, qvam duodecim appellant, prorſus conculcata multis annis in pace qvieverant: inter ſe tandem duas factiones habere cœperunt, qvæ prout ſuæ rei conducere arbitratæ ſunt, ita ſe vel populis vel Italiæ principibus conjunxerunt. Cum verò rex Alphonſus in Florentinos (ut antea relatum eſt) exercitum duceret, factiones ipſæ maniſeſtius pateſactæ, altera, cum regium bellum contra Florentinos juvandum eſſe ſvadere non auderet, diſſimulandum eſſe cenſuit: vicerunt primo regis amici, & in ejus caſtra commeatus miſere: ſed cum Rex ad ſextum lapidem urbi proximus caſtrametatus eſſet, diſſeminantibus in plebe, qvi Florentinis ſtudebant, Alphonſum non tam Florentiæ qvam Senæ dominium qværere, tota urbe trepidatum eſt, & armati ad portas diſpoſiti, haud aliter Alphonſi milites qvam libertati ſuæ inſidiantes obſervavere. Comminuit aliqvantiſper eam populi ſuſpicionem Franciſcus Martorellus, præſtanti vir ingenio, & qvo Rex libenter uteretur, legatus ad eos miſſus. Sed cùm non tam Regis amore aut odio qvàm privatis civium contentionibus reipub. concilia turbarentur, adeò tenuiter annona in caſtra regis deportari permiſſa eſt, ut & Florentinis ſimul & regi videretur illuſum. Idem factum, cum Ferdinandus Regis filius alio poſtea tempore in eosdem Florentinos duxiſſet. Neqve enim principio ejus adventus ſatis

ei faventes fuere, sed Veneti cum Senensibus ac regi fœdere juncti essent, usqve adeo Senenses legationibus agitarunt, ut & ipsi societatem tandem Regis inierint, bellumqve Florentinis publicè indixerint, qvod brevi sopitum est, Venetis apud Laudam inconsulto rege pacem recipientibus. Post hæc Senensibus aliud è vestigio bellum exortum est adversus Hildebrandum Pitiliani comitem, in qvo ducibus usi sunt Sigismundo Malatesta, & Gisberto Corrigiensi, qvorum potentia non hostibus tantum, qvantum ipsis Senensibus, formidanda fuit. Suborta inter Sigismundum & Senenses discordia, cum sese ille suspectum esse animadverteret, non sine suo & Senensium damno recessit, Gisbertus cum Senensibus perseveravit. Interea comes Jacobus Picininus, qvi jam pridem apud Venetos stipendia faciens, non sine laude rerum gestarum eorum copias duxerat, cum pace ubiqve parta stipendio careret, in Hetruriam properans, Senenses jure paternæ amicitiæ, ut sibi auri viginti millia mutuo dent, missis legatis expetit, qvod cum frustra fuisset, acies in eos convertit, & ingressus Senensem agrum, pleraqve oppida partim vi, partim proditione recepta diripit. Calixtus tertius, qvi recens pontificatum inierat, copias suas Senensibus auxilio mittit. Idem Franciscus Sfortia, idem Florentini faciunt. Veneti qvoqve per fœdus reqvisiti auxilium, qvamvis tenue præbent, committitur ex improviso prælium, ex qvo sine magno partium damno discessum est. Jacobus cum exercitu coactus est Castilionum sese recipere, qvod regis oppidum esse diximus, Florentinis priori bello receptum, ubi qvamvis acriter oppugnaretur, expugnari tamen non valuit. Inter hæc Gisbertus in suspicionem actus tanqvam cum Picinino sentiret, cum ejus rei tamen parva extarent indicia, vocatus ad urbem in senatu Senensi trucidatus est, & per fenestram in forum projectus. Picininus paulòpòst Urbetellum naturâ loci munitissimum oppidum, per proditionem obtinuit. Una enim tantummodo via, eaqve arctissima & arcis oppositione defensa potest adiri, reliqvas partes stagnum claudit, parvis duntaxat levibus cymbis navigabile. Ubi cum frumenti viniqve copiam Picininus reperisset, tamdiu se continuit, donec pace apud regem Aragonum firmata, in regnum sese receperit: sed ea pax externo Senenses solvit, interno magis implicuit. Nam regis amici tanqvam bellorum causa fuissent, Pininiqve studia fovissent, partim securi percussi sunt, partim in

exilium

exilium relegati. Multi cum ſibi periculum in patria imminere cernerent, ſponte in exilium abiere, adeoqve in eos qvi ſuſpecti habiti ſunt, ſeveritas exercita eſt, ut etiam Florentinis videatur eſſe ſævitum: nec dum malorum finis, qvando in civitate parum pacata novæ indies machinationes aut finguntur aut inveniuntur, & ſanguis civilis per forum diſpergitur. Hoc fortaſſe malum eqvulus ille prænunciavit, qvi anno Jubileo ante portam ejus urbis qvæ Romam vergit, prægnans freqventi aſtante populo dum pareret, expiravit. Erat enim Hermaphroditus, qvamvis fœminei ſexus nullum in eo veſtigium cerneretur. Inter alios qvos urbe relegatos haud nocentes civitas exiſtimavit, duo fuere ab ipſa pueritia ſocii, & ſtudiorum communione conjuncti, qvamvis alter juris civilis ſcientiam profiteretur, alter poëticam: Gregorius Lollius & Franciſcus Patricius, cujus plura extant poëmata qvæ doctiſſimi petunt, & qvæ ſibi vitam retinuiſſe creduntur. Marianus Sozinus per idem tempus ſcientia juris non ſolum apud Senenſes, ſed tota Italia latè clarus habitus eſt.

## Cap. LVII.

### *De Plumbinenſibus, Galeatio Baldaſino viro in armis dexterrimo.*

PLumbinum nobile oppidum ex Populoniæ ruinis ædificatum exiſtimatur, nonnulli Populinum appellandum putant. Id eſt in littore Thuſci maris ſitum, Iluæ inſulæ oppoſitum, qvæ ferri venis inexhauſta, magnum qvotannis vectigal Plumbini Domino præbet. Huic oppido præfuit Jacobus Appianus ex Paula nobiliſſima fœmina Martini qvinti Romani pontificis ſorore natus, pacificus qvidem princeps, & à vicinis amatus: qvi cum ex conjuge virilem ſobolem non ſuſciperet, extra matrimonium hæredem qværens, concubinam amare cœpit, cujus cum venter intumuiſſet, & jam pariendi prope tempus adeſſet, incredibili gaudio geſtiens, Florentinos ac Senenſes legatos uti ad ſe mitterent, ac partum de ſacro fonte levarent, futuros compatres magnis precibus invitavit. Paritum eſt. Venere ad diem dictam legati. Mulier inter obſtetricum manus diu laborans,

Æthiopem

Æthiopem tandem peperit: qvæ res, ut risum in populo cachinnumq; excitavit, ita & compaternitates & lætitiam principis interrupit. Tibicen tum forte Maurus in familia ejus erat, ex qvo natum puerum crediderc, qvi mox ubi detectum flagitium intellexit, saluti suæ fuga consuluit. Mortuo Jacobo Rainaldus Ursinus peracri vir ingenio & rei militaris peritus in ejus locum suffectus est, non suo jure, sed conjugis qvæ Jacobi filia fuisset. Hunc Alphonsus, cum in Thuscia Florentinorum bello distineretur, faventem hostibus reperit. Qvapropter castris Plumbino admotis, eum intra mœnia clausum, terra mariqve summis viribus oppugnavit. Sed non minori virtute ipse ab interiore parte cives suos defendit, qvam regis miles ab exteriori muros invasit: pugnatum est diu acri contentione, ita ut multi utrinqve ceciderint, complures vulnerati in hostium manus pervenerint. In eo prælio multorum virtus enituit. Inter qvos duo Antonii, alter Fuxanus, alter Condola ad muros pariter vadentes, inter cæteros pugnare fortiter animadversi sunt. Sed omnibus prælatus est Galeatius Baldasinus natione Siculus, qvi ter muri fastigio apprenso, qva prius tormenta disjecerant, conatus est oppidum irruere: cæterum ferventis aqvæ vivæqve calcis, qvæ inter arma ingesta, ubi ad corpus penetraverat, perurebat artus, vi deterritus, gravisqve saxi ictu, cum revulsa aggeris parte deturbatus est. Fuit autem Galeatius statura qvæ mediocrem excederet, robustis ac teretibus membris, corporis magnitudini vires respondebant, lucta, ictu, saltuq; nulli hominum cessit, membrorum robori par animus erat, eqvo ac pede juxta bellator acerrimus: armatura gravi armatus galeatusqve humi stans, sinistra sellam, dextra hastam eqvestrem tenens, strenuo saltu, grandi statura eqvum insiliebat. Singulari certamine qvater præliatus, bis in Italia, bis in Gallia transalpina, toties victor evasit, à tribus hostium eqvitibus eo ipso Florentino bello petitus, unum ex his gladii capulo seminecem eqvo decussit, alium citato eqvo medium amplexus è sella extractum, humi stravit, tertium cubito graviter pecussum in fugam vertit. Tanta porro modestia, ut nunqvam ipse de se, vel rogantibus amicis diceret: vitæ cultu morumqve elegantia omnibus præter ea gratus dilectusqve. Perstitit autem pluribus diebus ad Plumbinum Alphonsus, sed cum oppidi expugnatio difficilis videretur, neqve jam commeatus in castris esset, & eqvi consumptis arborum foliis, fame
perirent

perirent, dissoluta obsidione recessit. Nec diu postea Rainaldus morbo interiit. Uxor ejus Catherina verita, ne Rex in se viri delictum puniret, missis ad eum oratoribus tributum ei qvotannis, dum viveret, aureum poculum qvingentorum aureorum daturam promisit. Ea mortua solicitis oppidanis, qvem sibi potissime dominum legerent, vicini verò potentatus eum variis artibus ad se trahere conarentur, renunciatum est Manuelem Appianum adhuc è principum suorum prosapia superesse, cui se committere possent. Hic multos annos in militia versatus, nec tamen aut opes congesserat, aut egregio aliqvo facinore nomen qvæsierat: ob qvam rem dimissis jam armis, uxorem Trojæ inter Apulos ceperat, ibiqve tenuiter vitam agebat, nihil minus qvàm dominandi solicitus, cum à Plumbinensibus publicè vocatus est, qvod ei primo nuncio velut somnium visum est. Exin fortunæ ludum libenter amplexus, tanqvam vitæ reliqvum dormisset, in alterum virum mutatus, qvamvis senex principatum iniit, rexitqve postea plerisqve annis civibus suis gratus, & vicinis amicus. Alphonso verò qvi ei fautor fuisset, & stipendium fecit, & censum dedit: decessit autem duobus filiis extra legitimum conjugium sibi natis, minore (qvod eum civitas seniori præferret) hærede instituto.

## CAP. LVIII.

### *De Viterbio.*

IN Viterbio verò non parvi motus fuere: sedente namqve Nicolao qvinto, Princivalles Gattus ejus urbis princeps dum Roma redit, apud lacum Vicensem ab inimicis invasus obtruncatus est. Exin sedente Calixto tertio Gvilielmus ejus nepos noctu domi necatus, ob qvam rem civitas in ultionem solicita, dum malefactores inqviruntur, dum isti fugiunt, illi plectuntur, magnas calamitates perpessa est.

## Cap. LIX.

### *De Roma, & apud eam Eugenio, Nicolao qvinto, & Calixto tertio, summis pontificibus, aliisq; viris multis percelebribus,*

URbis Romæ jam tandem nobis sese res offerunt, qvibus suam narrationem petentibus, servato brevitatis instituto, satisfacere pergimus. Hic Joannes Vitellicus Alexandrinus Patriarcha & Cardinalis & legatus, & patrimonii B. Petri gubernator, & ductor apostolici exercitus, qvi Fulginates, qvi Camerinos tyrannos, qvi præfectum urbis, qvi comitem Antonium Picininum, qvi plures alios ecclesiæ insultantes bello victos neci dederat, dum Pontem Tyberis, qvem S. Angeli vocant, transire nititur, in Hetruriam copias traducturus, ab his qvi molem Adriani custodiebant, repente invasus, vulneratus captusqve in arcem rapitur, ubi paucis post diebus sive hausto veneno, sive ex vulnere vitam finivit. Provinciam deinde suam sortitus est Ludovicus, & ipse Cardinalis, Aqvilegiensis patriarcha, jam rebus gestis & amicitia Pontificis latè cognitus, qvi pacatis in urbe rebus, Eugenio reditum præparavit. Comprehenderant Romani Eugenium, ac libertatem asserentes, apud S. Mariam in Transtybernia regione custodiebant, cumqve cum deceptis custodibus per Tyberim navigio fugeret, jaculis ac sagittis petierant. Fremebat enim populus cum externus miles infestis armis Romanos vastaret agros, homines atqve armenta surripiens. Sed cum pluribus annis Eugenius abfuisset, intellexerant & opulenti cives & inopes Romani sine Pontificis cura, non tam urbem qvàm vastam ac desertam speluncam videri, qvibus ex rebus, missis ad eum legatis, ut in urbem suam rediret, magnis precibus rogavere. Rediit ille nono postqvam effugerat anno. Nec tam ignominiosè pulsus fuerat, qvam exceptus est gloriosè. Fuit cum Francisco Sfortia, & in Piceno, de qvo postea dicemus, & in aliis locis periculosum bellum, qvod per Ludovicum Cardinalem, & Nicolaum Picininum jam sibi reconciliatum confecit, Alphonso rege opem ferente. Cogitaverat Franciscus Sfortia Tudertinam

nam urbem sibi amicam, (nam ejus aliqvando potitus clementi cives imperio rexerat) deinde Romam cum exercitu petere. Erant enim inter Cardinales nonnulli qvi Ludovici potentiam indignantes, Franciscum non qvasi adversus Eugenium, sed contra ejus consilium invitabant, inter qvos Nicolaum Capuensem in urbe gratiosum ac potentem fuisse commemorant. Nam Eugenius per id tempus eum de ipsa re suspectum Roma amovendum curavit, sed cum auxilia ecclesiæ propere advenissent, Franciscus irrito proposito retrocessit. Eugenius verò, qvi qvondam Venetis ac Florentinis studiosissimus fuisset, cum illi hostem suum Franciscum adversus ecclesiam armis pecuniisqꝫ juvarent & ipse ad eorum hostes declinavit Alphonsum regem ac Mediolanensium principem. Et rex qvidem ejus svasu usqve Tiburem venerat, Philippo, cujus opes jam penè collapsæ videbantur, laturus opem, aut in Tusciam contra Florentinos, aut in Galliam contra Venetos profecturus. Sed Eugenius cum qvatuor Cardinales creasset, ex qvibus successorem suum assumendum esse prædixerat, in lectulo ægritudinis jacens, paucis post diebus migravit ad patres, & in Basilica beati Petri apud Eugenium tertium sepultus est. Prius tamen qvàm obiret, Germani, qvi postqvam duos de summo pontifice contendere animadverterant, neutralitate qvadam utentes, utriqve recusaverant obedire, destinatis Romam legatis (inter qvos & ego unus eram à Frederico imperatore missus) obedientiam ei jamjam morituro restituerunt. Ipse verò Theodericum Coloniensem & Jacobum Treverensem Archiepiscopos, qvos pontificali dignitate privaverat, mutata sententia ad pristinos reduxit honores. Magnus profectò & clarus Pontifex fuit Eugenius, contempsit pecunias, virtutem apprimè dilexit, neqve secundis rebus intumuit, neqve succubuit adversis, neqve spes ei gaudium, neqve metus tristitiam auxit, sedatus animus, eundem semper ejus vultum ostendit, sermone brevi, eoqve gravissimo usus est. Durus & asper in hostes, promptior in fidem receptis. Ad hæc proceritas corporis, oris decor, & veneranda in sene majestas. Qvibus fidem adhibuit, plus aliqvanto credidit, & majus imperium, qvam par fuerat, commisit. Hujus pater cum in Ægypto negotiaretur, cum patre Francisci Foscari (de qvo jam mentio facta est) ab eremita, qvem pariter sciscitandum adorsi sunt, non minus lætum vaticinium qvàm ille accepit. Ille enim filium, qvem habebat, futurum patriæ

 princi-

principem, hic ſuum inter ſacerdotes ad ſummum evaſurum didicerat. Eugenio verò Gabrieli nomen in baptiſmo inditum fuit, qvi cum adoleviſſet, conditis parentibus, Evangelii non ſurdus auditor, patrimonium qvod ab illis non tenuè acceperat, inter Chriſti pauperes erogavit. Exin Antonio Corario comite ejuſdem fervoris adoleſcente religionem intravit, in qva ſumma cum laude verſatus, tamdiu cum illo vixit, donec Angelus Corario Gregorius tertiusdecimus appellatus, ſedem Petri ſortitus, cum alter ab altero ſeparari non poſſet, ambos ad ſe vocans: Genuenſi eum, Bononienſi Antonium præfecit eccleſiæ, nec diu moratus, utrumqve Cardinalatus honore dignatus eſt, in qvo ambo claruerunt. Sed hic ſummum pontificatum adeptus, magis enituit, qvi etſi oriente ſchiſmate in principio ſui pontificatus, uſqve ad obitum cum Baſilienſibus contenderit, coronato tamen Sigiſmundo Cæſare, Græcorum & Armeniorum peracta cum eccleſia Latina unione, civitatibus eccleſiæ (qvas amiſerat) recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumacia Romanorum edomita, victor inclytus, hominem exuit. Hic me, qvamvis aliqvando adverſus eum, exiſtimans Deo ſacrificium facere, cum Baſilienſibus ſenſiſſem (nam meo tempore tota nutabat eccleſia) venientem ad ſe benignè recepit, inter ſecretarios collocavit, & apoſtolici ſubdiaconatus honore donavit. Eccleſiam qvoqve Tergeſtinam paucis diebus anteqvàm moreretur, cum falſò rumore vacantem audiſſet, multis illam petentibus, mihi uni ex omnibus deſtinavit, qvod poſtea ſucceſſor ejus implevit.

Nicolaus qvintus natione Tuſcus ex oppido Sarzana, patre medico, theologica doctrina illuſtris, & omni fermè ſcientiarum genere inſignis, poſt Eugenium in Petri cathedram ſuffectus eſt, qvi paucis ante menſibus Cardinalatum ab eo, cum felicem apud Germanos legationem obiiſſet, nec diu prius epiſcopatum Bononienſem acceperat. Hic urbem Romam multis ac maximis ædificiis mirum in modum exornavit, cujus opera ſi compleri potuiſſent, nulli veterum imperatorum magnificentiæ ceſſura videbantur, ſed jacent adhuc ædificia ſicut ruinæ murorum ingentes. Schiſma, qvod apud Sabaudienſes adhuc in eccleſia vigebat, exploſit. Amedeum Papatui renunciantem, in gratiam recepit, Cardinalatus in paterno dominio legationem reliqvit. Cardinalibus aliqvot ab eo creatis, dignitatem dimiſit.

Romanos longa pace ditavit. Jubilæum feliciter geſſit, niſi qvod in ponte ſancti Angeli ex concurſione populorum improvide facta, ducentos circiter homines aut conculcatos, aut in flumine ejectos periiſſe conſtat. Bernardinum Senenſem ordinis minorum profeſſorem, qvi paulo ante obierat, in numerum ſanctorum retulit. Fredericum tertium imperatorem, & Leonoram Auguſtam matrimonio junxit, ac de more junctos coronavit, eorum familias abunde & multa cum laude paſcens. Bis Cardinales creavit, & primo qvidem unum tantum Antonium natione Majoricenſem, ad titulum ſancti Chryſogoni, qvem ſibi philoſophiæ ſtudiis & arcanorum ſacræ theologiæ cognitione ex omnibus parem eligeret. Secundo ſex creavit, aut doctrina percelebres, aut generis claritate inſignes. Inter qvos & germanum ſuum Philippum ſanctæ Suſannæ Cardinalem aſſumpſit, placidis moribus & incorruptæ fidei virum. Libros ex tota Græcia perqviſitos, ad ſe juſſit afferri, & in latinam converti linguam curavit, magna præmia tralatoribus præbens. Acceptiſſimi ei fuerunt in transferendis operibus Georgius Trapezuntius, Laurentius Valla, Petrus Candidus Decembrer, & Georgius Caſtellanus. Item Demetrius natione Græcus, qvi ſoluta oratione utentes, cum pontificis aures mirifice oblectarent, nihil ex eo qvod peterent, non abſtulerunt. In Homeri verò poëmate qvod Heroico carmine Latinum fieri magnopere cupiebat, cum plurimi morem ei gerere conarentur, unus tantum inventus eſt, qvi acri ejus judicio ſatisfaceret: Horatius Romanus, qvi ſcribatum apoſtolicum ea de re conſecutus, magnis pollicitationibus illectus, Iliadem aggreſſus, nonnullos ex ea libros Latinos fecit dignos, qvos noſtra miraretur, priſca non improbaſſet ætas. Nicolaus qvoqve Perottus, Polybio è Græcis commode atqve ornate ad nos traducto: Joannes Tortellius Aretinus, libro de orthographia peritiſſime conſcripto: Albertus Florentinus, conditis de architectura egregiis voluminibus, aliiqve pene innumerabiles nova cudentes opera, ejus Pontificis gratiam meruere. Adeo enim ingenia excitavit fovitqve Nicolaus, ut vix ævum inveniri poſſit, qvo magis humanitatis & eloqventiæ, cæterarumqve bonarum artium ſtudia, qvàm ſuo tempore floruerint. Illud certe nemo negaverit, tot ei à doctiſſimis viris inſcripta eſſe volumina, qvot neqve ſuorum prædeceſſorum, neqve imperatorum cujuſpiam nomini dicata comperimus. Unum tamen

 è do-

è doctis ab eo neglectum miramur Blondum Flavium Foroliviensem, qvi res à declinatione Romani imperii, usqve ad ætatem nostram toto orbe patratas, mirabili ordine in tres digessit Decadas. Romam describendo instauravit, Italiam illustravit, deinde triumphantem urbem scribere adorsus, omnem nobis vetustatem aperuit. Sed ita fuerunt hominum mores: nam perraro qvenqvam extollit pontifex, qvem præcessor amavit. Cæterum Nicolaus & veteribus & novis codicibus ornatissimam bibliothecam instruxit, in qva circiter tria millia librorum volumina condidit. Sacrarium apostolicum vasis aureis atqve argenteis, sacerdotalibus indumentis mirifice decoravit, altaris ornamenta, aulea qvoqve ex auro contexta mirandi operis coëmit, suppellectilem toto palatio necessariam magnificentissime comparatam duplicavit triplicavitqve. Legationibus, qvas publice audivit, ita respondit, ut dubium esset sapientiam ejus aut eloqventiam magis admirere. Si qvos esse in urbe peregrinos existimatione dignos accepit, confestim eos missis xeniis honoravit, nobiles domo sua extorres, qvi ad se venerant, benigne confovit, pauperibus Christi largas eleemosynas dedit. Religiosis mendicantibus nihil ad necessitatem deesse sustinuit, in ædes sacras urbis plurima dona contulit. In patrimonio beati Petri plurimas ac munitissimas arces opportunis locis erexit. Hujus tamen tam admirabilis, tam expetendæ pontificis vitæ non defuerunt insidiatores. Stephanus enim Romanus familia Porcaria tenui censu eqves, res novas sæpe in urbe molitus, ac propterea Bononiæ relegatus, clam inde excedens magnis itineribus Romam rediit, convocatisqve mox amicis, mentem suam exposuit, *turpe esse* dictitans, *eam urbem qvæ totum sibi subjecerit orbem, nunc sacerdotum imperio subjacere, qvos rectius fœminas qvàm viros qvisqve appellaverit. Venisse se paratum patriæ jugum excutere, rem factu facilem si viri fuerint. Nicolaum pontificem celebri epiphaniarum die in æde beati Pauli sacra facturum, haud magno negotio comprehendi posse, populum libertatis amore, qvam proclamari audierit, mox opem audentibus daturum.* Ad colligandum autem præsulem catenam auream secum attulit, à se jampridem paratam qvam congregatis ostendit. Neq; enim mox occidendum præsulem ex usu esse dicebat, sed observandum donec arcem sancti Angeli per eum recuperarent, atqve ut erat homo facundus, facile in suam sententiam congregatos traxit, atqve eò facilius, qvod inopes ære

alieno

alieno gravatos & ob patrata scelera judicium formidantes, ad se vocaverat, qvibus nihil erat in pace sperandum. Sed præsensit insidias Nicolaus, missisqve militibus, comprehendi hominem jussit. Illi eum jam animo fractum, & apud sororem in arca latentem invenerunt. Complices ejus in domo, qva convenerant, expugnati captiqve sunt, è qvibus unus Baptista Sciara manu promptus, & animo intrepido, per medias pontificis cohortes viam gladio sibi aperiens effugit. Stephanus in arce sancti Angeli, alii in Capitolio suspensi vitam finiere, atqve ita Pontifex Max. ingenti periculo liberatus, Romanæ sedis dignitatem imperiumqve servavit: felix Pontifex & omnium judicio beatissimus, nisi eo sedente, Turcæ (ut antè diximus) Constantinopolim expugnassent, Christianorum desidiæ atqve ignaviæ memorabile perpetuum. Accessit & aliud, qvod non parum ejus gloriam imminuit. Nam cum pacis Italiæ (qvæ tum vehementer ferro vastabatur & igne) ipse repertor & arbiter concordi partium voto delectus esset, dum diem ex die in deliberationem ducit, suspectus esse Francisco Sfortiæ jam Mediolanensium principi ac Venetis cœpit, tanqvam eam sententiam promere nollet, qvæ aliis pacem, ecclesiæ bellum allatura videretur: ob qvam rem, intercedente Simoneto monacho ordinis eremitarum sancti Augustini professore, obscuri antea nominis & prorsus ignoti, sed vitæ integritate probato, Veneti cum Francisco duce convenientes, inter se concordiæ leges dixere, præstituta die intra qvam bello socii pacem ratam haberent. Visum est id omnibus monstri simile, humilem & incognitum monachum Italiam pacavisse. Sed recusante Alphonso pacem, qvæ sibi inscio dicta erat, vanam esse Nicolaus, qvæ de se habita fuerat, suspicionem ostendit, misso ad Alphonsum legato Dominico sanctæ Crucis Cardinali, prudentia singulari & vitæ integritate conspicuo, qvi cum Cajetam deinde Neapolim pervenisset, intervenientibus Venetorum & aliarum partium legatis, differentiisqve omnibus tanqvam ex integro discussis, Alphonso regi non solum pacem svasit, sed fœdus in annos qvinqve & viginti inter omnes Italiæ potentatus percussit, cujus Rom. pontifex & conservator & judex dictus est. Sed cum doloribus arthriticis per omnem fermè pontificatum suum Nicolaus vehementer laborans, indies magis ac magis opprimeretur, nec jam amplius mortalem pollutumqve comitatum candidior anima dignaretur, è vita decessit. Ab eo qvæ mihi

ponti-

pontifex Eugenius munera crediderat, non solum confirmata sunt, sed amplius pontificalis dignitas adjecta, Tergestinaqve primum ecclesia, deinde Senensis commissa.

Calixtus tertius post eum beati Petri cathedram obtinuit, natione Hispanus, ex regno Valentiæ nobili genere natus, unus omnium qvi suo tempore scientiam juris profiterentur, eminentissimus, & qvi consilium regis Alphonsi in qvo multis annis præsederat, illiusqve artes ac cautiones præ se ferret. Is ut primum pontificatus apicem adeptus est, mox animum ad delendam Turcarum & legem & gentem convertit, votumqve vovit. Ad eam rem solennes misit in Galliam, in Hungariam, in Orientem legatos, primarios sanctæ ecclesiæ Cardinales, è qvibus nullus adhuc rediit. Alanum tamen Cardinalem sanctæ Braxedis, magno ingenio virum, & animo securo & potenti, propediem è Gallia reversurum putant. Navalia, qvod antea inauditum fuerat, Romæ constituit: triremes, qvas plures ad ripam Tyberis in civitate Leonina paravit, armavit, & in Turcas misit. Comitem Jacobum Picininum Senensibus (ut dictum est) armis insultantem, misso milite suo repressit. Regi Alphonso qværenti ex eo, qvo pacto invicem victuri essent, *regna sua* respondit *ipse regat, mihi summi apostolatus gubernationem relinqvat.* Veras eorum multis de rebus dissensiones, magna pars Italiæ simultates confictas esse credidit: qvi fidem dedere contentioni, alii Calixtum, alii Alphonsum, alii utrumqve accusavere. Qvorum alter regem, sub qvo natus esset, alter suum sacerdotem, cui tanqvam vicario Dei parendum est, ferre non posset. Bis Cardinales à Calixto creati sunt, primo tres, ex qveis duo nepotes ejus fuere, qvorum etsi fuit ætas aliqvanto minor qvàm tanta dignitas videretur exposcere, doctrina tamen & circumspectio & morum svavitas id honoris haud injuria consecuta censetur. Tertius fuit Jacobus de Portugallia, regio sangvine natus, in qvo ea modestia, ea gravitas, id acumen ingenii, id studium literarum, is amor virtutis emicuit, ut qvamvis juvenis adhuc, tardius tamen opinione omnium ad eam dignitatem ascenderit. Secundo loco sex assumpti sunt, haud profecto indignissimi (unum demas) tanto munere. Meo tamen judicio nulli dignius id honoris obvenit, qvam Joanni episcopo Zamorensi, civilis sapientiæ cognitione sublimi, qvi uno de qvadraginta annis Romanam secutus curiam, per omnia fermè officia

castus

caſtus & innoxius tranſierat, cancellariam verò,qvæ à tempore Nicolai vacaverat, Calixtus nepoti ſuo ſancti Nicolai in carcere Tulliano Cardinali ac Marchiæ legato commiſit. Germanum ejus Petrum Borgiam egregia ſpecie atqve indole juvenem eccleſiaſticæ militiæ ducem præfecit, exin præfecturam urbis ei commiſit. Ludovico Cardinali ſanctorum qvatuor coronatorum, & ipſi qvoqve nepoti legationem Bononienſem demandavit. Vincentium natione Hiſpanum, & Oſmundum Anglum miraculorum fama illuſtres inter ſanctos redegit. Legatos in Scythiam, Perſidem & in Æthiopiam miſit, qvi Chriſtianos per orientem in fide continerent, & adverſus religionis hoſtes armarent. Scanderbechio in Albania, multiſqve aliis per Græciam Turcarum bello laborantibus, pecuniaria ſubſidia largitus eſt. Transfigurationis dominicæ feſtum inſtituit, & celebrari publicè juſſit. Aſſumptionem ſuam, priuſqvam Pontifex Max. eligeretur, pluribus annis prædixit: cladem qvoqve, qvam Turcæ apud Albam in Hungaria ſuſtinuere, anteqvam fieret, vaticinatus eſt: nunc qvoqve de futuris multa & magna promittit, qvæ divina pietas non abnuat velim. Mortuo Joanne comite Taliacotio, qvi è proſapia Urſinorum fuit, cum maſcula ei ſoboles nulla eſſet, Urſini hæreditatem ejus propinqvitatis jure ad ſe traxerunt. Id ægrè tulit comes Everſus, cujus filio nupta eſſet unica Joannis filia: ventum eſt ad arma. Columnenſes comiti Everſo auxilium præbuere: deinde hortante pontifice, Proſper Cardinalis Martini qvinti Romani qvondam ſapientiſſimi & feliciſſimi Papæ nepos, ejus gentis honoratiſſimus, & literarum ſtudio latè clarus, cognationem ſuam bello ſubtraxit. Inter Urſinos & Everſum uſqve impacatæ durant inimicitiæ. Latinus ſanctorum Joannis & Pauli Cardinalis illuſtris, Urſinorum familiæ princeps, dexterrimo vir ingenio, juris ſcientia & animo, qvi alta curet, parva deſpiciat, inſignis, ex urbe profectus ad oppida ſua conceſſit, tanqvam Romæ non ſe ſatis tutum exiſtimaret, ſive comitis inſidias veritus, ſive Pontificis indignatione commotus, nec revocatus in hanc uſqve diem reverti voluit. Calixto inter omnes Cardinales duo ad hoc uſqve tempus, imprimis auditi atqve accepti fuerunt. Gvilielmus Rothomagenſis, amœno ingenio, & affinitate ſangvinis clarus, ac Petrus ſancti Marci, Eugenii qvarti nepos, patritia apud Venetos gente natus, & induſtria potens, ſive qvod eorum conſiliis multum ineſſe

 crederet,

crederet, sive qvod alterum Franciæ regnum, alterum Venetorum rempublicam ducere arbitratus est. Simonem Romanæ philosophiæ studiis, & arte medica excellentem adeo dilexit, ut fratrem ejus Jacobum episcopum Ferretanum, qvanqvam virtute præstantem, sua potissimum consideratione rubeo galero donaverit. In audiendis legationibus privatorumqve hominum causis, antecessorum suorum facilitatem longe superavit, epistolas & regibus & amicis per seipsum dictavit. In signandis supplicationibus libens & hilaris tempus absumpsit: de jure interrogatus, percupide respondit: leges & canones tam ei fuerunt in promptu, qvàm si heri aut nudiustertius scholam juris primum exivisset: nihil enim memoria sua excidit, qvod retinendum existimavit. Cæterum nulla facultas ei juris cognitione prior visa est, in qva ipse ita excelluit, ut suorum prædecessorum, qvi sibi possit æqvari, vix unus & alter inveniatur. Hic postqvam ordini Cardinalium me inscripsit, Varmiensem qvoqve ecclesiam ad mare Baltheum inter Sarmatas sitam postulantibus canonicis commendavit. Cujus possessionem, frementibus ea in regione crudelibus & atrocissimis bellis, nondum asseqvi potui.

## CAP. LX.

### *De Umbria & Piceno & diversis in eis bellis à variis ducibus confectis.*

IN Umbria, qvæ hoc tempore sub ducatu Spoletano continetur, paucæ civitates intestinis seditionibus caruerunt. Nursia Qvinti Sertorii qvondam patria, Gvelforum partium insidiis sæpius agitata, vix tandem respirare potuit. Narnia, qvam sulphureo gurgite conditus amnis circuit, ancipiti vix adeunda jugo, Gibellinorum factione depressa Gvelforum consilio & ductu qviescit: non Amerinis, non Reatinis, non Fulginatibus, non Ortanis, non ipsis deniqve Spoletanis suæ calamitates defuerunt. Sed Asisina civitas omnium miserior inventa est, qvæ, dum modò Brachianam, modò Sfortianam factionem admittit, & nunc partem qvæ superior, modo alteram qvæ inferior amplectitur, se procellis fortunæ qvatiendam prostituit. Picentium regionem,

gionem, qvam noſtra ætas Marchiam vocat, Franciſcus vice comes Eugenio qvarto Pontifici Maximo tum rebus Baſilienſibus occupato, ac non ſolum Philippi Mariæ, ſed Alphonſi qvoqve regis inimicitiis implicito, una qvodammodo excurſione ademit, nonnullisqve poſt annis continuata poſſeſſione retinuit. Interim captus amore puellæ, qvæ inter virgines conjugi ſuæ ſerviebat, & ſibi multarum moleſtiarum,& illi necis cauſa fuit. Perpetua ea vocata eſt,apud Novarienſes honeſtis parentibus orta,forma egregia, & ingenuis moribus, niſi potentis domini decepta blanditiis, virginitatem cum adulterio permutaſſet. Hæc cum jam paulatim intumeſceret uterus, ad tegendum facinus qvæſito,qvi eam duceret,viro deſpondetur: conſtituta nuptiarum die, vocatis amicis, apparato grandi convivio, ſponſus in oppido (qvod à Franciſci curia non longe inhabitabat)lætus adventum novæ nuptæ præſtolabatur: ducitur illa multis comitata nobilibus. Sed ingreſſa oppidum, cum deſcendere in domo ſponſi crederetur, juſſa ulterius pergere, in arcem rapta eſt, nec ulterius infelici viro videndæ ſponſæ copia fuit. Qvod cum Blanca Franciſci conjunx cordatiſſima mulier cognoviſſet, nunqvam deinde qvievit, donec immiſſis percuſſoribus puellam qvamvis diligenter cuſtoditam interfecit.Franciſcus ea re valde commotus, uxoris tamen juſto dolori cenſuit ignoſcendum. Exin Pontifex Eugenius jam Philippo Regiqve conciliatus, Nicolaum Picininum cum exercitu adverſus Franciſcum miſit, regemqve ut item in Marchiam duceret,adhortatus eſt. Annuit Alphonſus, delectuqve militum habito, cum florentiſſimis eqvitum peditumqve copiis Picenum pervenit, junctisqve apud Biſium cum Picinino caſtris, eoqꝫ totius exercitus duce conſtituto, conterritos oppidanos in deditionem eccleſiæ compulit: qvorum exemplum & ſancti Severini incolæ ſecuti, claves portarum miſere. Qvæ cum Franciſcus accepiſſet, copiis ſuis per munitiora provinciæ oppida diſtributis, protrahere bellum è re ſua arbitratus eſt. Exin cum Petrus Brunorus è copiarum ſuarum ductoribus, cum octingentis eqvitibus ad regem tranſiſſet, Maceratenſes verò ac Colentinates deditionem eccleſiæ feciſſent, conſentientibus Venetis ac Florentinis, redire ſe in gratiam Philippi ducis Mediolani, ut regis impetum evaderet, amicis interpoſitis ſimulavit: credidit Philippus, literisqve ac nunciis, uti copias in regnum reduceret, Alphonſum fruſtra rogavit. Turpe enim

regi videbatur invito Eugenio rem infectam relinqvi: perseveravit igitur atqve acrius instans, Cingulum oppidum in deditionem ecclesiæ recepit, castrum planum vi captum militi diripiendum dedit, nec territus est, qvamvis Philippus ea re commotus, pacem cum Venetis ac Florentinis fecisset. Sed Æsim cum exercitu petens, Troilum copiarum ducem, cui Franciscus maximè fidebat, (nam & multos annos in eqvitatu suo primos ordines duxerat, & sororem ejus in uxorem receperat) tradita civitate sese dedentem in comitatum suum recepit: deinde Roccham Contratam cum defendente Ruberto Francisci nepote pluribus diebus frustra oppugnasset, ad Metaurum amnem supra Fortunæ fanum, qvo se Franciscus cum reliqvo eqvitatu receperat, continuato itinere duxit. Ibi ad Alphonsum tubicen qvidam à Francisco in castra venit, impetrataqve à rege pro sui ordinis more liberius loqvendi venia, multa nefaria in Nicolaum præsentem Francisci nomine probra congessit, *proditorem ac perfidum appellans*, regemqve admonens, *ne illi se credat, cui fallere potissimum sit.* Postremo Nicolaum Francisci verbis, ad duellum provocavit. In qvo duces ipsi, eorumqve qvædam copiæ de gloria, de dignitate certarent, apparituram qvidem uno prælio ducum simul atqve eqvitum virtutem, simul à rege petiit, ut æqvus spectator pugnæ adesset. Nicolaus jam inde ab initio ea audiens, commotus, haud levioribus conviciis in Franciscum absentem conjectis, fidem suam multis exemplis comprobans, *ægre sibi esse* respondit, *corpus suum vulnere in cervice recepto debilitatum fuisse, ostensurum se singulari certamine, uter eorum proditionis infamia censendus esset, nisi hanc fortuna sibi facultatem abstulisset, oblatam tamen pugnandi cum exercitibus conditionem, læto se animo cum bona regis venia accipere, postero die cum copiis suis sub ipsam urbem Fanum patenti campo futurum:* qvod cum à se postulare Nicolaum decori tuendi causa rex animadverteret, utriusqve partis securitati sese consulturum recepit. Sed cum dicta die Nicolaus in campum cum suis processisset, atqve insultans urbis mœnibus usqve ad portas occurrisset, rex verò procul inde ad mille passus cum exercitu consedisset, liberum utriqve parti præstaturus campum: Franciscus sive regi parum fidens, sive gloriam suam, de qva per id tempus haud dubie jactabatur, in discrimen adducere veritus, intra urbem suos continuit. Magna inter Franciscum & Nicolaum non æmulatio modo viguit ob

rei

rei militaris gloriam, cujus primas parteis sibi uterqve arrogabat, verum & simultas ingens ob veteres inimicitias, qvæ olim inter Brachium & Sfortiam fuerant, qvorum alter Francisco pater, alter Nicolao Magister ac dux fuerat: atq; idcirco, non tantum ut hostes, sed ut inimici inter se bellum gerebant, nec sub uno eodemq; principe ut militarent, adduci poterant. Nicolaus ex corporis brevitate Picinini nomen accepit, sed qvanto mediocritate statura ejus inferior, tanto animi magnitudo superior. Pauca ei verba fuerunt, atqve parum compta, sed qvæ multarum ac magnarum rerum sententiam comprehenderent. In milites suos indulgens, in amicos liberalis, in hostes durus & asper, dimicandi cupidus, qvietis impatiens, gloriæ avidus, & in periculis obeundis promptus ac securus, prælium ex occasione protinus sumpsit: hostem celeritate prævenit, excursione fatigavit, levis armaturæ eqvite magis qvam pedite utebatur, fortes atqve asperos milites amavit, hostium numero deterreri non potuit, diligens & expeditus in exercitu ductando semper visus fuit. Qvibus rebus cum plurimos & in Gallia Cisalpina, & in reliqva Italia triumphos ex hoste duxisset, haud dubie rerum gestarum magnitudine, & gloria magistro suo Brachio major evasit. Franciscus autem honesto corpore fuit, & qvod mediocritatem non parum excederet, amplo pectore, robustis membris & apte dispositis, facie grata, jocundis oculis, calvitie venerabilis, facundia copiosus, ingenio peracri, animo rerum magnarum cupido. Solers in administrandis rebus, in laboribus perferendis infatigabilis, in occasionibus prospiciendis acutus & sagax, in hostibus fallendis versutus & faver, in præsagiendis evitandisqve dolis, ad hostium consilium prævertendum cautus atqve providus. Deniqve ipse in omnibus rebus gerendis adeò aptus, dexter & absolutus extitit, ut ejus veram integritatem sufficienter dicere posse, homini etiam dicendi peritissimo facile videatur minimè. Raro, nisi ex destinato conflixit, hostem sæpius obsidendo qvam decertando confregit. Peditatum magno in precio habuit. Argento atqve auro cultos esse milites voluit. In exeqvendis consiliis celer ac perseverans, ita ut in rebus qvas aggrediebatur, sæpius se virum prudentissimum ostenderit. In omni re novanda præsentia animi, laborum tolerantia, usu, exercitatione, consilio mirificè instructus, qvibus artibus brevi adeo magnus effectus est, ut unus ex omnibus copiarum

ducibus inventus ſit, qvi cum Nicolao de rei militaris principatu concertare poſſit. Nam cum ſcientia rei militaris atqve authoritate pares viderentur, diu dubium fuit, uter alteri anteponendus eſſet. Sed hanc litem, fugatus paulòpòſt Nicolai exercitus, & ingens victoriarum Franciſci curſus, & Mediolanenſium fortuna in eum pleno cornu tralata, prorſus diremit. Cæterum Fani expugnationem cum Rex difficillimam intelligeret, non Franciſci ſolum magni & peritiſſimi ducis præſentia defenſi, verum qvod etiam urbs mari adjacens claudi, ne commeatus intrarent, haudqvaqvam potuit. Inde abiens in Firmanum duxit, qvo in loco cum Alexander Franciſci frater eruptione facta, poſtremum agmen ejus invaderet, converſis in eum ſignis hoſtem intra urbem repulit, atroci pugna pro muris facta, & antemurali qvod pro vallo ſtabat, vi capto. Deinde ad turrim palmarum compoſito agmine pervenienti, Franciſci epiſtola reddita eſt nuntio intercepta, qvæ Troilo ac Petro Brunoro inſcripta, inter cætera ea verba continebat, *ne amplius differentes jam tandem cogitata mutarent.* Qvapropter ambos de proditione ſuſpectos, armis eqvisqve & omni qvantumvis magna ſuppellectile privatos in vincula conjectos, in Arragoniam miſit, & in arce Satabia Valentini agri cuſtodiri mandavit. Nec diu poſtea, cum Temaritani deditionem feciſſent, in regnum ſuum divertit, duobus millibus eqvitum ad Picininum, qvi ad montem aureum cum exercitu extiterat, transmiſſis. Sed poſtqvam illi adventaſſent, Picininus repentino Franciſci adventu invaſus, prælio ſuſus pulſusqve fuerat. Clivus, in qvo caſtra poſita erant, & oppidum proximum diſſipatos ſuga ſervavit. Franciſcus ea victoria ſimul & profectione regis elatus, Picenum undiqve veluti victor percurrere & infeſtare cœpit. Rogatus ab Eugenio Alphonſus eò reverti, cum jam ſe itineri accinxiſſet, novis regni motibus domi retentus, Lupum Virreum, Urſinum, Carſiamqve cum non parvis copiis adverſus Sfortiam miſit. Interea Nicolaus Picininus à Philippo in Galliam revocatus Franciſcum filium cum parte copiarum in Piceno dimiſerat, qvem Sfortia ad montem Ulmum prius pugna ſuperatum intercepit, qvam regis auxilia ei adveniſſent. Poſt hæc Ludovicus Aqvilejenſis Patriarcha eam provinciam ab Eugenio ſortitus, Joannem Vintimilium inter belli duces ſama præſtantem, cum magna eqvitum peditumqve manu à rege miſſum omnibus copiis ſuis præfecit. Cujus induſtria

dustria Aufidum oppidum obsidione clausum, in deditionem accepit. Erant eo tempore non parvæ Philippi copiæ apud Cingulum oppidum contra Franciscum missæ. Nam Philippus cum Francisci reconciliationem jam tandem simulatam intellexisset, Italianum Forlanum in rebus bellicis latè cognitum, qvi Pontificis partes adjuvaret, eò transmiserat. Cui cum Patriarcha & Vintimilius per rectam viam conjungi non possent, nam media loca Franciscus obtinebat, magnis itineribus per montana ad eum pervenere: qvo cognito Franciscus è Piceno descendens, in Urbinatem agrum se recepit. Patriarcha montem Melonem obsedit atqve obtinuit. Deinde oppidum sancti Angeli vi expugnans, diripiendum militi dedit. Vintimilius paulò post ab eo in regnum ad hyberna recedens, per agrum Firmianum non procul à Monte sancto constitit. Cujus adventu conterriti oppidani, emissis oratoribus deditionem fecere: similiter circumjecta castella. Deinde ad montem altum profectus, dies aliqvot ibi mansit. Interim Firmiani conjuratione facta, spe propinqvi auxilii à Francisco defecerunt. Alexandro fratre cum magna eqvitatus parte in arcem compulso, qvibus & Vintimilius & Pontificis copiæ mox auxilium præbuere. Sed cum arx ejuscemodi esset, ut sola fame vinci posset, præmunitis urbis partibus, ne descensus ex arce fieret, Vintimilius uti constituerat, in hyberna concessit. Seqventi anno Alphonsus Remundum Buillum, & cum eo mille eqvites, & totidem pedites ad Patriarcham in Picenum misit. Qvi ubi cum Jacobo Caynano in ecclesiæ castra pervenit, mox Italianus Forlanus mandante Philippo Maria comprehensus est, ac postriduo jussu Patriarchæ apud Roccham Contratam securi percussus. Montem fabrum deinde cepere, & aliqvot Castella Frederico Urbinatium principi eripuerunt. Sed cum jam duo millia eqvitum à Florentinis ac Venetis missa, Francisci exercitum auxissent, Philippus verò, exercitu suo ad Casale majus juxta flumen Padum à Venetis pugna fuso ac castris exuto, copias suas è Piceno revocasset, & amplius Eugenii ac regis auxilia postulasset, ad qvem duo millia & qvingenti eqvites ex castris ecclesiæ jubente Pontifice transierunt, Franciscus jam bello superior, Montem aureum, & alterum ei proximum castellum Sigismundi Malatestæ, (qvi jam ab eo defecerat, ecclesiæ fortunam secutus) expugnavit, & ejusdem oppidum Gradariam obsedit. Interim Rex alia Patriarchæ auxilia misit, cum

qvibus

qvibus in Picenum reversus Jacobum Caynanum proditionis suspectum apud Roccham Contratam, ubi Italianum Forlanum interfici jusserat, capitali supplicio affecit. Exin nihil memoria dignum ab eo gestum, donec Franciscus Philippo reconciliatus, illius stipendia facturus, & jam dux contra Venetos designatus, ex Piceno recessit. Nam postea non solum arx Firmana, sed omnis fermè provincia in ejus potestatem facta est.

## Cap. LXI.

### *De Josia duce Asculano.*

IN Asculo Josias nobilibus ortus parentibus admodum adolescens, Joannem Francisci Sfortiæ fratrem magno animo juvenem, & qvi eam urbem per omne belli tempus egregiè defendisset, conspiratione cum paucis inita incautum obtruncavit. Sed cum & ipse tyrannum in patria gereret, in exilium actus est. Civitas deinde sub ecclesia qvievit, qvamvis anno abhinc superiore idem Josias arcem qvandam naturali situ munitam & urbi propinqvam, cum plerisqve latronibus occupans, non parvas curas illi populo ingesserat: qvæ res ei parum prosperè processit. Nam Rodericus sancti Nicolai Cardinalis, ejus provinciæ legatus, obsidionem loco admovens postqvam arce potitus est, captum ipsum vinctumq; Romam misit.

## Cap. LXII.

### *Qvod apud Urbinates Dux Oddo, & protonotarius Carpensis propter suam in fœminas libidinem fuerunt interfecti.*

IN Urbino Dux gentis Oddo matre Columnensi nobilissima natus, cum per libidinem in matronas nobiles debacchare tur, nec modum licentiæ faceret, populari tumultu interfectus est. Incensor neqvitiæ & adolescentiæ suæ corruptor, Protonotarius Carpensis, nobili genere ortus, sed ingenio pessimo, qvi nuptis ac virginibus qvamplu-

qvamplurimis vim intulerat, qvi per omnia ſcelera ad ſummam vitiorum pervenerat, eadem nocte cum diſcipulo ſuo necatus, inexhauſtæ libidinis pœnas dedit. Cadaver ejus in forum delatum, deſecta virilia in ore mordicus tenuit. Guido pater Oddonis priusqvam conjugem ex Columnenſi familia duceret, cum proles ei nulla virilis eſſet, anxius qvonam pacto in gente ſua imperium propagaret, concubinam ex ſe prægnantem aſſimulavit. Exin Bernardini Cardenſis agnati ſui, præclari copiarum ducis filium, tum forte natum ſupponi pro ſuo nutririqve juſſit, Frederici nomine indito. Sed conjugio deinde contracto, cum filium legitimum ſuſtuliſſet, converſa in eum cura Fredericum adhuc puerum militiæ tradidit, in qva ille ad ætatem uſqve virilem perſeveravit. Deinde Oddone mortuo, vocatus à populo, Urbinatium factus eſt princeps. Clarus vir & caſtrenſibus diſciplinis apprimè inſtitutus, cui nec in adminiſtrandis rebus bellicis conſilium, nec in capeſſendis periculis animus unqvam defuit, nec verò factis qvam fide clarior, qvæ qvidem vel maximè patuit, cum bello Picenti Franciſcum Sfortiam, qvi ad eum ſe receperat, fortunæ afflatu jam pene deſertum, conſtantiſſimè juvit ac fovit. Indignus profecto, qvi militari ludo dextrum perdiderit oculum.

## Cap. LXIII.

### *De Sigismundo Maleteſta Duce Ariminenſi.*

APud Ariminum Æmiliæ urbem, Sigismundus Malateſta ſceleribus inſignis, imperium tenuit, qvi cum Sfortiæ filiam matrimonio ſibi adjunxiſſet, partes ejus in Picenti bello aliqvandiu ſecutus eſt, deinde ſub eccleſia ſtipendia fecit. Militavit in Gallia contra Venetos, & in Tuſcia contra regem Arragonum, qvæ res poſtea magno ſibi detrimento fuit. Nam cùm de pace Italiæ apud Neapolim ageretur, Rex hujus injuriæ memor, cum qvi ſibi fidem non ſervaſſet, extra communem pacem eſſe voluit. Deinde comitem Jacobum Picininum, & Fredericum Urbinatium principem, cum copiis in eum miſit, qvi aliqvot ei non parvi nominis oppida abſtulerunt, ejusqve agrum ferro & igne vaſtarunt. Ipſe cum auxilia fru-

ſtra imploraſſet, ad extremum (qvod unum ſalutis erat remedium) Alphonſo, miſſo ad eum, reconciliari conſtituit, cujus nondum preces exauditæ ſunt, qvamvis ſpem concordiæ regis clementia non parvam effecit.

## Cap. LXIV.

### *De Faventia & Fabrienenſibus.*

IN Faventia mortuo Guidone Antonio, principatum frater ejus Neſtor arripuit, qvi Florentinis contra Regem militans, haud alia ratione qvam Sigismundus ab Alphonſo declaratus hoſtis, extra communem pacem factus eſt. Fabrienenſes, qvi dudum tyrannide oppreſſi, necatis tandem qvindecim ex familia, qvæ principatum invaſerat, fugientibus reliqvis ad eccleſiæ imperium redierant, multisqve poſt annis in pace qvieverant, hoc anno de rebellione tentatos, ſeu ſuſpectos cives aliqvos in vincula adjecere. Exin tormentis ac qvæſtionibus prodito & expreſſo crimine, ultimo ſupplicio affecerunt.

## Cap. LXV.

### *De Aqvila Marſorum urbe, ubi de divo Bernardino Senenſi.*

IN Aqvila Marſorum urbe, apud qvam memoria noſtra Brachius Peruſinus Dux belli formidatiſſimus, dum per anni temporis obſidionem tenuiſſet, Martini qvinti Pontificis Maximi ac feliciſſimi armis victus interiit. Divus Bernardinus Senenſis, poſtqvam Italiam omnem Chriſti nomen prædicando peragraſſet, vitæ curſum peregit, eo in loco ſepultus clarere miraculis affirmatur. Fuit autem Bernardino clara inter Senenſes origo, nec vera eſt aſſertio eorum qvi patriam illi Maſſam fuiſſe tradunt, qvamvis pueritiæ ſuæ ibidē nonnulla rudimenta peregerit. Cæterum pater ac majores ſui longa ſerie inter nobiles Senenſes habiti ſunt, ubi & ipſe natus, & majori ex parte educatus, cum adoleviſſet, juri pontificio ediſcendo operam dedit. Sed cum

cum sepultis parentibus fallaces hujus mundi blanditias, & inania ejus esse promissa animadvertisset, distributa inter Christi pauperes substantia, divi Francisci religionem ingressus, traditam sibi regulam exactissimè observavit: declinansqve majores conventus, eorum ductor ac magister effectus est, qvi fratres observantes appellantur. Maximum autem ei studium in edocendis populis fuit. Qvi cum esset facundia copiosus, & doctrina insignis, incredibili omnium attentione audiebatur, & qvasi alter Paulus esset, vas electionis, in admiratione ac reverentia habitus. Tres eum populi sibi pontificem elegerunt, Urbinates, Ferrarienses, Senenses. Sed non fuit ei consilium linguam, qvæ toti posset Italiæ consulere, unam intra urbem concludere.

## Cap. LXVI.

### *De Neapolitano regno, & multis præliis per Alphonsum Arragoniæ regem, & alios duces non paucos, in ipso regno Neapolitano, & aliis locis factis.*

Regnum jam Neapolitanum ingressi, ad felices Alphonsi mirabilesqve rerum cursus stylum convertimus. Post bellum navale, qvod ipse cum Genuensibus infeliciter gessit, tanqvam cognorit fortuna suum errorem, qvæ tanto principi molesta fuisset, novercale odium in maternum mutavit affectum, & qvæ illi adversissima fuerat, secundissima facta est. Nam Philippus Mediolanensium princeps, ubi captivum regem ad se ductum, & se victorem longè minorem victo animadvertit, mox ex hoste factus amicus, liberum esse jussit, societateq; secum æqvis conditionibus facta, magnis muneribus donatum à se dimisit. Isabella interea conjunx Renati Lotharingiæ ducis, qvi cum Alphonso de regno contendebat, & per id tempus in captivitate Philippi Burgundiæ ducis detinebatur, cum duobus parvis filiis Cajetam venerat, eaqve præsidio firmata, Neapolim se contulerat. Sed Petrus Arrago frater Alphonsi qvi ex bello navali cum paucis triremibus evaserat, reparata in Sicilia classe, præter

ter ſpem invitatus ab altera factione Cajetanorum, nocte profectus ea, Cajetam obtinuit: & expulſo hoſtium præſidio, ſuum impoſuit, miſſis ad Alphonſum navibus, qvæ illum ex portu Veneris advehe-rent. Appulit paulòpòſt Cajetam in eisdem navibus Alphonſus, deinde Capuam petiit, qvæ licet medio tempore ab Iſabella & Jacobutio Condola acriter oppugnata fuiſſet, virtute tamen Joannis Vintimilii ejus loci præfecti, in fide perſtiterat. Ibi Remundus Nolanus regulus Alphonſo reconciliatus eſt, & mox Scaphatum in inſula Sarni ſitum, Caſtrumqve maris in deditionem acceptum. Iſabella, ubi ſe viribus Alphonſi imparem eſſe cognovit, ab Eugenio Romano Pontifice auxilium petiit, qvi Joannem Vitelliſcum Patriarcham Alexandrinum cum tribus millibus eqvitum ac pari numero peditum ad eam miſit: profectus in agrum Campanum Patriarcha, aliqvot caſtella vi cepit, obſediſſetq; Capuam, niſi Joannes Vintimilius octingentos eqvites qvos regina ad eum transmiſerat, ex improviſo invadens fudiſſet, cepiſſetqve. Aggreſſus eſt tamen idem Patriarcha Joannem Antonium principem Tarentinum ad montem Fuſculum, ac eum expugnatis vi caſtris captivum abduxit, eaqve demum lege dimiſit, *ut frater ejus qvingentis eqvitibus ſtipendia Pontifici faceret.* Gerebat Patriarcha & Jacobutius Candola communi conſilio, & amicis animis pro regina bellum, ſed intervenientibus ſimultatibus copias ſepararunt. Interea duorum menſium induciæ inter Patriarcham & Alphonſum factæ, qvibus durantibus, Patriarcha Jacobutio reconciliatus, junctis cum eo viribus prius opprimere Alphonſum ſtatuit, qvam reconciliationis ad eum notitia perveniret. Erat Alphonſus apud vicum Julianum, tribus miliaribus ab Averſa ſecurus in caſtris, cum ſibi nunciatum eſt hoſtes rupto induciarum fœdere adventare, ſibiqve minimè tutum expectare impetum, ob qvam rem ſublatis ſignis, mox Capuam ſe recepit, non tamen abſqve damno ſuorum, qvi poſtremum agmen duxere. Exin cum Patriarcha Averſam ſibi ad inhabitandum tradi ab Iſabella peteret, Jacobutius impediret, rurſus inimicitiæ inter eos ſubortæ ſunt. Sed cum Tranenſes excepta arce Alphonſum dominum appellaſſent, & arx oppugnari cœpiſſet, Patriarcha cum exercitu eò profectus obſidionem firmavit, cui & Jacobutius Candola ab Iſabella rogatus, & Joannes Antonius Urſinus & multi alii ſe conjunxerunt. Firmata obſidione, cum Joannes Antonius haud ex animo

mo bellum gerere crederetur, & naves regis adventare Tranensibus auxilio narraretur, veritus Patriarcha ne intercluderetur, cum parvo navigio ingressus mare tanqvam pecunias ab Eugenio petiturus, in Picenum adnavigavit, deinde Romam se contulit. Milites ejus sine duce relicti ad Candolam se contulerunt. Arx deinde Alphonso dedita est, & Joannes Antonius ad eum rediit. Inter hæc Renatus è captivitate dimissus, cum decem triremibus Neapolim venit, & vocato ad se Jacobutio Candola, & ejus consilio Scaphatum petens, in deditionem accepit: deinde in Sulmonensem profectus, cum frustra urbem obsedisset, agrum vastavit incendio. Nec Alphonsus interea qviescebat, sed Albano ac Celano agro subacto ad Castrum vetus pervenerat, in valle Subletia situm, cui Renatus oblata pro militari more chirotheca prælium indixit: accepit Alphonsus, sed qvæsivit *singularine certamine, an collatis signis cum toto exercitu dimicandum esset, se ad utrumq; paratum esse*, cumqve Renatus respondisset, *universi certaminis cum toto exercitu fortunam se velle subire*, Alphonsus renunciavit *placere id qvidem. Sed qvoniam veteri more ejus fuerit qvi provocetur, diem & locum prælii dicere, se cum exercitu inter Acerras ac Nolam proficisci, qvi campus lata planitie utrisqve idoneus esset, ibiq; eum ad diem octavam præstolaturum.* Hinc orta dissensione, cum Renatus locum, in qvo Alphonsus esset, constituendum diceret, prælium impeditum est. Alphonsus in Nolanum perrexit. Renatus in eum locum, ubi Alphonsi fuerant castra, duxit exercitum, atqve ita suo satis honori iterum factum putavit. Exin Renatus in Pelignos ducens, Castrum vetus subegit. Alphonsus in vallem Cardinam profectus, Arparium oppidum vi cœpit, Marinum Bossam vallis dominum captivavit, Casertinum regulum in fidem recepit. In Lucaniam ducens, oppidum Anglum obsidione fatigatum obtinuit. Nuceriam dedentibus oppidanis accepit. Jam 15. millia eqvitum in castris ejus erant, qvibus fretus absente Renato Neapolim petens, cum Petro fratre binis castris urbem obsedit, decem triremibus in portu collocatis, oppugnatur urbs magnis viribus, nec cives seipsos negligunt. Sed dum Petrus paululum à castris speculandi gratia in littore vagatur, è Carmelitano templo caput tormento ictus, repente occubuit. Vir apud omnes ordines gratiosus, ad rem militarem natus, animi magnitudine & corporis robore excellens, ad subeunda pericula impavidus, acer & manu prom-

ptus, cujus interitu consternato exercitu ejus diei dimissa est oppugnatio. Alphonsus ubi germani jacere truncum cadaver inspexit: *Ad hæc* (inqvit) *ego te frater stipendia duxi, ut esses, qvi mihi tuo sanguine, tuaq. nece regnum parares*, recondiq; loculo corpus jussit, & in arcem maritimam deportari, cui post tempora nactus idonea, dignum suo genere funus duceret. Seqventibus verò diebus cum oppugnatio repararetur, tanta vis imbrium cecidit, ut necessariò ab obsidione discessum, & res in religionem sit versa. Exin Caynanum oppidum, tradente qvodam milite, multis oppidanis occisis, ab Alphonso receptum est, & arx fame coacta in deditionem venit. Renatus interea ex Pelignis reversus Neapolim, ubi qvæ acta fuerant didicit, turrim S. Vincentii opportunè in mari sitam, ad tutelam regiæ arcis vi expugnavit: deinde arcem ipsam pluribus diebus oppugnans, dedente præfecto, cui annona prorsus deerat, in potestatem suam accepit. Alphonsus verò cum frustra obsessis auxilium ferre conatus esset, in Lucanos trajiciens, Salernitanos totamqve fermè provinciam & Brutiorum multos in deditionem accepit. Jacobutius autem Candola præstanti ingenio, & à literarum studiis non abhorrens, atqve in primis rei militaris peritus, qvi sub Bracchio stipendia fecerat, dum castellum qvoddam Jacobi Lagunissæ oppugnare nititur, catarrhi profluvio correptus occidit, clarus profectò regulus, & ingenti laude dignus, si, qvanta industria & rei bellicæ cognitio, tanta illi fides & in promisso constantia fuisset. Joannes Vintimilius & ipse per idem tempus Acerras prodentibus oppidanis, & arcem fame laborantem in potestatem recepit. Aversani qvoqve à Renato deficientes, Alphonsum intromisere, qvi arcem apprime munitam, & forti præsidio defensam, cum expugnare facile non posset, fossatis ingentibus exclusit, & oppugnari qvotidie jussit. Renatus ad Antonium Candolæ filium in Apuliam profectus, cum nihil propterea ab oppugnatione arcis Aversiæ cessari animadverteret, per Candimam vallem, & deinde ab Alphonso qvi occurrerat impeditus, per transversos montes, seqvente Antonio, in Nolanum descendit: nec tamen obsessis apud Aversam opem ferre præsumpsit, cum Alphonsus in castris illic potentior videretur. Sed reversus Neapolim, Antonium Candolam de proditione suspectum comprehendi & in carcerem trudi jussit: qvæ res magno ei detrimento fuit. Nam cum castra illius sub

urbem

urbem posita tumultuarentur, ducemqve suum reposcerent, Antonius dimissus est, qvi contumeliam sibi arrogatam iniqvo ferens animo, mox ad Alphonsum transivit, & arcem Aversanam septimo jam mense obsessam ei tradi curavit: persvaso per epistolam Xantho, qvi cum patre suo militaverat, præfectusqve ibi præsidii erat. Descivit tamen paulòpòst Antonius ab Alphonso. Deinde apud Beneventum ei reconciliatus est, cum arce per proditionem tradita, cives qvoqve consternati in Alphonsi potestatem venissent: qvo tempore & Calathini adactis machinis ab Alphonso expugnati sunt, & castellum Padula & ante Ursariam castra posita. Franciscus Sfortia Renato amicus Arrianum, Trojam, Manfredoniam, Nuceriam, & alia pleraqve oppida per idem tempus in Apulia obtinebat: qvorum custodiam Cæsari Martinengo, cum non parvo eqvitatu commiserat, ipse in Piceno agens. Cæsar cum esset Alphonso infestus, bis extra mœnia Trojæ pugnare ausus, bis ab Alphonso ex acie fusus, turpi fuga in urbem sese recepit: nec multò post Vicarium oppidum resistentibus oppidanis vi captum, præda militi permissa, fœminarum decus regio more servatum. Alexander autem Francisci Sfortiæ frater, sub urbem Thetini Remundum Candolam, ac Riccium & Josiam cum copiis ad Alphonsum euntem repente aggressus, levi certamine fudit: Riccium ac Josiam præceps fuga salvavit. Remundus interceptus est, qvi cum esset Antonii Candolæ patruus, illum secundo ab Alphonso alienavit. Venit & Joannes Cardinalis Tarentinus in regnum adversus Franciscum Aqvinianum Eugenii copias ducens. Sed occurrens Alphonsus, retro eum repulit. Exin rupem Gvilelmi in alto monte sitam castellis circa occupatis fame coactam obtinuit, & paulòpòst Capreas oppidum in insula ejusdem nominis situm, Tiberii qvondam Cæsaris sive delicias, sive latebras dicere malis, tradentibus oppidanorum qvibusdam recepit: nec moratus castra ad Neapolim posuit, simulqve Puteolos obsedit: qvi aliqvandiu fortiter resistentes, tandem rei frumentariæ inopia & defectione regi portas aperuerunt. Turris qvoqve (qvem vocant Octatii) recepta est. Urgebantur interea rei frumentariæ inopia Neapolitani, nec spem aliam habebant, qvam vel Genuenses mari, vel Franciscum Sfortiam cum Antonio Candola auxilium terrestri itinere allaturos esse. Anellus interea faber qvidam cæmentarius, qvem fames Neapolim exire compulerat,

rat, ad Alphonſum profectus, ſi præmium adſit, urbem parvo militum periculo capi poſſe demonſtrat. Deliguntur viri fortes ducenti, qvi cum Anello ejusqve fratre, per oſtenſum aqvæ ductum nocte urbem ingreſſi, mœnia occupent. Rex cum exercitu paratus, ſignum certaminis audaciter expectat. Illi ad domum qvandam perveniunt, in qva unica erat anus, & adulta cum ea virgo: mater cum exclamare cœpiſſet, celeriter oppreſſa, vocem emittere inhibita, filia ſua ſponte conticuit. Et jam ſol exortus erat, nec amplius, qvam viri qvadraginta ex omni numero puteum invaſerant: qvi nuntiare ingreſſum regi debuerant, ſive negligentia, ſive aliam ob cauſam nihil regi ſignificarunt. Exiſtimabat Alphonſus, aut cæſos eſſe qvi miſſi fuerant, aut metu exilire non auſos: profectusqve propius, urbem ab ea parte, qvæ occupanda erat, invadit. Renatus cum ea manu, qvam ad ſubitos inopinatosqve caſus paraverat, citato eqvo ad muros contendit, hoſtesqve procul amovit. Ingens verò pavor & conſternatio eos cœpit, qvi è puteo evaſerant: nec egredi in puteum, ne armorum ſtrepitu proderentur, nec erumpere propter paucitatem audebant. Alphonſus ut vidit nihil à ſuis intus miſceri, deſperatis rebus in caſtra rediit. Renatus tanqvam periculum depuliſſet, relictis cuſtodibus, & ipſe in regiam conceſſit. Nec mora nuntius ad Alphonſum currens, multos è puteo prodiiſſe, atqve in domo tacitos ob metum latere nuntiat. Iterum igitur ad mœnia ſucceditur, inſtauraturqve prælium, ut erumpendi animus latentibus acuatur. Interea filius ejus, qvem nominavimus aniculæ, à ſtatione ſua domum veniens pulſatis foribus aperiri ſibi expetit. Mater, & qvi intus erant exanimati, qvid agant, neſciunt. Vincit tandem ea ſententia, ut reſeratis paululum foribus, manus ei injiciant, eumqve comprehenſum tacere jubeant. Sed ille repente ut armatos vidit, trepidus refugit, hoſtesqve intra urbem eſſe vociferatur. Ad Renatum verò ſubito pervolat, & qvæ viderit refert. At qvi intus erant uno agmine raptim è domo proſiliunt, primoqve impetu mœnia propinqva uno tantum vigile ibi reperto, turrimqve occupant. Renatus eo nuntio ac tumultu excitatus, ad mœnia celerrime reverſus, impetum in hoſtes facit. Alphonſus, qvo ſuis animos addat, ſcalas admoveri imperat. Sed oppidani eam muri partem facile tuebantur, & qvi per ſcalas in captam turrim evaderent, gravium ſaxorum dejectu obſiſtebant.

Dum

Dum pugnatur acriter, obeqvitans mœnia Alphonſus, locum qvendam urbis neglectum eſſe animadvertit, eoqve celeriter ſcalas admoveri jubens, murum obtinuit. Jam verò qvi turrim occuparant, partim graviter ſauciati, pugnam remiſerant, partim præcipites è muro ſe dederant. Eratqve Renatus eam turrim recepturus, niſi à tergo ſubito cum ingenti clamore hoſtes invecti terrorem intuliſſent. Auxit & trepidationem oppidanorum unus ex Alphonſi militibus, qvi per mœnia urbem ingreſſus, conſcenſo eqvo qvem vacuum forte invenit, in hoſtem acerrimè invectus, opinionem præbuit proximæ portæ captæ atqve infractæ. Non tum Renato defuit animus, ſed cohortatus, qvi aderant, in hoſtes fortiter irruens, eorum impetum paululum coërcuit atqve repreſſit. Mox verò, ut creſcente hoſtium numero, ſuos exterritos animadvertit, ſenſim referre pedem cœpit: atqve ingreſſis per divi Januarii portam hoſtium compluribus, in arcem regiam cum paucis ſe recepit. Tum & à fori Boarii porta, & ab aliis diverſis muri partibus irruptio facta, atqve ad prædas diſcurſum eſt, à cædibus tamen temperatum. Mox verò ingreſſus Rex, & prædæ qvoqve finis factus. Inſignis hujus anni memoria expugnatione tantæ urbis, qvæ eo modo capta eſt, qvo annis antea mille per Belliſarium è Gothorum manibus erepta fuerat, qvadrageſimo & qvadringenteſimo ſupra milleſimum ab ortu ſalvatoris Chriſti, is annus erat ab initio cœpti belli unus & vigeſimus. Poſtridie duæ ingentes onerariæ naves à Genuenſibus miſſæ cum frumento applicuerunt, qvæ cognita urbis captura ſub arcem conceſſerunt, Renatumqve omnium ſpe recuperandæ urbis abjecta inde avexerunt. Tres adhuc arces in fide Renati perſeverabant, Capuana, qvæ pactis paucorum dierum induciis, ante Renati abitum ſe dedidit. Regia aliqvanto poſtea & Montana tardius receptæ ſunt, Renatus ad Eugenium Florentiæ morantem ſeſe contulit. Exin in Galliam ulteriorem abiit. Alphonſus munita Neapoli, adverſus Antonium Candolam ducens, ad Carpenonum caſtra poſuit, ubi cum facta pugnandi ab Antonio copia, ineundum certamen reguli dicerent, niſi princeps adeſſet: *ergo* (inqvit Alphonſus) *qvi militi animum addere conſvevi, jam præſentia mea terrorem adhibebo, abſit à noſtro ſangvine ea vecordia*, moxqve galeam induit, ſignumqve pugnæ dedit. Certatum eſt aliqvamdiu nutante victoria. Poſtremo fuſo hoſtili exercitu, Antonius ipſe captus eſt, cui erroris veniam poſtulanti,

non modò ignovit Alphonſus, verumetiam oppida qvæ à patre accepta hæreditario jure poſſidebat, reliqvit; cæteris captivis perhumaniter habitis: nec qvicqvam ex Antonii ſuppellectile, qvæ ingens erat, præter criſtallinum calicem cepit. Poſt hæc Pelignos Marſosqve ſubegit. Manfredoniam & Subindæ arcem in poteſtatem recepit, omnesqve belli reliqvias in Apulia extinxit: ac pacato ubiqve regno, Neapolim rediens in triumphantis morem, exultante populo, magnificentiſſimis apparatibus ingreſſus eſt urbem. Poſt hæc de pace inter Alphonſum & Eugenium actum. Ludovicus Cardinalis Aqvilegienſis & ſua virtute & pontificis autoritate potens, idcirco ad regem miſſus, eam confecit. Leges pacis in hunc modum dictæ. *Eugenius Pontifex Alphonſum regem Neapolitanum decernat, appelletq́. Ferdinando regis filio cui rex poſt mortem regnum deſtinaverat, poteſtatem ſuccedendi faciat, Terracinamq́ regno adjiciat. Alphonſus contra Eugenii autoritati ſe ſubjiciat, atqve opituletur ad agrum Picenum, qvem Sfortia occupaverat vendicandum: ſi qvando Pontifex adverſus Turcas aut Afros bellum ſuſcipiat, rex cum claſſe adjuvet: Sacerdotes regnorum ſuorum ſub concilii prætextu Baſileam profectos revocet. Nec patiatur tres ex ſuis, qvi Cardinales ſub Amedeo Sabaudienſi creati fuerant, revertentes pro cardinalibus ſuſcipi haberivè Matricem civitatem ducalem, atqve Acumulum in Marſis oppida Romanæ eccleſiæ tradat.* Trajecit deinde in Picenum Alphonſus, & qvæ ſupra relata ſunt, felici curſu peregit. Exin domum rediens, cum Genuenſibus duce Raphaële Adurno ea lege pacem fecit, *ut bello ablata nemini petendi jus eſſet. Nec regis hoſtes Genuenſis populus, nec rex Genuenſium reciperet, illosvè commeatu adjuvaret. Genuenſes regi qvotannis dum viveret honoris gratia pateram auream dono darent, ac Neapolim mitterent.* Poſt hæc Antonius paterna ſtirpe Gentilia, per matrem Vintimilius, qvi multa in Apulis egregia facinora Alphonſi gratia feciſſet, ad Fontem populi non procul à Theano, qvo juſſi erant regni principes convenire, cum eqvitibus trecentis profectus, tanqvam unum ex purpuratis autoritate majoribus interficere conſtituiſſet, apud regem accuſatus, clam fugiens Cantanzanum ditionis ſuæ oppidum repetiit, extinctasqve regni lites excitare conatus, non ſolum vicinos proceres, ſed Venetos & alios Italiæ potentatus, ut in regem arma ſuſciperent, & literis & nunciis invitavit. Sed fruſtra illi cuncta ſucceſſere. Nam rex cum copiis adverſus eum profectus, & Crotonam urbem & omnem

mnem ei reliqvum agrum ademit, ipsumqve in Catanciano reclusum, ad deditionem nulla conditione interveniente compulit. Joannem verò Nuceum, qvi contumaciæ Antonii svasor fuerat, oppidis omnibus exutum, regno excedere jussit. Secuta est paulòpòst profectio regis in Tusciam, de qva suo loco relatum est. Unde reversus, non multo tempore interjecto, Fredericum imperatorem, & Leonoram imperatricem ex sorore sua neptem ad se venientes tanto honore excepit, qvantum referre vix Oratori maximo facundia suppetat, donatosq; magnificè ambos à se remisit. Exin qvamvis pacem, ut prædictum est, Florentinis petentibus dedisset, cum tamen capta Mediolanensi urbe à Francisco Sfortia, Leonelli marchionis Estens. interventu, cum Venetis positis inimicitiis fœdus iniisset, alterum tamen in Tuscia bellum gessit, misso in eam expeditionem Ferdinando filio, de qvo satis inter res Hetruscas commemoratum est. Soluta est & pax cum Genuensibus capta nave, qvæ de Chio insula Genuam petebat, ut postea referemus. Ob qvam rem commota republ. Genuensi, Joannes Philippus Flisca gente prognatus, cum qvatuordecim altissimis navibus in portum usqve Neapolitanum adnavigavit, ibi ut regis triremes onerariasqve naves incenderet. Sed repulsus tormentis æneis, inglorius abiit. Nec multis post diebus classis regia ad montem Cyrceum sex Genuensium naves insecuta, cum homines effugissent, demersit, diviti præda in eis recepta. Qvibus ex rebus, qvanqvam de pace tota fermè Italia convenisset, inter Genuenses tamen & regem concordia fieri non potuit: sed cum Genuenses exules ad regis opes confugissent, classis eis concessa est, qvæ Ligusticum vexans littus, etiam urbem ipsam, ut relatum est, oppugnare non dubitavit, & nunc majoribus viribus idem bellum repetiit. Fuit autem Alphonsus cum Fredericus imperator ad eum venit, annos circiter octo & qvinqvaginta natus, corpore gracili, vultu pallido, sed aspectu læto, naso aqvilino, & illustribus oculis, crine nigro, & jam albicanti, ad aures usqve protenso, statura mediocri, cibi potusqve temperans, nec vino usus, nisi aqva multa perdomito. Literis per omnem ætatem operam dedit, grammaticæ apprime peritus qvamvis latinè perrarò loqveretur. Historias omnes calluit, nec poëtas aut oratores ignoravit, dialecticos nodos facilè solvit, nihil ei abditum in Philosophia, arcana theologiæ perscrutatus omnia, de pœnitentia Dei,

de libero hominis arbitrio, de incarnatione verbi, de ſacramento altaris, de trinitate, de difficillimis qvæſtionibus percontanti, & præſto & ſapienter occurrit, in reſponſionibus dandis qvamvis brevis & circumciſus, nunqvam tamen diminutus, ſermone blandus terſusq;. Summa ei cura, ne qviſpiam ab ſe abiret ingratus, petitiones differre maluit, qvàm negare, favit religioni, rem divinam diligenter curavit. Sacerdotalia indumenta, & altaris ornamenta comparavit, qvibus comparari alia nulla qveant. Sacram ac domeſticam ſupellectilem, auream & argenteam admirabilem & incredibilem compoſuit, margaritas, uniones, adamantes, cæteroſqve lapides precioſos toto orbe qvæſitos coëmit: ſacelli in qvo ſacris interfuit, & aularum qvas incoluit, parietes, divitibus atq; aureis pannis ornavit. Veſtivit ſeipſum nitidè magis qvàm pretioſè. Serico rarò uſus, aut oſtreo paludamento. Venatione magnam vitæ ſuæ partem conſumpſit, in bello ſeverus & aſper, in pace clemens ac manſvetus, pepercit facile his qvi contra ſe arma tulerant humanum ſangvinem invitus fudit. Scelera tamen odit, nec impunè ſubditos delinqvere paſſus eſt. Regnum, qvod multis ante ſeculis ſpelunca latronum fuerat, adeò pacatum ſecurumqve reddidit, ut, qvacunqve iter habeas, nullus prædonum metus adſit. Legatis omnibus ad ſe venientibus ſumptus opipare præbuit. Apoſtolicis qvi Cardinales eſſent obviam extra urbem præfectus, qvaſi patres honoravit, naves inſolitæ magnitudinis fecit, & qvaſi qvi procul inſpiciat, ſublimes eſſe arces per mare vadentes arbitretur. Ædificavit pluribus in locis: Sed Neapoli ſupra qvam dici poſſit, ſplendidè ac magnificè arcem regiam, cui Novo caſtro fuit nomen, à fundamentis ejectam iterum erexit, tum opere mirabilem inexpugnabilemq;, tum ſumptu magnificentiſſimam, turribus orbiculari forma ex lapide qvadrato, mirifica ſtructura atqve artificio, muriq; craſſitudine inaudita, & ingenti arcu triumphali ex marmore candidiſſimo excitatis. Reformavit & arcem S. Salvatoris in mari ex Ovo nuncupatam, cujus inexpugnabilis ſitus ad uſum magnificentiſſimæ regiæ redactus eſt. Ampliavit & urbis portum, objecta in profundum maris altiſſima mole, craſſiſſimo muro, turribus munita, ſalubritatem urbi exſiccatis paludibus dedit. Magnus profecto princeps, & in utramqve fortunæ partem probatus, qvi inter cætera ſibi adverſantia, etiam terræmotum


anno

anno abhinc ſecundo paſſus eſt, toto fermè regno, qvalem nec noſtra nec patrum noſtrorum memoria viſum auditumvé ferunt. Nam & multa regni oppida funditus corruere, inter qvæ Arrianum ita abſorptum eſt, tanqvam casmate periſſet. Rara civitas absqve inſigni ruina ſuperfuit, circiter triginta millia hominum inter cadentia tecta periſſe feruntur. Neapolitanorum nobiliores ædes diſciſſæ disjectæqve ſunt. Nec templum in ea urbe læſionem non ſenſit. Sed hodie jam civitas fermè refecta eſt, civium diligentia & Regis liberalitate.

Cæterum clariſſimi regis, qvi ſeculum noſtrum, veluti ſidus qvoddam præfulgidum illuſtravit, haud ab re fuerit qvam breviſſimè velut in epilogo præclara facinora percurrere, qvamvis temporis à nobis recepti pleraqve modum excedant, ex qvibus illuſtriora hujuſcemodi ſunt: Adoleſcens mortuo Ferdinando patre, Arragoniam, & qvæ ab illo in Hiſpania regna ſuſcepit, cum aliqvandiu ſapienter adminiſtraſſet, adoptatus in filium à Joanna Neapolitanorum regina, disſvadentibus amicis, expeditionem in Italiam ſuſcepit. Reginæ opem tulit, Ludovicum ducem Andegavenſem, qvi regnum ſibi hæreditario jure debitum affirmabat, pluribus præliis afflictum expulit. Reginam qvæ malo uſa conſilio ab ſe defecerat, non tam punivit qvam coërcuit. Renatum alterum regni æmulum armis victum cedere compulit. Joannem Vitelliſcum Alexandriæ Patriarcham, magnis copiis inſultantem regno fugavit. Cajetam bis cepit, ſemel acri pugna devictam, & iterum civitatis parte vocante, cum defeciſſet. Neapolim qvamvis Renatus & magnus ineſſet populus, expugnavit: Joannem fratrem Navarræ regem in Hiſpania laborantem armis adjuvit: Maſſiliam inſignem provinciæ civitatem noctu adorſus obtinuit ac diripuit. Ad inſulam Gerbini, qvam veteres Lothophagiten appellaverunt, à continenti Africæ qvatuor millia paſſuum diſtantem, obſidionem admovit. Boſorium provinciæ regem, cum copiis adventantem in proximo littore victum, ex minoribus caſtris ad majora fugere compulit, nec diu poſt ab eisdem tributa ſuſcepit. Ab Eugenio Pontifice Maximo, qvi ſibi de regno contrarius eſſet, qvas tandem voluit leges pacis accepit. Franciſcum Sſortiam ex agro Piceno armis deturbavit, & in Albania & in Oriente per ſuos duces Turcis infeſtus, non parva eis damna intulit. Bis Florentinos ob res Gallicas armis afflixit,

flixit. Bis eis pacem petentibus dedit. Sed majus omnibus eſt & admiratione ſtuporeqve dignius, qvod prælio navali à Genuenſibus (ut antè diximus) ſuperatus, & in Philippi Mediolanenſium ducis captivitatem adductus, mox liberatus potentiſſimo regno potitus eſt, & à victoribus victor tributum accepit, & adeò erga Philippum gratus inventus eſt, ut ab illo ſuprema voluntate hæres ſit nuncupatus. Vera Gothorum ſoboles, ex qvibus derivatum eſſe regium Hiſpaniæ ſangvinem, unde Alphonſi origo eſt, haud qvaqvam ambigunt. Illis & prælio vincere & regna ſibi ſubjicere proprium fuit. Qvorum veſtigia Ferdinandus imitatus, haud diſſimilem filium genuit, qvando & ipſe Arragoniam, Cataloniam, Valentiam, Siciliam: Alphonſus verò eam Italiæ partem, qvæ olim Magna Græcia dicta eſt, pugnando, inſtando, vincendo ſibi ſubjecit: & magiſter Italicæ pacis factus, Hiſpanicarum qvoqve rerum moderator & arbiter eſſe videtur.

*FINIS.*



INDEX

# INDEX CAPITUM.

Cap. I. De mundo in universo forma ejus & plagis terræ pag. 7
Cap. II. An mare circumnavigari qveat, sententiæ. 8
Cap. III. De marium & sinuum diversitate secundum varios autores. 9
Cap. IV. De longitudine & latitudine & climatibus terræ. 10
Cap. V. An sub æqvinoctiali circulo ac torrida zona sint habitationes. 11
Cap. VI. Partitio nostræ habitabilis in Asiam, Africam & Europam treis principales parteis & ubi conjungantur. 12
Cap. VII. Qvi Africæ, Europæ, Asiæ limites: & divisione Asiæ per Taurum montem. 13
Cap. VIII. Generalis distributio Asiæ in sex præcipuas parteis. 16
Cap. IX. De Seribus populis. 17
Cap. X. De gente Atocorum. Ciconibus populis seu alii volunt Sementinis & qvæ de Macino provincia denarravit Nicolaus Venetus. 19
Cap. XI. De Sacis populis qvos & Nomadas appellant. 20.
Cap. XII. De Massagetis, ubi & de adolescente qvi tempore Pii Papæ Solem adorabat. 21
Cap. XIII. De Anthropophagis, Essedonibus, Arimaspis & id genus immanium hominum. 23
Cap. XIV. Qvi populi inter Jaxartem fluvium & Hyrcanum mare incolunt, & de habitantibus sub polo Arcto & Hyperboreis populis. 24
Cap. XV. De Arimphæis populis non absimilibus Hyperboreis. Catajo, qvæ de his locis enarrat Nicolaus Venetus. 25
Cap. XVI. De Sogdianis & Bactrianis. 27
Cap. XVII. De Aria & Hyrcania, & mirifica harum regionum vite. 30
Cap. XIIX. De secunda Asiæ parte & Sarmatis generatim. 33.

Cap. XIX.

Cap. XIX. De Albanis, & de bonitate ſoli ſui & ſimplicitate gentis, & priſca eorum ſuperſtitione. 34
Cap. XX. De Amazonibus & Gargarenſibus, & ex qvibus prolem ſuſcipiebant. 37
Cap. XXI. De Iberia, Iberis, victu, veſtitu & repub. eorum, & qvomodo, qvove tempore Chriſti fidem ſuſceperunt, qvodqve Georgiani nunc appellentur. 41
Cap. XXII. De Colchis, & qvæ flumina Colchidem claudunt, de melle amaro & de Tragelapho, & qvantum Colchis olim claruit. 44
Cap. XXIII. De Dioſcuriade, & apud eam lingvarum varietate & aurati velleris ficta fabula, de victu & veſtitu eorum qvi apud Dioſcuriadem conveniunt. 46
Cap. XXIV. De Syracoris & Troglodytis, & nominum mutatione, & de pellibus, qvæ ab iisdem manant. 47
Cap. XXV. De Alopecia in Mæotide inſula, qvæ miſtorum hominum domicilium continet, qvantave opprimantur glacie & frigore. 49
Cap. XXVI. De Phanagoria, de gigantibus Venerem adorantibus, de Polemonis regis morte. 50
Cap. XXVII. De Zygis & Heniochis, de lemborum magnitudine, & eorum maritimis furtis, de Enochiorum regum pluralitate. 51.
Cap. XXVIII. De Scythis, eorum origine, de ſedibus incertis, eorum victoria, & qvaliter in hos triumpharint Romani. 52
Cap. XXIX. De Aſiaticis Scythis, & eorum ferocitate, unde Attilas, de eorum fœditate, & qvomodo Hungaros velint eſſe Scythas, qvomodove qvidqvam Hungarica lingua ſint loqventes. 55
Cap. XXX. De Parthis, apud eos vario terræmotu, ſermone, miſto, de eorum vario inceſſu, & de regum varia ſucceſſione, atqve in bellis multa nunc regni populatione, nunc autem auctione. 58
Cap. XXXI. De Coſdroa tyranno & victoria Heraclii crucem Domini ablatam ac iterum eſſe reſtitutam, de Mahumethe pſeudopropheta nec non inſigni victoria Tamerlanis Parthorum ducis 66

Cap. XXXII. De ſitu Mediæ ac diviſione generatim, de montibus ejus, fluminibus, Atropatia regione, & lacu Spantha. 69
Cap. XXXIII. De Media magna & ſolo eqvis paſcendis apto, ex hac Veſcos eqvos genus habere, de herba, qvæ Medica vocatur, eqvorum nutritura, abundantia. 71
Cap. XXXIV. De Medorum in Venerem profuſione, de uxorum pluralitate, & Medea, qvæ hic regnavit. 74
Cap. XXXV. De Armenia, qvod Tigris in ea naſcatur. 75
Cap. XXXVI. De Armeniæ montibus variis, qvod arca Noæ in montibus Armeniæ hæſerit, & qvanta nive hi ſint obruti.
Cap. XXXVII. Qvi fluvii ſint in Armenia, & de Arſino lacu, aqva qvæ in illo propter celeritatem impermiſta ſervet, de eqvorum apud eos bonitate, & eorundem opulentia. 78
Cap. XXXVIII. De opulentia Armeniorum, auctione, Thanaide dea, de veſtitu atqve Sarapetis populis. 80
Cap. XXXIX De regibus & tyrannis qvi Armeniam viciſſim invaſerunt graviſſima inter ſe prælia commiſerunt. 81
Cap. XL. Qvomodo Armeni Chriſtiani ſint effecti, & Tyridates gentis illius rex ſit ad baptismum converſus. 88
Cap. XLI. Qvanta ſit longitudo qvantave latitudo Aſiæ minoris. 88
Cap. XLII. In qvot ſit diviſa Cherſoneſus. 90
Cap. XLIII. In qvot ſit diviſa Cappadocia. 91
Cap. XLIV. De ſitu minoris Armeniæ, qvomodo Deum coluit, qvamvis in errores nonnunqvam lapſa. 92
Cap. XLV. De Cataonia, & de Pyramo fluvio ejusqve alveo. 93
Cap. XLVI. De Tyanenſi prætura, qvot Cappadociæ præturæ, ubi Aſiæ fanum in qvod nudæ mulieres nudis pedibus primores ingrediuntur. 95
Cap. XLVII. De Argeo, & qvomodo Cappadocia linguis careat, & de Argei ſitu. 96
Cap. XLIIX. De Mazaca, de exemplo qvomodo parentes vereri debeant pueri hic geſto, qvibus abundet Cappadocia, Onychitem lapidem in ea inventum. 97
Cap. XLIX. De Ponto, qvare Cappadocia aliqvando dicta Leucoſyris, cujus ſit figuræ Pontus. 98
Cap. L. De Gadilonitica regione. 99

Cap. LI. De Themiscyra campo, & qvomodo Pontus regio sit fertilis, & in ea viri docti orti sint. 100
Cap. LII. De Sidena & soli fertilitate. 102
Cap. LIII. De Coma urbe, & qvanta incolarum superstitio, de variis Ponti regionibus, & unde Germani salis habeant excoctionem, de Sandara monte, ubi metalla effodiuntur, & qvi Pontici Christum colant. 104
Cap. LIV. De Heraclia ex qva Heraclides. 107
Cap. LV. De Henetis, Sinopensibus, & de eorum vico, Harmena: unde Diogenes Cinicus & alii complures. 108
Cap. LVI. De Galatia & in eam Gallici hostis pulchra victoria. 111
Cap. LVII. De Lycaonia & lacu Tatta, & de mira salis congelatione, & cujus fraude interierit Amyntas. 113
Cap. LIIX. De Pisidis, & qvomodo Storace sylvæ abundent. 115
Cap. LIX. De Bithynia ejusqve urbibus compluribus. 116
Cap. LX. De Salone Nicæa ejusqve figura. 119
Cap. LXI. De Majori Phrygia, ejusqve urbibus, & qvomodo à Christo delapsi. 121
Cap. LXII. De Mysis, Lydis, & Mæonibus, qvomodo viri hi literati & ad Christum proni. 124
Cap. LXIII. De insigni civitate, qvæ diu sub Attalicis regibus fortunata fuit. 126
Cap. LXIV. De Sardensibus & viris apud hos excellentibus, de Troade & ad hanc pertinentibus urbibus. 128
Cap. LXV. De Adrastia, & qvomodo homines cum serpentibus cognationem habere dicantur. 132
Cap. LXVI. De Dardania. 134
Cap. LXVII. De Ilio duplici, de Ida & ejus fluminibus, deqve pinu qvæ mira magnitudine pulchra est cognominata. 136
Cap. LXIIX. De Ida & ejus fluminibus, deqve pinu qvæ mira magnitudine sua pulchra est cognominata. 139
Cap. LXIX. De Tenedo insula, & qvod in ea castellum fuerit nobilissimum, qvod cum Veneti & Genuenses pro eo multis inter se præliis contenderent, communi consensu est deletum. Item de urbe Alexandrina, qvæ prius Sigæa vocabatur, deqve in ea Sminthæi delubro sacris muribus habitato. 140

Cap. LXX. De agro Lecti, campo Halesio, idem de salibus Tragesæis qvi Etesiis ventis spirantibus sponte nasci dicuntur. 142

Cap. LXXI. De Palæscephi, & qvi ex ea Socratici fuere Philosophi, item de Theophrasto & ejus bibliotheca. 145

Cap. LXXII. De Anderis, mirandoqve lapide, qvi solus combustus in ferrum, cum terra qvadam in argentum falsum. Qvæ terra, si æs accepisset, in aurichalcum vertebatur: de Pitana urbe Æotica, qvodqve apud eam lateres inventi sint, qvi super aqvas innatarent. 146

Cap. LXXIII. De Cluma Æolicarum urbe maxima, & qvomodo Cumani insulsi & hebetes sint putati: item de Larissa. 148

Cap. LXXIV. De Lesbo Ægæi maris insula, & qvot in ea urbes memoratu dignæ sint: item qvi Philosophi, Poëtæ, & rerum scriptores ibidem floruerint: insuper de fœmina qvæ urbem à Turcis una servavit. 150

Cap. LXXV. De Ionia minoris Asiæ regione, de Mileto & Epheso, qvæ totius Ioniæ urbes fuere clarissimæ, de Branchidis oraculum Didymæum Xerxi prodentibus, de viris ex Mileto memoratu dignis, de Latino Endymionis astrologi monte. Item de Averno pestiferas exhalationes habente. 154

Cap. LXXVI. De Samo Ægei maris insula, de tabulis, statuis & colossis in ea pulcherrimis, de Polycrate annulum aureum in mare projiciente, & eum paulo post in piscis à piscatore accepti ventre inveniente, de Pythagora philosopho, & qvod Calliphontis confabulatoris sui animam diu noctuq; secum degere dicebat. 157

Cap. LXXVII. De Icaria insula & qvæ de ea dicta sunt fabulosa, de Ortygia insula in qva Latona peperisse fertur, de Curetibus & Ephesiæ Dianæ templo nonnihil scitu dignissimum. Item qvi apud Ephesum viri memoratu digni fuerint. 159

Cap. LXXIIX. De Colophone, & qvi ex ea viri fuere clari, de Lebedo, & qvod in eo loco scenicorum histrionum fuerit collegium, de Erythris civitate Ionica, de Coryco monte à qvo & Corycæi piratæ sunt dicti. 163

Cap. LXXIX. De Chio insula, deq; in eo vino Ariusio Græcanicorum optimo. Item de Mastiche ibi nascente. 165

Cap. LXXX. De Clazomenis & Smyrneorum ſinu ac civitate, de Leucis gentibus, & qvod apud eas P. Craſſus in prælio occubuerit. 166

Cap. LXXXI. De Magneſia & de juxta eam Thorace monte, apud qvem Daphita grammaticus, propterea qvod reges verſibus inceſſerat, cruci eſt affixus, unde & proverbium (cave à Thorace) natum eſt. Item de Trallibus, & ex eis viris illuſtribus, de Niſſa, & mirabilis naturæ antro Corocino. 167

Cap. LXXXII. De Mycale monte, de Hierapoli urbe, & qvod aqvas calidas habeat, qvæ in Tophum durabantur. Item de ore Plutonio non nihil mirum creditu. 169

Cap. LXXXIII. De Caria, & apud Halicarnaſſum Mauſoleo. Item de Salmaci fonte celeberrimo. 170

Cap. LXXXIV. De Coo maris Ægæi inſula, Langoum à noſtris jam dicta, deqve in ea Venere ab Apelle picta, & qvod in ipſa domus Hippocraticæ oſtendantur adhuc ruinæ. 172

Cap. LXXXV. De Aſtypalæa maris ejuſdem inſula, ex Cycladibus una, & qvod in ea Dianæ Myndradis templum fuit, qvod circumplui crederetur, dein mediterraneis tribus memoratu dignis urbibus Mylaſis, Stratonicia & Alabandis. 173

Cap. LXXXVI. De Antiochia Aſiatica & Cibyreis populis qvatuor linguis utentibus, qvodqve apud eos facile erat ferrum extornari, de Caribus, qvi Leleges dicti ſunt. Item qvi proprie dicebantur Barbari. 175

Cap. LXXXVII. De Lycia minoris Aſiæ tertia parte, deqve in ea Dorica Gerſoneſo, de Gnido promontorio. Item de Caunis populis viridem colorem habentibus. 178

Cap. LXXXIIX. De Rhodo inſula, & qvod apud eam Telchines populi ferri & æris fabricam primi inveniſſe dicuntur, de Coloſſo & Portogenis tabula, de viris in ea claris, de religioſis militibus beato Joanni dedicatis. Item de canibus Chriſtianis adventantibus blandientibus & Turcas morſibus impetentibus.

Cap. LXXXIX. De Lycia in qva tres & viginti urbes in ſuffragiis dandis participabant, de tribus Chelidoniis inſulis aſperis, de Climace monte, qvi iter facientibus cum pelago nudante pervius eſt, & qvod apud eum Alexander per hyemem incidens, cum ſuis

ſuis militibus mare fluctu reſtagnante, umbilico tenus eſt merſus. 184
Cap. XC. De Pamphilia, & in ea Cataracte fluvio admodum qvam impetuoſo, qvodqve in ipſa Pamphilia Chriſti Evangelium ſit ſuſceptum, poſtea in Mahumetis dogma deventum. 187
Cap. XCI. De Cilicia duplici Trachea ſcilicet & Campeſtri, de emporio nomine Delus, apud qvod mancipiorum millia multa qvotidie venundabantur, de Arſinoë & Hamaxia cedrinifera, de Scandaloro oppido, cujus Dominus hominum viginti millia armare poſſet. Item de Athenæo Philoſopho, ruina domus per noctem oppreſſo. 188
Cap. XCII. De Pœlica petra ſcalis exciſa, de Coryco monte & antro crocum optimum producente, deq; ibidem ſpecu flumen ingens emittente, qvodqve flumen ipſum à terra inviſibiliter abſorptum in mare delatum exeat, de Zeniceto Pirata, qvi capto monte Iſaurico ſe cum tota domo concremavit. 191
Cap. XCIII. De Zephyro Ciliciæ promontorio, & Anchiala urbe, in qva Sardanapali ſepulchrum cum ſtatua videbatur: de Cydno flumine & ejus natura, de Tarſo, & qvod apud id viri fuerint percelebres complures, inter qvos & Paulus Apoſtolus. 192
Cap. XCIV. De Mallo urbe, & qvi apud eam viri clari fuere, de montis Amani portis Amanides appellatis, de Pindo amne, juxta qvem Alexander cum Dario conflixit. 194
Cap. XCV. De Cypro inſula & in ea promontoriis, qvodqve in eo cujus ſummitas olympis dicebatur, Veneris Acreæ templum fuerit, qvod mulieribus nec videre nec adire licebat, de Clidibus & Carpaſiis circum Cyprum abjacientibus inſulis, de promontorio unde qvi Apollinis aram tetigiſſent, præcipitabantur. Item de Treta Booſura Palæpapho Arſinoë altera, Hierocepia & Papho. 196
Cap. XCVI. De Acama promontorio, Nicoſia, Famaguſta & Atradenſi, hodiernis in Cypro urbibus qvod apud Coloſſum caſtellum cucurbitæ naſcantur adeo ingentes, qvod ex eis picatis efficiantur dolea. Item qvod æs, metallum, vitriolum, rubigo æris, canna mellis, ex qva ſaccharum excoqvitur, plurimum apud Cyprum abundent. 197


Cap. XCVII. Historia de bello apud Cyprum facto. Item qvomodo Jacobus Cyprius nothus, Soldano fœdum & execrandum præstitit juramentum. 199

Cap. XCIIX. Qvo jure Soldanus Cyprum & Turca Rhodum sibi pertinere dicant. Item disputatio qvi primum populi Asiam minorem coluerint, qviqve duces apud eam armis præcipue claruerint.

Cap. XCIX. De Mithridatis Eupatoris laudibus admirandis, item de mulieribus in Asia clarissimis. 210

Cap. C. De Turcarum origine & moribus. Item de Ottomanorum progenie. 212





# INDEX CAPITUM.

Cap. I. De Hungaria, sive ut nonnulli volunt, Pannonia, de Sigismundo Imperatore Catholicæ fidei ad unitatem insigni redactore, de Alberto rege Bohemo in Imperatorem Romanorum à Germanis electo, de Jacobo Marchiano ad tumultum se dandum crucifixigero, de multis aliis & ducibus & regibus, inter qvos de Matthia, qvi ex Carcere ad regnum est vocatus. pap. 219

Cap. II. De Transsylvania regione, Teutonibus, Siculis & Valachis populis eam incolentibus. 226

Cap. III. De Thracia & populo in ea, qvomodo Byzantium, qvod & Constantinopolis dicitur, à Constantino imperatore Romanorum sit muris & pulcherrimis ædificiis auctum. Idem de Synodo facta super sancti Spiritus processione. 229

Cap. IV. De Turcarum origine & propagatione, victu, & moribus eorum. 231

Cap. V. De bello contra Turcas ab Hungaris duce Johanne Huniade commisso. Item de altero ab iisdem contra eosdem magno Christianorum detrimento facto. 235

Cap. VI. De alio bello per Huniadem, qvi ignominiam apud Varmam acceptam abolere cupiebat, celeriter apparato, & qvod Amurates à vita privata ad bellum ducendum sit revocatus. 241

Cap.

Cap. VII. De Mahumete fidei Christianæ ferali inimico, & qvod Constantinopolim Thraciæ urbem excellentissimam armis & Christiana fide spoliaverit 243
Cap. VIII. De Mahumete in Hungaria ad Savum usqve flumen exercitum ducente, & ab Alba vulnere sub papillam accepto turpiter refugiente. 245
Cap. IX. De Macedonia, urbibus, fluminibus, montibus & aliis in ea rebus. 249
Cap. X. De Boeotia, Thebis montibus & fontibus sacris in ea. 251
Cap. XI. De Hellade, qvæ & Græcia & Attica est dicta. 252
Cap. XII. De Peloponneso & ejus forma, de Isthmo, Examilio muro ab Amurate diruto. 252
Cap. XIII. De Acarnania, & strage memoratu digna à Jo. Vintimilio in ea facta. 254
Cap. XIV. De Epiro XIV. gentes autore Theopompo continente, qvod apud eam Paulus Æmilius imperator Romanorum urbes LXX. funditus evertit, qvodqve in sinu Ambracio Cæsar Augustus Antonium & Cleopatram bello Attico devicit. 255
Cap. XV. De Albanio, inter Dyrrhachium & Apolloniam, regione. 256
Cap. XVI. De Illyricis gentibus, de Manichæis hæreticis, deq; Matronis certo tempore post infirmitatem cum monachis promiscuè manentibus. 257
Cap. XVII. De Dalmatia & Croatia, & ubinam Liburnia. 258
Cap. XIIX. De Istria hodie Sclavonia dicta, & qvod Pomp. Mela & Nepos Istrum amnem à Danubio in Adriam fluere falso crediderunt. 259.
Cap. XIX. De Carnis & Japidibus. 260
Cap. XX. De Carinthia, ritu apud eam novi principis creandi, qvomodo nobiles ex Ingonis principis Convivio

vivio ad Christi fidem fuerunt inclinati, de Consvetudine in fures, & de Comite Henrico viro corruptissimo. 260

Cap. XXI. De Stiria olim Valeria dicta, qvod Fredericus Comes uxorem suam amore concubinæ propria manu interfecit. Item qvod nobilis qvispiam, qvi seipsum laqveo suspendere sæpe cogitabat, optimo in missa audienda est usus remedio. 263

Cap. XXII. De Austria, & aliqvot rebus gestis in ea. 265

Cap. XXIII. De Moravia, per qvam nulli, propter latronum insidias, transitus patet. 270

Cap. XXIV. De Silesia provincia, de mira apud Uratislaviam urbem seditione, deqve Bulione opoliensi, Viro neqve inferos neqve superos esse dicente, animamqve cum corpore interire putante. 271

Cap. XXV. De Polonia regione Vasta, qvod in ea domus luto & macerie componantur, eqvi sylvestres & Viri inveniantur, de Uladislao cum regno baptismum suscipiente, deqve Frederico Brandenburgensi, & Alberto Bavario regnum qvodlibet pro se recusante. 272

Cap. XXVI. De Lituania regione, Vitoldo facile sangvinario in ea regnante, de soli ad transitum æstivo tempore difficultate, gentis in moribus qvalitate, & qvæ super sacrorum diversitatibus Hieronymus Pragensis eremita denarravit. 274

Cap. XXVII De Ruthenis, & qvomodo principatus apud eos soleat assequi. 278

Cap. XXVIII. De Livonia se miseros homines in una sui parte continente 278

Cap. XXIX. De Prutenis & qvomodo fidem Christianam à Teutonicis fratribus sanctæ Mariæ sumpserit. 279

Cap. XXX. De Saxonia, fluminibus, gentibus & oppidis in ea. 284
Cap. XXXI. De Turingiæ oppidis, & nobilibus templis in ea, de ritu mirabili ſuper homine gravioribus vitiis inqvinato. 285
Cap. XXXII. De aliqvot aliis in Saxonia oppidis, & rebus in ea geſtis ſcitu digniſſimis. 287
Cap. XXXIII. De Dania ſive Dacia ſive Svetia, & Norwegia, de Margarita trium regnorum inſigni domina, deqve varia trium regum fortuna. 290
Cap. XXXIV. De Bohemia ſuccinctè 292
Cap. XXXV. De Phryſia, moribus gentis ejus & ſoli qvalitate. 293
Cap. XXXVI. De Holandia & Trajectenſibus, & Selandia, qvomodo Friburgium in jus Sabaudenſium ſit converſium. 294
Cap. XXXVII. De Weſtphalia. 296
Cap. XXXVIII. De Haſſia & aliqvot rebus geſtis in ea. 298.
Cap. XXXIX. De Francia nobili provincia, origine Francorum, & qvi primum Duces & Reges in ea fuerunt. 299
Cap. XL. De Franconia ubi de Alberto viro in armis dexterrimo, & qvod ſuis egregis factis Achilles Teutonicus ſit cognominatus. 302
Cap. XLI. De Bajoaria, & unde gens ipſa ſecundum Strabonem ſit deducta. 306
Cap. XLII. De in Marchionatu Badenſi nonnullis rebus geſtis. Ubi de Svitenſium in hoſtes devictos mira crudelitate. 308
Cap. XLIII. De Ludovico Delphino Viennenſi bellum in Baſilienſes movente, de Amedeo Sabaudiæ Duce, ex ducatu eremum, ex eremo ſummum Ponti-

fica-

ficatum, & ex summo Pont. Cardinalatum subeunte. Item de Bolomero in lacum demerso, & Joan. Segobiensi Alcoranum Mahumetis traducente. 309

Cap. XLIV. De Joanna virgine Lotharingensi, Anglorum copias è Francia fugante, de Flocheto pontem arcis novo commento invadente, deqve Thalboto Anglo duce cum filiis ad Burdegalam in bello cadente. 322

Cap. XLV. Qvod Gandavenses supra viginti milia civium amittentes, Philippo Duci Burgundiæ se submittere, qvodq; Delphinus Viennensis Agnetem occidere tentaverit. 316

Cap. XLVI. De Anglia insula, & qvod olim Britannia, qvodq; Albion fuerit dicta. De rege Henrico, Sofulso, Eboracensi & Somerseto Ducibus. 317

Cap. XLVII. De Scotia & Mirandis apud Orcades arboribus, suos fructus in aves mutantibus. Item de Hibernia. 318

Cap. XLVIII. Qvod Hispania sit in qvinqve regna divisa, & qvod apud ipsam nonnulla scitu digna sint gesta. 319

Cap. XLIX. De Genuensibus, & eorum crebris in principatu reipublicæ mutationibus. 321

Cap. L. De Mediolanensibus, & variis apud eos rebus gestis, Philippo Maria, & Francisco Sfortia, ducibus. 323

Cap. LI. De Venetis, & qvod Franciscus Foscarius dux ab imperio depositus, animam indignatus statim emiserit. 330

Cap. LII. De Mantuanis. 331

Cap. LIII. De Ferrariensibus, & disputatione apud eos inter Græcos & Latinos facta. 332

Cap. LIV. De Bononiensibus, & factione inter Baptistam connetulum & Hannibalem Bentivolum. 333

Cap. LV. De Florentinis, & diversis apud eos rebus gestis. 336

Cap. LVI. De Senensibus & eorum aliqvot bellis. Item de Hermaphrodito. 341

Cap. LVII. De Plumbinensibus, Galeatio Baldasino viro in armis dexterrimo. 343

Cap. LVIII. De Viterbio. 345

Cap. LIX. De Roma, & apud eam Eugenio, Nicolao qvinto, & Calixto tertio, summis pontificibus, aliisqve viris multis per celebribus. 346

Cap. LX. De Umbria & Piceno & diversis in eis bellis & Variis ducibus confectis. 354

Cap. LXI. De Josia duce Asculano. 360

Cap. LXII. Qvod apud Urbinates Dux Oddo, & protonotarius Carpensis propter suam in fœminas libidinem fuerunt interfecti. 360

Cap. LXIII. De Sigismundo Maletesta Duce Ariminensi. 361


Cap. LXIV. De Faventia & Fabrienensibus. 362

Cap. LXV. De Aqvila Marsorum urbe, ubi de divo Bernardino Senensi. 362

Cap. LXVI. De Neapolitano regno, & multis præliis per Alphonsum Arragoniæ regem, & alios duces non paucos, in ipso regno Neapolitano, & aliis locis factis. 363

*F I N I S.*






# ÆNEÆ SYLVII PICCOLOMINEI POSTEA PII II. PAPÆ HISTORIA BOHEMICA.



II 74²

*HELMESTADII,*
Sumptibus JOH. MELCHIORIS SUSTERMANNI,
ANNO M DC XCIX.



# PRÆFATIO ÆNEÆ SYLVII

## Tituli Sanctæ Sabinæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Senensis in historiam Bohemorum, ad illustrissimum Principem & Dominum ALPHONSUM, Regem Arragonum.



*Nteritura esse qvæcunq; nascuntur, atqve homines inprimis, qvos ea de causa mortales appellant, omnes norunt, plurimi damnant. Nam cur hominem natura finxit, cui negata immortalitate spacium brevissimum vitæ indulsit: cornicibus & cervis, qvorum nihil intererat, longissimum largita est ævum? Sed cui de naturæ operibus judicare permissum? qvam nihil esse aliud, qvam Deum vel Dei decretũ dixerim. Ego illud mihi persvadeo, nisi mors introisset in orbem terrarum, ex duobus alterum fuisse necessarium: aut terræ scilicet,*

*quam incoleremus, amplitudinem sine fine patuisse, aut humanam generationem interdictam. Nam quis mundi ambitus homines capiat, in horas absque mortis periculo nascentes? Tot preterea calamitates hominem circumsiliunt, ut mori satius sit, quam vitam producere miseram. Optabant fortasse utcunque vivere, queis vitæ alterius adempta spes. Quamvis & hujusmodi homines mortem sibi aliquando consciverint. At homini Christiano, (qui Deũ fabricasse mundum constanter credit, nec dubitat illum gubernare, quæ condidit, iniquitatem quoque omnem ab eo alienam putat) sacri veteres noviqque sermones fidem faciunt, qui animas ex corporibus excedentes, in alia loca meare tradunt: in queis præmia pro benefactis, supplicia pro malefactis expendant, quamvis in hac mortali vita, & viros bonos in adversis rebus oppressos, & iniquos homines sæpenumero blandis fortunæ afflatibus in sublime raptos cernimus, Licet in omni gente, quæ sub cœlo est, hoc videre: Bohemia tamen testimonio satis fuerit. In qua nostra ætate rejecta Romanæ ecclesiæ obedientia, conculcata parentum religione, sacerdotibus Christi occisis, fanis sanctorum dirutis, sine fide, sine bonis moribus, in latrociniis, in adulteriis, in omni spurcitia viventes, adversus potentissimos reges, innumerabiles populos, peritissimos*

mos

*mos duces, structissimos exercitus invicti perstiterunt, ex qvibus pleriqve ad hoc ævi pervenere delitiis affluentes, pleriqve cum diu ex arbitrio vixissent, non morbo, non gladio ex hac luce, sed naturæ necessitate senio confecti abierunt, ut si nihil aliud qvàm præsentis vitæ cursum animo volvas, beatos judices, qvi tot victoriis potiti, apud suos cives charissimi, inter opes qvàm plurimas inoffensi morbis, qvantum homini licet, ævum produxere. Contrà vero infelices dicas, ac superis odiosos fuisse, qvi pro lege patrum custodienda, pro veritate, pro justitia, pro honestate, aut in exilio pauperes obiere, aut in medio vitæ cursu rapti, ante ora suorum miserabili cruciatu necati sunt. Sed verissima est Christianæ religionis assertio, qvæ post vitam hujus seculi patere alteram asserit, his qvi religiose vixerunt jucundam & beatam, reliqvis molestam & infelicem. Cui sententiæ & Judæi & Saraceni & gentiles, & ipsi qvoqve Philosophi consentiunt, qvos veri conscios & humanæ vitæ magistros putant. Nemo homo est, cui non insit aliqvid boni, & id Deus in terra, & hac transitoria vita remunerat. Neq; enim mole malorum obstante cœlestem conferre lucem potest. Vitia apud inferos plectuntur. Viris bonis, qveis terra clausa est, cœlum patet. Peregrina in terris virtus, in cœlo civis. Zischa igitur,*

 *Ciaccho,*

*Ciaccho, Prasco, qvos felices Bohemi credidere, tot præliorum victores, tanto imperio præditos, Coranda qvoqve & Jacobelius, qvibus ut Apostolis Christi, aut angelis è cœlo missis, populorum aures patuere, cum Procopiis pugna cæsis, cum Joanne ac Hieronymo Constantiæ in magna synodo igni damnatis, apud inferos pœnas dant temeratæ religionis, in æternumq; dabunt. Eosq; procul dubio Rochezana seqvetur, & qvi ei auscultant, divinæ legis temeratores, nisi ante finem vitæ suæ resipuerint. Viri constantes, qvi vel exilium vel carcerem vel cædem pro testamento Christi fortiter pertulere, cùm rege suo in cœlo regnant, ex aliena victoria triumphantes, qvorum multa millia Bohemia tulit. Nam sicut Hussitarum insania Bohemicum nomen labefactavit, ita & fortium virorum constantia illustravit. Nec provincia est, qvæ tempore nostro plures Christi martyres qvàm Bohemia produxerit. Inter qvos eqvitem fuisse non est ambiguum, nobilibus parentibus ortum, qvem captum ab Hussitis, admotum ignibus, pedes primum, deinde tibias, mox genua coxasq;, postremo reliqvas corporis partes exuri passum potius, qvàm illorum insaniæ consentiret. Admiranda sunt, qvæ tempestate nostra inter Bohemos emersere, sive pacem sive bellum recenseas. Mihi vero, dum valetudinis causa in balneis Viterbiensibus*

*biensibus ago, procul ab negotiis Curiæ, haud indigna cura visa est, res Bohemicas scribere, atque hominibus nostris ex Barbaris, quæ partim vidimus, partim vero auditu accepimus, digna memoratu nota efficere. Sunt enim multa, quæ in communi nosse perutile est. Et dum cogito, cujus potissimum nomini dedicem, tu primus occurris, qui seculum nostrum non doctrina solum ac bonis moribus, sed splendore quoque rerum gestarum exornas, & quasi clarissimum quoddam sydus illustras. Tibi ergo Bohemicam historiam dedico. Nam tuo nomini inscripta, facile cum rerum tuarum notitia, quas doctissimi celebrarunt, ad posteros transferetur: quam ego ab origine gentis in hanc usque ætatem, si Deus dabit, producam. In qua etsi vetera digna sunt memoria, illustriora tamen nova existimo, quæ tum certa, tum admirabilia sunt. Nec mea sententia regnum ullum est, in quo ævo nostro tot mutationes, tot bella, tot strages, tot miracula emerserint, quot Bohemia nobis ostendit. Hæc ego tuæ Majestati libens pandam. Vale: & quod ab homine deditissimo tibi mittitur, quodcunque est, legito, boniq; consule.*

## Cap. I.

### *De situ regionis Bohemicæ, de fluminibus ejusdem, & civitatibus ac de Bohemorum moribus.*

Bohemia in solo barbarico trans Danubium sita, Germaniæ portio est, Aqvilonis flatibus tota ferme exposita. Cujus ad Orientem vergens latus Moravi obtinent, & Silesitarum natio: Septentrionem iidem Silesitæ & Saxones, qvi & Misnenses & Thuringi appellantur. Ad Occidentem Advocatorum terra est Bojoariorumqve regio. Meridionalem plagam tum Bojoarii, tum Australes habent, qvi ripas Danubii utrasqve accolunt, nec alia Bohemiæ qvàm Teutonum terra conjungitur. Regionis longitudo latitudoq; penè par: nam formam rotundam ferunt, cujus diametrum trium dierum itinere expedito pateat. Sylva universam claudit, qvam veteres Herciniam vocavere, cujus & Græci scriptores & Latini meminerunt. Flumina, qvæ terram irrigant, universa in Albim exonerantur. Hic in montibus exoriens, qvi Bohemiam Moraviamqve disterminat, mediam fermè provinciam perlabitur, primo in Occidentem, deinde in Septentrionem versus, ubi provinciam relinqvit, per angustias montium & abrupta convallium præceps Saxoniam petit, qvam duas in partes dirimens in Oceanum fertur, ubiqve à Rheno flumine æqvo terrarum spatio distans. Qvod pleriqve Germaniæ terminum, Sarmatiæqve qvondam dixere: sed nostra ætate Oderam fluvium, qvi Silesiam intersecat, & ipsum Viscellam Prutenorum amnem Germania prætergressa Albim in alveo continet. Amnes alii, qvos Bohemi memorant, Orlioze, qvod Aqvilam signat, Egra qvi ex nomine oppidi, qvod alluit, vocitatur, in terra Advocatorum exoriens apud Litomericiam Albi miscetur, sed cunctos Multavia excedit, qvi metropolim regni Pragam influit, hic Saczanaim & Lusmicium & Misam & Albim secum trahit. Oppida toto regno memorabilia, Praga regi pontificiqve honesta sedes, neqve ignobilior Etrusca Florentia, tres in partes divisa, qveis nomina indidere, parvam Pragam, veterem ac novam. Parva sinistrum latus Multaviæ

Multaviæ fluminis occupat, colliqve conjungitur, in qvo sita est regia, ac sancti Viti pontificale augustumqve templum. Vetus Praga in plano jacet, universa magnificis operibus adornata: inter qvæ prætorium & forum & lætam curiam, & collegium imperatoris Caroli, mirificis efferunt laudibus. Jungitur autem minori Pragæ lapideo ponte qvatuor & viginti arcuum. Novam civitatem à veteri fossa disjungit profunda, utrinqve munita muro, & in qvam facile fluminis aqva derivari potest. Hæc qvoqve civitas ampla est, & ad colles usqve protenditur, qvorum alterum sancti Caroli, alterum sanctæ Catharinæ appellant, tertium Vissegradum, in arcis modum exædificatum, ubi & collegium est, cujus præpositum, & cancellarium regni & principem vocant. Post Pragam Litemesce, altera in Bohemia pontificalis civitas, vicina Moravis. Cuthna qvoqve haud parvi nominis habetur: ubi argenti inexhaustæ venæ suffodiuntur, qvamvis nostra ætate sæpius capta exhaustaqve fuerit: & in ipsas argenti fodinas pluviales aqvæ derivatæ. Nec Budvicium contemnere oportet, æqvè splendidum & munitum: habet etiam nomen Slagenverdium. Eaduum, Luna, & utraqve Broda, altera Bohemica, altera Teutonica: Budinge Colonia, Litomericium, Poggiebracium, & qvod regnis dotale dicunt, Grezium: potens insuper, & diutina obsidione memorabilis Pelzina, Zaziorumqve civitas, &, si Bohemiæ dederis, Iglaria, qva iter est in Moraviam. Postremo arx hæreticorum asylumqꝫ Thabor, memoria nostra ex ruinis alterius Hauschæ, difficili loco conditum oppidum, & ab Sigismundo Cæsare civitatis honore donatum. Gelida prorsus regio, pisce atqve armentis abundans, cum volucre ferisqve frumenti ferax. Sicera pro vino utitur, illi Cerevisiam vocant, qvasi ex Cerere factum. Ager toto regno optimus. Circa Zazium colles, apud Litomericium consiti vineis. Vinum, qvod nascitur, acerbum, ditiores ex Austria atqve Hungaria importato utuntur. Sermo genti & Dalmatis unus. Mos vetus in hanc usqve diem servatur, in templis sermone Teutonico plebes docent, in cœmiteriis Bohemico, ubi secularium presbyterorum collegia sunt aut monachorum prædia possidentium. Solis mendicantibus libertas fuit, qva vellent lingua populum instruere. Qvæ res palam indicat, regionem ipsam olim Teutonicam fuisse, sensimqve subintrasse Bohemos. Qvod Strabonis testimonio confirmare licet, cujus hæc verba septimo

commentario invenies: *Sennones, Suevorum natio, ut superius dixi, partim intra, partim extra sylvam habitat, Getarum contermina genti. Suevorum quidem gens amplissima, è Rheno siqvidem usqve ad Albim pervenit fluvium, eorum etiam portio trans Albim loca depascitur, quemadmodum Emondori & Lancosargi.* Hæc Strabo. Plebs toto regno bibula, & ventri dedita, superstitionumqve seqvax, & avida novitatum. Qvoties Cretense vinum caupones venale proponunt, invenies qvamplures, qvi juramento adacti, nunqvam cellam vinariam egredientur, nisi exhausto dolio. Idem efficiunt in electis Italiæ vinis. Qvi paulo excellunt, atqve inter plebem nobilitatemqve medii sunt, audaces, versuti, ingenio vario, lingua præcipiti, rapinarum avidi sunt, qvibus nihil satis esse possit. Nobilitas gloriæ appetens, belli perita, periculorum contemptrix, ac promissi tenax: qvamvis ejus ingluviem explere difficillimum. At universum simul si expendas populum, non est qvi religioni adversetur. Sed profecto in omni gente, qvalis rector, talem invenies & populum. Qvomodo autem & unde hoc genus hominum in Germaniam venerit, scripsi jampridem integerrimo & præstantissimo patri Dominico Cardinali Firmano, tuæ Serenitati amicissimo. Id hoc loco repetere non gravabor, qvando historiæ, qvam teximus, omnino qvadrat.

## Cap. II.

### *De origine gentis Bohemorum.*

Bohemi sicut cæteri mortalium, originem qvam vetustissimam ostendere cupientes, Sclavorum se prolem asserunt. Sclavos autem inter eos fuisse, qvi post universale diluvium condendæ famosissimæ turris Babel autores habentur: atqve ibi dum linguæ confusæ sunt, Sclavonos, id est verbosos appellatos, proprium idioma sumpsisse. Relicto deinde campo Sennaar, ex Asia in Europam profectos, eos agros occupasse, qvos nunc Bulgari, Servii, Dalmatæ, Croaci & Bosnenses incolunt. Nondum ego qvempiam legi autorem, cui fides adhibenda sit, qvi tam alte suæ gentis initium reddiderit. Hebræos excipio, omnium mortalium primos. Multi ex Germanis satis se nobiles arbitrantur ex Romanis ortos, Romani ex Teucris,

Teucris originem ducere gloriosissimum putant. Franci qvi & Germani fuerunt, Trojanum se sangvinem esse dixerunt. Eadem Britannis gloria satis est, qvi Brutum qvendam, exilio profectum, generi suo principium dedisse affirmant. At Bohemi longe altius orsi, ab ipsa confusionis turre se missos jactitant. Cæterùm, nec qvi tunc principes fuerint, nec qvem regem habuerint, nec cujus terræ cultores extiterint, nec sub qvo duce, nec qvibus periculis in Europam venerint, nec qvo tempore, tradunt. Fuisse illic Sclavonos ajunt, dum labium universæ terræ confusum est. Vana laus, ac ridenda. Qvod si qvi Bohemos imitari velint, nobilitatem generis ex ipsa vetustate qværentes, non jam ex turri Babylonica, sed ex arca Noæ, atqve ex ipso deliciarum Paradiso, primisqve parentibus, & ab utero Evæ, unde omnes egressi, facile sibi principia vindicabunt. Nos ista tanqvam anilia deliramenta prætermittimus. Omnes reges ex servis ortos, omnes servos ex regibus, scripsit Plato. Veram nobilitatem sola atqve unica virtus gignit. Multa sunt, qvæ de Bohemis vera ac memorabilia traduntur: ad ea, nugis omissis, festinat calamus.

## CAP. III.

### *De Zechio, primo duce Bohemiæ.*

ZEchius Croatinus haud obscuris parentibus ortus; gentem Bohemicam condidit: qvi homicidio domi perpetrato judicium ultionemqve fugiens, in regionem eam venit, cui nunc Bohemia nomen est: ac montem incoluit Chezip vocatum: qvod vocabulum latinè, *respiciens*, interpretatur. Surgit enim ex medio camporum æqvore fluvios intuens, qvi præcipui Bohemiam irrigant, Albim, Multaviam, atqve Egram. Terram incultam fuisse tradunt, nemoribus atqve sentibus asperam, ferisqve qvam hominibus aptiorem. Credimus id qvidem: nam prisci Germani, qvi ea loca tenuerunt, pastoralem vitam agentes, agrorum culturam neglexerunt, ac more Nomadum alimoniam ex pecoribus trahentes, domesticum in carris tollentes instrumentum, qvocunqve sors tulit & opinio, cum suis armentis convertebantur. Non assentimur Bohemorum historiæ, qvæ Zechium illum, omnemqve familiam suam

(nam frater cognatiqve fugæ comites erant) glandibus ac sylvestribus pomis tantum vitam duxisse affirmat, obliterato jam tum glandium usu: nec post diluvium ex his fuisse hominibus victum crediderim. Illud mihi persvasibilius fuerit, Zechium paucos invenisse cultores, qvos lacte ac venatu viventes, arare terram, triticum serere, fruges metere, vesciq; pane docuerit: atq; ita sibi rudes homines ac penè feros, ad usum mitioris vitæ redactos subjecerit. Nec rursus apud me pondus habet, omnia tum fuisse comunia atq; tàm viros qvàm fœminas incessisse nudos. Neq; enim illa regionis temperies est, ut hominem asservare nudum qveat ex Dalmatia venientem, ubi non defuit vestis usus: nisi fortassis in argumentum qvis advexerit Adamitas, qvi nostra tempestate apud Bohemos emersere, communione rerum omnium nuditateqve gaudentes, qvos brevi deletos constat. Zechio frater fuit nomine Leches, paupertatis & exilii comes. Hic ubi germanum agris ditatum, bobusqve potentem adnimadvertit, ad Orientem profectus, in magna camporum planitie sedem collocavit, Poloniamqve nomen ex loco dedit. Nam planities Sclavonica lingua Pole nominatur. Cujus hæredes in numerosam multitudinem brevi coaluerunt, ac Russiam, Pomeraniam, Casubiamqve, sui generis hominibus impleverunt. Zechii qvoqve familiam, Bohemos, id est, dirivos appellant, mirum in modum germinantes: non solum provinciam à se dictam, sed Moraviam Lusatiamqve pulsis veteribus incolis occuparunt. Dum vixit Zechius, nihil temere, nihil tumultuose actum: ejus imperio sine controversia obtemperatum. At eo vita functo, cum qvisqve sibi principatum vindicaret, diu seditionibus agitata provincia est, sine principe, sine certa lege, judicio tantum multitudinis gubernata. Postremo cum potentiores imbecilles opprimerent, serum atqve incertum esset populare remedium, ex re visum est rectorem assumere, qvi omnibus præsidens imbecilles ac potentiores pari jure gubernaret.

## CAP. IV.

### *De Croco, secundo Bohemorum duce.*

ERat per idem tempus apud Bohemos vir nomine Crocus, justitiæ opinione insignis, ac propterea magnæ apud vulgus autoritatis: hunc sibi principem deligunt, summamqve ei rerum committunt. Cujus tanta moderatio fuit, ut non aliter qvàm pater à provincialibus coleretur. Neqve enim ad suam voluptatem, sed pro subditorum utilitate ac qviete provinciam rexit, ferocemqve populum non tam imperio, qvàm benevolentia qvietum continuit. Hic arcem apud Stemnam condidit, qvam de suo nomine Crocaviam nominavit. Moriens autem tres filias reliqvit, Brelam, qvæ castellum Brelum ædificavit, herbarum ac medicinæ peritam. Therbam sive Therbizam augurem & sortilegam. Tertiam Libussam, qvæ ut natu minor fuit, ita divinarum humanarumqve rerum scientia major.

## CAP. V.

### *De Libussa, filia Croci, qvæ pluribus annis rexit Bohemiam.*

LIbussa autem velut una ex Sibyllis habita, post obitum patris favente populo pluribus annis provinciam gubernavit: & priusqvam Praga ædificaretur, arcem Vissegradensem communivit: fuitqve suum imperium patribus plebiqve juxta gratum. Postremo non crudelitate aliqva, non tyrannide aut socordia usa, sed rectum judicium faciens, popularem favorem amisit. Contendebant coram ea duo ex optimatibus de possessione agrorum. Sententia ex bono & æqvo dicta: potentior humiliori damnatur. Ille tanqvam injuria esset, potentiorem in judicio succumbere, populares appellans, indecorum esse indignumq; ait, tantum populum, tot proceres, tantum imperium, unius fœminæ subesse arbitrio. Ad cujus vocem excitata multitudo, muliebre regimen accusare, vicinarum gentium mores in medium adducere, virum qvi sibi dominetur, expetere. Libussa, indicto

ſilentio, deſiderium ſe populi animadvertiſſe dicit, neqve ſe illos eo fruſtraturam, imperium ſubditis, non ſibi, poſt patris obitum tenuiſſe. Jubet ad diem poſterum redeant. Obtemperatum eſt, itum atqve reventum.

## Cap. VI.

## *De Primislao tertio Bohemorum Duce.*

Libuſſa in concione ubi adeſſe multitudinem vidit, *Ego vobis*, inqvit, *Bohemi in hanc uſqve diem, placidè molliterq́, ut mulieribus mos eſt, imperavi: nulli qvod ſuum eſſet eripui: nullum læſi. Matrem experti eſtis, non dominam. At vobis meum regimen ingratum. More humani ingenii mecum agitis. Nihil diu placet homini. Pium juſtumq́, principem deſiderant populi magis qvàm ferunt. Eſtote ergo judicatu meo liberi: virum qvi vobis præſit, qviq́, ſuo arbitratu capita veſtra judicet, ſicut optaſtis, dabo. Ite, eqvum meum albicantem ſternite, atqve in campos latè patentes adducite, liberum effrenemq́, ibi dimittite: ſeqventes eum qvocunqve ierit. Curret eqvus aliqvandiu, deniqve ante virum ſubſiſtet, in menſa ferrea comedentem: ille mihi conjunx erit, vobis princeps.* Gratus ſermo concioni fuit. Emiſſus eqvus decem millia paſſuum percurrit. Poſtremo ad flumen Bieli ante aratorem conſtitit, nomine Primislaum. Secuti proceres popularesqve poſtqvam ſtantem eqvum, & aratori blandientem adulantemqve viderunt, accedentes propius, *Salve*, inqviunt, *bone vir, qvem nobis ſuperi dederunt principem. Solve boves, atqve aſcenſo eqvo nobiſcum venito. Libuſſa te virum, Bohemia ducem poſcit.* Agrum colere, gregem paſcere, navim regere, texere, ſuere, ædificare, multi ſe ignorare fatentur. Magiſtratum in urbibus agere, regem gerere, gentibus ac nationibus imperare, qvod eſt difficillimum, nemo ſibi à natura negatum dicit, etſi pleriqve ſive laboris odio, ſive otii amore oblatis regnis abſtinuere. Primislaus, qvamvis agreſtis, nuntios benigne excipit, facturumqve poſtulata reſpondit. Tanta eſt mortalibus regnandi cupido, nemo ſe regno indignum putat. Solutos boves, ut fabuloſa eſt omnis antiqvitas, elevatos in aëra ferunt, & in altiſſimam præſciſſæ rupis ſpeluncam delituiſſe, nunqvam poſtea viſos. Stimulum verò, qvo boves urgebantur, terræ defixum, mox fronduiſſe, ac

ac tres coryli ramos emisisse: ex qvibus duo statim exaruerunt, tertium in arborem ejusdem generis proceram excrevisse. Non recipio ad me veri istius periculum, apud autores ista qværantur. Vidi tamen inter privilegia regni, literas Caroli qvarti Romanorum imperatoris, divi Sigismundi patris, in qvibus hæc tanqvam vera continentur, villæqve illius incolæ, in qva hæc gesta creduntur, libertate donantur, nec plus tributi pendere jubentur, qvàm nucum illius arboris exiguam mensuram. Sed nec mihi Carolus fidem facit. Nam Reges plerumqve creduli sunt, nec qvidqvam non verum putant, qvod generis sui claritatem astruit. Primislaus igitur audita legatione, inverso vomere, pane caseoqve apposito, viam qvasi grandem facturus, cibum sumpsit. Ea res Bohemorum animos confortavit, mensam ferream, de qva Libussa vaticinata fuerat, in vomere cognoscentes. Stupentes edentem circumstant, saturum eqvo imponunt, jubentq; festinare. Inter eundum, qvid sibi vult stimulus frondens? interrogant, & cur duo rami mox aruerunt? Ille, qvi divinandi peritia calleret, tres sibi liberos nasci turos ait, ex qvibus duo funere immaturo deficiant, tertium nobiles fructus editurum. Qvod si ager totus aruisset ante vocationem, genus ejus masculinum perpetuo regnaturum fuisse: cum ante tempus accersitus sit, eam spem ademptam. Interrogatus, cur nam calceos qverno robore factos secum afferret: Servandos in arce Vissegradensi respondit, ostendendosqve posteris, ut scirent omnes primum, qvi principatum inter Bohemos accepisset, ex agro fuisse vocatum, neqve insolescendum esse, qvi ex humili fortuna solium ascenderit. Servati calcei diu apud Bohemos, religiose habiti, ac per sacerdotes templi Vissegradensis ante reges delati, dum pompa coronationis educitur. Cum Vissegradum appulisset Primislaus, ingenti favore plebis atqve honore exceptus est: Libussamqve sibi matrimonio junxit. Nec diu moratus, Pragense oppidum aggere atqve muro cinxit. De cujus nomine dum disceptaretur, jussit Libussa ex artificibus, qvi primo occurrerit, rogari qvid ageret, ac ex primo verbo ejus vocari oppidum. Interrogatus faber lignarius qvispiam: limen se agere dixit, qvod Bohemice, Praha dicitur, indeqve nomen urbi datum. Sed corrupto vocabulo posteri Pragam dixere. Exinde leges conditæ, qvibus Bohemi longo tempore usi, provincia pace & otio fruens, opibus aucta est. Et Libussa castellum Libus ædificavit,

ficavit, non longe ab 'Albi flumine: qvod morienti sepulchrum fuit. Qva mortua, imperium ad Primislaum solum rediit, qvod, vivente conjuge, ejus maximo consilio administravit, fœminarum, qvæ illa vivente plurimum poterant, autoritas extincta.

## CAP. VII.

### *De puella Valasca, qvæ principatum Bohemiæ, more Amazonum, septennio potenter obtinuit.*

SEd fuit inter virgines, qvæ Libussæ ministrare solebant, Valasca puella ingentis spiritus & Amazonicæ mentis, qvæ clanculum accersitis comitibus, *Heram*, inqvit, *ô sorores perdidimus, qvæ nos à virorum contumelia vindicavit, nec passa est servire viris: contra, viri ejusdem imperium subiere, nos Reginarum honore fungebamur. Nunc jugum asperum & miserrimum ferre oportet, nisi libertatem nobis ipsis vendicemus, vilissima mancipia sumus. Qvod si vobis id animi est, qvod mihi, facile pristinam autoritatem obtinebimus. Ego secretorum Libussæ conscia, Therbizæ qvoqve sortes novi, herbarum vires non minus qvàm Brela calleo, qvod tres habuere sorores, hoc mihi soli datum est. Adsistite audenti, vobis imperium in viros polliceor.* Probant singulæ Valascæ consilium, conjurant, poculum recipiunt, qvo virile genus odissent. Interea loci Primislaus virginem sibi per qvietem sangvineum ministrare potum videt. Territus somno, ac malum, qvod erat futurum, suspicatus, primores terræ admonet, ne tantum licentiæ fœmineo sexui præbeatur. Mos enim virginibus erat eqvos ascendere, fatigare cursu, flectere in gyrum, hasta contendere, gestare pharetram & arcum, sagittare, jaculari, venari, nihil officii virilis omittere. Qvod Primislao tum periculosum, tum bonis adversum moribus videbatur. At proceres ridere principem, fœmineum sexum nil ausurum magis credere. Mirari tanto magis atqve amare puellas, qvanto agiliores ac doctiores dicerentur. Valasca monere interdiu noctuqve conspirationis socias, spem bonam facere, audaciam augere, poculis atqve carminibus mentes earum à virorum amore avertere, dietim plures

plures allicere, provinciam universam veneno inficere. Ubi jam virginum ac nuptarum satis convenisse arbitratur, mandat omnibus suos viros, parentes, germanos, filios mares, omnes somno vinoqve sepultos nocte occidant, armis eqvisqve arreptis, in campum prodeant, non longe à Praga monstratum. Maturatur scelus, virorum qvantum imperatum erat interficitur, veniunt in campum armatæ fœminæ, prostratoqve virorum exercitu, qvi parricidas inseqvebantur, ducem in arce Vissegradensi obsident. Qvam cum expugnare neqvirent, castellum sibi haud procul inde in prærupto undiqve colle naturaqve munitissimo ædificant, qvod Dievizum appellant, qvasi virginum castrum. Dievizæ namqve eorum lingua virgines nuncupantur. Res visa patribus plebiqve perniciosissima, tum propter admissum scelus, tum qvod illarum exemplo reliqvas adduci fœminas verebantur, & hostem cuiqve domi esse formidabile fuit. Hortantur itaqve principem, ut puellas bello coërceat, se cum copiis affuturos promittunt. Primislaus se à Diis admonitum ait, perituros omnes, qvi puellas armis lacessant, tempus aliud expectandum. Illi spreto consilio, coacto sine principe exercitu, castra ad Dievizum ponunt, puellasqve cingere obsidione pergunt. Valasca nil territa, in majori discrimine majorem adhibet animum, comites ne mente labantur, plena fiducia hortatur, advenisse tempus affirmat, qvo toti Bohemiæ leges imponant, videre se omnes provinciæ optimates in suam potestatem venisse, vires tantum acuant, victoriam in manibus esse. Neqve novum viros mulieribus obedisse, Amazones sibi Asiam vectigalem fecisse, pugnasse ad Trojam, Thesei atqve Herculis arma contempsisse. Si consilium atqve animus mulieribus adsit, vires haudqvaqvam deesse, nullius Bohemi consilium suo præferre. Ubi persvasum multitudinem animadvertit, palantes hostes & nil tale verentes, aggreditur. Fit trepidatio totis castris. Mox fœda oritur fuga, instant virgines, virosqve passim trucidant. Neqve aliter pugnatum est, qvam si muliebres viri animos, viriles fœminæ induissent. Pauci ex ea pugna evaserunt, qvos velocitas eqvorum, non sua virtus, à morte redemit. Singularis audaciæ in hoc prælio septem puellas fuisse memorant, Maladam, Nodeam, Svataciam, Vorastam, Radgam, Zastanam, Tristanam: Reginam sua manu septem viros interemisse. Spolia ingentia capta, præmia pro meritis reddita, septem qvæ virtute

tute præſtiterant, torqvibus aureis atqve armillis donatas, Valaſcam veluti deam habitam, neqve poſt id prælium Bohemis adverſus puellas audaciam fuiſſe. Illæ populari agros, abducere prædas, rapere, occidere, villas incendere, potentiam indies augere, fingere interdum ſe virorum amore teneri, amatorias epiſtolas nobilibus adoleſcentibus mittere, deteſtari faſtum atqve inſolentiam Valaſcæ, ſimulare fugam, rogare, ut in ſylvam potenti manu venirent, ac ſe raperent. Juvenes qvi puellarum facinora magis admirarentur qvàm odiſſent, victi blanditiis captiqve nonnullarum ſpecie, (erant enim pleræqve pulcherrimæ) imperata faceſſunt. Sed ingreſſi ſylvas, inſidiis circumventi trucidantur. Alii nova fraude in arcem vocantur, Valaſcam velut per traditionem comprehenſuri. Qvi mox intromiſſi, ad unum necantur. Ubi jam nulla fides virginibus eſt, commentum inauditum excogitant.

## Cap. VIII.

### *De puella Sarca, qvomodo doloſe nobilem Stiradam deceperit, mortiq́ tradiderit.*

SArca erat inter puellas admodum honeſta facie, ſed animo impuro, & ad omne ſcelus parato. Hanc in altiſſimo nemore ſtrictis pedibus ac manibus arbori alligant, tubámqve venatoriam, ac vaſculum medone plenum juxta ponunt: ipſæ in inſidiis haud procul deliteſcunt. Solebat hac iter ſæpe facere Stiradus nobilis eqves inter Bohemos, opibus & autoritate potens, & qvi puellarum tyrannidem præ cæteris abhorreret, atqve perſeqveretur. Is ergo cum ſylvam pro ſuo more venaturus intraſſet, puellamqve vinctam conſpicatus eſſet, miſerabundus qvid ſibi ea res vellet, percontatur. Cui Sarca: *Noſti*, inqvit, *qvot ſcelera his in regionibus Valaſca perpetrarit, dum ſibi potentiam regnumq́ vendicat. Ego qvoqve pariter in furorem acta, inſaniam ejusdem aliqvandiu ſecuta ſum. Peccavi fateor, pœnituit me tamen tot ineptiarum deniqve, cogitaviq́ qvonam modo ſceleſtam relinqvere vitam poſſem: ſtatui ab iniqva diſcedere domina. Sed dum comitem fugæ qværo, prodita captaq́ huc deducor, hic de me ſumere ſtatuerat ſupplicium ſangvinaria carnifex. Interea dum ligor, dumq́ mihi ultima verba dicuntur, ut*

auditus

*auditus est tuorum canum latratus, atqve hinnitus eqvorum, illa mea sociæ salutem pedibus qvæsiere. At ego te vir clarissime, qvem unum perfida turba metuit, per nobilitatem tuam oro, miserere infelicis fœminæ. Solve me obsecro, atqve abducito, aut si hoc non placet, jugula me potius qvam hic vivam deseras. Namqve ubi abieris, mox aderit iniqva virginum cohors, meq; diris lacerabunt modis. Juvat tua manu perire.* Stiradus lachrymis motus muliebribus puellæqve forma captus, eqvo desiliens vincla solvit, rogatqve medonis vasculum simulqve tuba apposita qvid sibi velint. Tum Sarca, *medonem*, inqvit, *optimum carnifices attulerunt, qvo inter cruciandum uterer*, hunc jam læta securaqve bibam, & haustu sumpto, qvod reliqvum fuit Stirado propinavit, qvi pariter bibit. Erat autem potus svavissimus, qvem Bohemi ex albo melle conficiunt, sed qvam mulieribus saluber, herbis & carminibus adhibitis, tam viro pestilens, qvi mentem Stirado prorsus alienavit. Exinde, *tuba hac*, inqvit, *mea fuit dum venarer, qvam mihi mortuæ ad collum suspendere statuerant pessimæ, qvasi venatricis signum. Inflabo ut intelligant me viventem, suisq; manibus ereptam esse.* Moxq; tuba cecinit. Valasca ubi sonitum audivit, ex composito cum armatis puellis adest, Stiradum incautum capit, comites ejus obtruncat. Ferunt dum hæc agerentur, auditum tota sylva ingentem veluti ridentium strepitum, ubi dum esset hominum solitudo, creditum dæmones de puellarum facinore ac fallacia cachinnatos. Illas vero instructo exercitu Stiradum catenis vinctum, in conspectu arcis Vissegradensis deduxisse, ibiqve prospectante Bohemorum principe nobilem virum rotæ supplicio, qvod est inter Germanos atrocissimum ac miserrimum, peremisse. Post hæc jam plane regionis dominas viros sibi adscivisse, ex qvorum complexu novis fœtibus rempublicam sustentarent, sancitumqve lege, ut natæ fœminæ diligenter asservarentur, masculis dextri oculi eruerentur, amputarenturqve pollices, ne viri facti arcus tendere aut armis uti valerent. Idqve aliqvandiu factitatum. Septem annis ea pestis Bohemiam afflixit, tributariaqve magna ex parte provincia virginibus fuit. Qvi detrectavere imperium: intra mœnia clausi, nusqvam exire audentes, magnis incommodis affecti sunt. Deniqve cum necessaria deessent, eoqve perducta res videretur, ut coactos fame deditionem facere oporteret, tumultuarie principem adeunt, dirum puellarum bellum deplorant, ignaviam ducis accusant, malle se fœminis obedire

 qvam

qvam perire inedia dicunt, aut populum tueatur, aut meliori cedat, probris & contumeliis minas adjiciunt. Primislaus tot angustiis circumventus, cum non tam armis, qvam sortibus valeret, plebem paucos adhuc dies expectare hortatur, id si faciant, puellarum excidium imminere. Paret multitudo. Ipse medio tempore scribit Valascæ, injussu suo optimates provinciæ arma in eam sumpsisse, placere sibi eos subiisse pœnas. Se illam filiæ loco amare, neqve invidere principatum, qvæ conjugis suæ Libussæ discipula extitisset, imperium virtuti suæ deberi, qvæ Bohemiam virili audacia bello attrivisset, senium suum regno ineptum, neqve filio impuberi gubernationem credendam, monere ut arcem Vissegradensem ex manibus suis accipiat, sic Bohemiam totam in potestatem ejus venturam, filio qvam velit partem faciat. Sibi privato, qvod restat ætatis, vivere libeat atqve in agrum reverti, qvem reliqvisset invitus. Potestatem qvam sibi fœmina tradidisset, jure optimo se fœminæ restituere. Capitur Valasca suis artibus missaqve puellarum cohorte, tradi sibi arcem postulat. Intromissæ virgines apud principem opipare epulantur. Interea prosilientes ex insidiis juvenes armati, puellas omnes trucidant, nec morati castellum Dievizum cum excercitu petunt. Valasca re cognita, furore amens, cum paucis obvia egreditur, consertoq; prælio priusqvam comites assint, dum strenue pugnat, inter confertissimas hostium turmas occiditur. Subsecutæ virgines, ubi dominam cecidisse cognoscunt, non tam spe victoriæ, qvam ultionis ardore certamen instaurant. Pugnatum est aliqvandiu, nunc huc, nunc illuc victoria inclinante: ad extremum infeliciter præliantes fœminæ, cæsis qvam pluribus, fugæ se commiserunt. Subsecuti hostes, uno agmine victores cum victis castellum irrupere, potitiqve arce, qvicqvid fœminei sexus inventum est, ferro extinxere, atqve hoc pacto magnanimi juvenes dominatu fœmineo Bohemiam liberarunt. Valasca inter fœminas clarissimas numeranda, plus ausa qvàm sexui suo congrueret, insepulto cadavere jacens, feris ac volucribus esca fuit.

## CAP. IX.

### *De Nimislao qvarto, ac Mnata qvinto, Vorcioq́ꝫ sexto, nec non Vinslao septimo Bohemorum ducibus.*

PRimislao ex Libussa tres filii nati, duo immaturo rapti funere, tertius morienti seni hæres dictus, Nimislaus nomine, qvod nihil excogitans interpretatur. Fuit enim stupidi ingenii & prorsus iners: inter scorta & concubinas otio marcens. Molliciem ejus fortuna consovit: qvæ pacem illi perpetuam dedit, nullo vicinorum arma movente, nec seditionibus studente populo, qvem diutina virginum bella prorsus extenuaverant. Huic Mnata filius subsecutus est. Mnatam Vorcius, cui duo fuerunt filii, Vinslaus & Uratislaus. Inter qvos moriens partitus est terram. Vinslao Praga & ducatus Bohemiæ cessit; Uratislao Lucensis principatus, qvi post Zacensis dictus est.

## CAP. X.

### *De Grezomislao, qvi & Neclam dictus est, octavo Bohemorum duce. Et gravi bello, qvod gessit cum patruo suo Uratislao.*

EX Vinslao natus est Grezomislaus, qvi & Neclam dictus est, unicum timoris & pacis exemplum. Cujus ignaviam in animo volvens patruus, optimum instrumentum ad subigendam sibi Bohemiam ratus, arma movens plura adversus eum bella feliciter gessit. Qvibus magnificatus & auctus, urbem condidit inter duos montes Mecdnam & Pubecham, qvam de suo nomine Uratislaviam nuncupavit. Neq; contentus prioribus victoriis, novum nepoti bellum indicit capitalem pœnam interminans, qvi gladii longitudinem æqvantes in prælio deessent. Jubet qvoqve purpuratos suos falcones atqve accipitres secum afferant, qvos humana carne pascere velit, non ad

 pugnam,

pugnam, ſed ad cædem iturus. Poſtremo ſe nulli ætati parſurum dicit, ipſosqve lactentes pueros ab ubere matrum rapi atqve confodi mandat, mammasqve mulierum pullis eqvorum ſugendas tradi. Inſolens ſanè ac ſuperbiſſimus, & fortaſſe crudelior qvàm ſi viciſſet. Parte alia, Neclam vir muliere corruptior, trepidare atqve pavere, nihil conſilii, nihil ſpei habere, ultimam vitæ ſuæ diem adveniſſe putare, non gladium intueri, non milites affari poſſe, alieno tamen ductus conſilio ſe pugnæ interſuturum dicit. Et accerſito clam Sclerico nobili eqvite, figura corporis ſibi qvàm perſimili, animi vero fortitudine & corporis robore diſſimillimo. Fuit enim manu promptiſſimus, & audaci animo, atqve in primis rei bellicæ peritiſſimus. Hunc ſuis armis indutum, ac inſignibus principalibus honeſtatum, qvam pauciſſimis rem ſcientibus, dare ducis munia jubet. Multa interim vatum præſagia, fœminarum qvoq; ſpiritu, ut ajunt, pythonico imbutarum vaticinia exqviruntur. Ex qvibus una placandos Deos humana hoſtia reſpondit, ſic enim victoriam repromitti. Cui Neclam plus religioni qvam armis fidens, cæſo qvem ſortes deſignavere juvene, morem geſſit. In alia parte mulierem fuiſſe tradunt, qvæ privigno bellum petituro, Uratislaum in pugna caſurum, majoremqve populi partem cum eo interituram prædixerit, poſſe tamen evadere juvenem, ſi ſibi crederetur. Adoleſcenti ſe credere, atqve imperata facturum reſpondenti, juſſiſſe ut pergeret, qvando remanere domi capitale eſſet, primum qvi obvius fieret occidere, atqve utrasqve aures cadenti amputare, & in pera recondere. Exin gladio inter priores eqvi pedes ſignum crucis in terram facere, qva deoſculata, eqvum aſcendentem fugam maturare. Pugna in campo, cui Thuſco nomen eſt, committitur, concurrunt acies, magnis utrinqve viribus ac clamoribus certatur. Stat belli fortuna diu anceps, multi hinc atqve inde vulnerantur, proſternuntur, occiduntur. Ad ultimum Bohemi, qvi non pro gloria, aut ampliando imperio, ſed pro vita, pro focis, pro aris, pro uxoribus ac liberis in aciem veniſſent, deſperatione in virtutem verſa, audacibus animis invicto robore prælìantes, victoria potiuntur, non ſine Sclercii magna laude & ſumma gloria, cujus in hoc bello tum ars, tum virtus plurimum valuit. Occiditur tamen inter præliandum, & ut juſſerat, in eo campo ſepultus eſt, ubi prælium geſtum, ſuaqve morte vitam ducis, & patriæ liberationem obtinuit.

Parte

Parte autem alia, duce proſtrato, qvam pauciſſimi evaſerunt. Ajunt adoleſcentem, qvi novercæ juſſioni paruerat, domum redeuntem, uxorem ſuam, qvam unice amavit, interemptam reperiſſe, ambabus carentem auribus, pectusqve confoſſum, & qvas hoſti amputaverat aures, conjugis ſuæ fuiſſe, ſtupentem triſtemqve cognoviſſe. Tantum præſtigia poſſunt, aut veneficarum carmina mulierum.

## Cap. XI.

### *De infidelitate Duringi, qvi Uratislai filium ſibi commiſſum interfecit, pœnamq; condignam dedit.*

BOhemi parta victoria, occiſo Uratislao, terram ejus ferro atqve igne devaſtant: inventumqve Uratislai filium impuberem, principi tradunt. Qvi miſertus ætatis, patruelem educandum Duringo, ad Egram fluvium imperium poſſidenti, Uratislai potentiſſimo qvondam comiti tradidit. Qvi cæca cupidine captus, tanqvam initurus principis gratiam, puero ſuper Egram, qvi tum glacie conſtrictus erat, perfracto gelu piſces qværenti, gladio caput abſtulit, ſecum Pragam deferens, ubi ad Neclam introductus eſt, proferens cruentum caput, *ſolium*, inqvit, *tuum hodie firmavi, aut perire hoc, aut te oportuit. Securius in utramvis aurem poſthac dormies, æmulo regni ſublato.* Motus haud aliter qvàm par erat princeps tam diro ſpectaculo, *perfidiam*, ait, *nulla beneficia vincunt. Ut aleres puerum, non ut occideres, credidi. Te neqve meum imperium, neqve amici memoria, neqve innocentis pupilli miſeratio retraxit ab ſcelere. At mihi qvietem parare voluiſti, tui ergo meriti hæc ſumito præmia. Ex tribus mortibus, qvam malueris optionem habeto: aut gladio teipſum confodito, aut laqveo perſtringito guttur, aut ex Viſſegradenſi rupe præceps ruito.* Duringus accepta ſententia, in alni arbore, qvæ propinqva fuit, ſeſe ſuſpendit, alnus poſtea qvamdiu remanſit, arbor Duringa dicta eſt,

## Cap. XII.

### *De Nostirico nono, & Borsivojo decimo Bohemorum ducibus, qvi & ultimus Paganorum ducum fuit, & tandem cum uxore sua fidem Christi suscipiens baptizatus est.*

NEclam verò moriens, Nostiricum majorem natu filium hæredem instituit, Dipoldo provinciam Surimensem testamento dimisit. Nostirico Borsivojus filius successit, ultimus Paganorum ducum: qvi tamen & ipse imperante Arnolpho Cæsare, à beato Methodio Moravorum archiepiscopo, cum Ludmilla conjuge ad baptismi gratiam perductus est. Nongentesimo nonagesimo qvinto anno post Christi salvatoris nostri ortum, Ludmilla sancta mulier habita, etiam miraculis clarissima fertur.

## Cap. XIII.

### *De situ Moraviæ, & Svatocopio, penultimo rege ejusdem, qvi & primus Christianus inter reges Moraviæ fuit.*

SVatocopius eo tempore Moravis imperabat, Christianæ religionis cultor, & dignus cujus memoriam ad posteros referamus. Moravia trans Danubium jacet, cui ad orientem Hungari Poloniqve regnum possident, Morava disjuncti amne, qvi nomen regioni dedit. Occidentem solem Bohemi excipiunt: Australes meridianum: Septentrionale latus Silesitæ occupant. Ager vini frumentiqve ferax, gens rapinis assveta, nulli tutum iter nisi armato potentioriqve præbet. Hic multos annos regnatum. Hungari, Bohemi, Russani, Poloniqve, Moravorum principi paruerunt, princeps ipse Romano imperio. Caput regni civitas Volegradensis. Svatocopius regum penultimus, cum aliqvandiu feliciter regnasset, tandem Arnolpho imperatori tributum pendere recusans, commisso prælio, cum suos cadere

cadere animadvertiſſet, clam ſeſe pugnæ ſubtraxit, atqve ut erat mutata veſte incognitus, ſalutem fuga qvæſivit. Cumq; ad montem veniſſet, cui Sambri nomen eſt, abjectis armis, eqvo dimiſſo pedibus iter fecit, & tanqvam viator inops, vaſtiſſimam ingreſſus eremum tam diu pomis arborum, atqve herbarum radicibus vitam ſuſtentavit, donec tres eremi cultores obvios habuit, qvibus ſeſe adjungens, uſqve ad extremum vitæ perſeveravit incognitus, patienter ac ſedato animo incommoda qvæqve ferens. Ubi vero obitus affuit, accerſitis eremitis, *nondum*, inqvit, *qvis fuerim noviſtis. Rex ego Moravorum, prælio victus ad vos confugi, & regiam vitam & privatam expertus morior. Nulla regni fortuna eſt tranqvillitati eremi præferenda. Hic ſecurus ſomnus dulces herbarum radices atqve undas efficit, ibi curæ atqve pericula nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt. Qvod vitæ mihi fata dederunt, apud vos felix peregi: in regno qvicqvid ejus transactum eſt, mors verius qvam vita fuit. Sepelite me hic poſtqvam anima corpus liqverit, Moraviamq; deinde petentes, filio meo, ſi adhuc vivit, hæc nunciate.* Atqve his dictis vita exceſſit. Arnolphus interea victoria potitus, regnum Moraviæ Svatocopii filio, qvem de ſacro fonte levaverat, poſſidendum reliqvit. Is ab eremitis edoctus de fortuna patris, qvem cecidiſſe in prælio exiſtimaverat, corpus ejus ex eremo defoſſum, Volegradum retulit, atqve in ſepulchris majorum condidit. Fuit autem Svatocopii filius, qvanqvam Chriſtianorum ſacris imbutus, minus tamen qvàm decuit, ſacerdotes Dei veneratus. Qvi venationem aliqvando facturus, archiepiſcopo Methodio imperavit, ne ante ſuum reditum divina peragerent. Expectavit Medodius ad meridiem uſqve; tandem negligi rem divinam veritus, Deo ſacrificium cœpit offerre. Interea princeps, ubi ſe neglectum animadvertit, ſacram ingreſſus ædem, multitudinem canum intromiſit, tubasqve clangere jubens, ad altare uſqve progreſſus, convitia multa ingerens, vix manus à violatione ſacerdotis abſtinuit. Ob qvam rem, paucis poſt diebus Methodius in Bohemiam fugiens, regem extra eccleſiam fecit, regnoqve ſacris interdixit. Qvo facto, non ſolum archiepiſcopalis ſedes in Moravia defecit, ſed in ſeipſo qvoqve regnum extinctum eſt. Mortuo namqve paulopoſt excommunicato rege, imperii Moravorum partem Teutones ac Bohemi, partem Poloni atqve Hungari diripuerunt. Methodius in Bohemia aliqvandiu moram traxit, deinde Romam ſe contulit,

tulit, ubi fratrem ſuum Cyrillum comperit, qvi, baptizato qvondam Svatocopio, Moravis Chriſtiana ſacra crediderat, multasqve alias Slavorum gentes ad fidem Chriſti converterat. Referunt Cyrillum cum Romæ ageret, Romano pontifici ſupplicaſſe, ut Sclavorum lingua ejus gentis hominibus, qvam baptizaverat, rem divinam faciens uti poſſet. De qva re dum in ſacro ſenatu diſceptaretur, eſſentqve non pauci contradictores, auditam vocem tanqvam de cœlo in hæc verba miſſam: *Omnis ſpiritus laudet dominum, & omnis lingua confiteatur ei.* Indeqve datum Cyrillo indultum.

## Cap. XIV.

### *De Spitigneo undecimo, ac Vradislao duodecimo Bohemorum ducibus.*

BOrſivojus autem, conjunxqve Ludmilla, Chriſtianam veritatem amplexi, fidem catholicam inter Bohemos magnopere ampliarunt. Ludmilla filia fuit comitis Slamborii caſtelli Bizeniæ, qvod poſtea Melinca dictum eſt. Ex qva tulit Borſivojus duos filios, Spitigneum & Uradislaum. Primus patri ſucceſſit, ſed moriens ſine filiis, fratri principatum reliqvit. Conjunx Uradislai Drabonucia, mulier audax & ad ſcelus prona, duos pariter filios viro peperit, Veneeslaum & Boleslaum. Priorem Ludmillæ tradidit educandum, alterum ipſa enutrivit. Alumni ex nutricibus imitati mores. Venceslaus pietatem colere, manſvetudinem præ ſe ferre, Chriſtiana ſacra venerari, elargiri multa pauperibus, nulli noxius eſſe: Boleslaus idolorum ſectari culturam, honores ambitioſe qværere, adulterari, rapere, occidere, in ſcelera cuncta labi.

## Cap. XV.

### *De ſancto Venceslao martyre, tertiodecimo, & fratre ſuo Boleslao qvartodecimo Bohemorum ducibus.*

PAter ſuprema ordinans, Ludmillæ, cujus integritatem prudentiamqve optime noſſet, qvousqve liberi adoleviſſent, gubernationem

tionem provinciæ dimiſerat. Id ægre Drabonuciæ fuit, qvæ Tymam & Simonem nefarios homines ſubmittens, ſocrum in caſtello Thetim ſtrangulari juſſit. Ipſa deinde imperium accepit. In omnes crudelis, in Chriſtianos ſæviſſima & intolerabilis, ac propterea Venceslao etiam filio infeſta, cui præferre fratrem non dubitavit. De Venceslao hæc referuntur. Potus cibiqve parciſſimum fuiſſe tradunt, corporis majeſtate decorum, virginitatem ad ultimum vitæ ſervaſſe, divina in templis officia, diurna nocturnaq; nunqvam neglexiſſe. Et noctis qvidem tempore nudis pedibus ſuper glaciem ac nivem iter agentem, vim frigoris minime ſenſiſſe. Podium vero ejus comitem cum caligatus obriguiſſet, juſſum veſtigia Venceslai pedibus premere concaluiſſe. Poſtera die cruenta ſancti viri veſtigia inventa. Iniſſe eum populo perurgente, adhuc vivente matre, principatum. Duci vero Curmenſi, nulla injuria laceſſito, cum exercitu in Bohemiam ingreſſo, atqve agros vaſtare conanti, armatum cum copiis occurriſſe, vocatoqve in colloqvium, ſingulare certamen obtuliſſe. Accepta ab adverſario conditione, ubi manus conſeri debuit, angelos viſos, qvi Venceslaum protegentes arma miniſtrarent, territum ea novitate Curmenſem, ex eqvo prolapſum veniam petiviſſe, Bohemum libenter humiliato peperciſſe, monuiſſeqve ne deinceps aliena cuperet. Similem angelorum comitatum vidiſſe ajunt imperatorem, cum Venceslaus adoleſcens in ejus curia obverſaretur, eamqve ob cauſam brachium ſancti Viti dono ei dediſſe, in cujus honore cathedralis ædes in Praga conſtructa eſt. Ferunt tunc Bohemiam ſub epiſcopo Ratisbonenſi fuiſſe, ac propterea cum Venceslaus Volfgangum præſidem, qvi poſtea inter ſanctos relatus eſt, ad conſecrationem ejus baſilicæ ſummis precibus invitaſſet, reſpondiſſe pontificem, coram Deo jam templum ſuum dedicatum eſſe, qvod futuram Metropoliticam cerneret, miſſurum ſe tamen, qvi ſua vice Venceslao ſatisfaceret. Creverat jam Venceslai nomen, miraqve populi charitate atqve admiratione celebrabatur. Sed qvanto cæteris acceptior erat, tanto acrius in ſe odium fratrisqve matrisqve concitabat, ac propterea licet dimittere ſeculum, & in monachum tonderi deſtinaſſet: non potuerunt infelices animæ ſancti viri propoſitum expectare, ſed impatientes moræ piam principis intentionem ſcelere præveniunt. Fit convivium apud Boleslaum, matre jubente, vocatur Venceslaus. Qvi etſi mortem in-

d 2 ſtare

ſtare prædixerat, facta tamen cum ſacerdote de peccatis ſuis ex more Chriſtiano confeſſione, fraternam domum ingreditur, ibiqve ſtatim Boleslai manu percuſſus interiit. Dicat aliqvis homicidam ſuiipſius Venceslaum fuiſſe, negetqve cœlo dignum, qvi certæ ſe morti obtulerit. Nos Gothorum inſtante procella plurimas Romæ fuiſſe puellas legimus, qvæ pudicitiæ ſuæ vim inferri timentes, & ne in manus hoſtiles inciderent, in Tyberim ſeſe præcipitaverunt, qvæ poſtea miraculis coruſcantes, ſanctorum honores meruere. Venceslai ſanctitati qva die cæſus eſt, Chriſtum Deum teſtimonium præſtitiſſe, memoriæ prodiderunt, qvi regi Daciæ per viſum apparens, ſuo martyri ædem conſtrui mandavit. Ipſum autem Venceslaum multis miraculis claruiſſe, atqve inter ſanctos martyres ab eccleſia receptum tradunt. Drabonuciam paucis poſt diebus fatis ſuis trahentibus, ultionemqve parricidii exigentibus, hiatu terræ apud arcem Pragenſem abſorptam. Boleslaum multis ſceleribus nobilitatum, morbo abſumptum, duos filios reliqviſſe, Boleslaum paternum nomen referentem, & Straticqvatem.

## Cap. XVI.

### *De Boleslao qvintodecimo Bohemorum Duce.*

Boleslaus imperio potitus, patrui magis qvàm patris æmulator extitit. Religionem enim Chriſti extollens, viginti eccleſias erexit. Huic ſoror fuit Milada, eximia ſpecie virgo, ſacris imbuta literis, & multa pollens eruditione. Qvæ cum Romam orationis cauſa petiviſſet, à Joanne pontifice maximo benigne excepta, ipſius autoritate monaſterium ſancti Georgii in arce Pragenſi conſtruxit, ibiqve ſacerdos conſecrata eſt. Eadem qvoqve ſancti Viti ædem, à Venceslao fundatam, in pontificalem elevari obtinuit. Dithmarus natione Saxo, & opinione ſanctitatis inſignis, primus ibi epiſcopus conſecratus, cui Adelbertus ſucceſſit. Nobili genere apud Bohemos natus Straticqvas, Boleslai frater, relicto ſeculo apud Ratisbonam Bajoariæ civitatem, in cœnobio ſancti Emerani monaſticam vitam elegerat. Qvem Pragam forte advenientem aggreſſus Adelbertus, pontificalem ei cathedram offert, qvi cum eſſet regis frater, ex rege natus,

natus, facile populum sub religione continere posset: nam sibi non esse facultatem ejusdem regendæ plebis, qvæ rapinis & adulteriis assveta, jus fasqve omne contemneret. Stratiqvas mundanas dignitates qvasi malas pestes effugiendas esse respondit, monasterium sibi & præsentem vitam svavem præstare, & futuram promittere meliorem, in eo se vivere moriqve velle. Scribunt autores Adelbertum his auditis prophetico spiritu plenum Stratiqvati dixisse: *Poteras modo pontificali honore cum salute defungi, at qvod nunc recusas, in perniciem tuam vehementer expetes.* Abiisse deinde Romam, ac cum fratre suo beatæ vitæ Gaudentio in monasterio sancti Alexii tamdiu delituisse, donec jussu Pontificis maximi suas oves repetere jussus est. Qvibus cum esset prorsus ingratus, in Hungariam profectum, regem Stephanum baptizasse, qvem inter sanctos relatum ajunt. Exinde Poloniam ingressus Gaudentium fratrem in ecclesia Gneznensi prædicaturum Evangelium, pontificem ordinasse. Postremo Prutenos adiisse, apud qvos dum Christi legem prædicat, gladio cæsum, martyrio vitam finisse. Interea Stratiqvatem mutato proposito Pragensem Ecclesiam poposcisse, neqve repulsum fraterno regioqve favore adjutum. Sed dum apud Maguntinum archipræsulem agit, sacris de more imbuendus, inter duos episcopos jacentem pronum, diabolico spiritu arreptum, tamdiu vexatum, donec animam exhalavit, Adeodato natione Teutonico, ecclesiam commissam.

## Cap. XVII.

### *De Boleslao sextodecimo Bohemorum duce.*

Boleslaus duobus & triginta annis imperium potitus, ex vita decessit, relicto successore filio sui nominis Boleslao tertio. Huic Mescho Polonorum princeps, Cracoviam per fraudem eripuit. Bello deinde orto, vastatis agris, induciæ demum dictæ, statutumqve uti ambo duces apud Cracoviam convenirent. Boleslaus accepta fide eo pergit, atqve in convivio captus, luminibus privatur, comites ejusdem crudeliter necati, exceptis Vrisbuicensibus insidiarum consciis, sceleris q; participibus. Qvi domum reversi, tanqvam magno ex periculo evasissent, publicam fidem atqve jusjurandum & jura hospitii

à Polono violata qveruntur. Ubi fides habita, Janurem Boleslai fratrem dolo necare conantur. Cocharis inter Vrisbuicenses consilio, opibus & autoritate major, adolescentem sub specie venationis in sylvam tractum, ad stipitem arboris alligatum sagittis confodi jussisse fama est, divum Joannem Baptistam ab eo precibus exoratum, hirsuto tegmine sagittas excepisse, uxoremqve ejusdem per visum commonuisse, periclitanti viro opem ferret. Interea famulum principis Overam nomine, ex periculo prolapsum, proditiones populo exposuisse: illum tanta novitate commotum, correptis mox armis in sylvam procurrisse, captisqve proditoribus atqve occisis, ducem salvum reduxisse. In eo loco ubi hæc acta sunt, monasterium ordinis sancti Benedicti, qvod Veliscam appellatur, constructum, & aram majorem ibi sitam, ubi arbor religatum Janurem tenuit. Mescho autem coacto exercitu, longe lateqve Bohemorum populatus agros, Pragam deniqve obsidione cinxit, eamqve biennio fame laborantem obtinuit, excepta arce Vissegradensi, qvæ in fide Januris mansit.

## Cap. XVIII.

### *De Udalrico, septimodecimo Bohemorum Duce.*

Fuerat & alter Boleslao frater, Udalricus nomine, qvem pater Henrico imperatori nutriendum dederat. Is audita Meschonis proditione clam ab imperatore dimissus, castellum Dievizum natura & arte munitum ingreditur. Exin collecto raptim milite, colles occupat, qvi Pragæ supereminent, tubasqve clangere jubet. Mox alta voce præconem Pragensibus nuntiare, victos prælio Polones fugam cepisse, victorem principem cum exercitu adesse. Qva voce accepta Polonorum præsidium, qvod urbem tenebat, metu perculsum excessit, Pragenses aucti animo insecuti, complures in fuga captos necavere, Mescho cum paucis in Poloniam se recepit. Udalricus Pragam ingressus, germano suo, sive proditoribus suggerentibus, sive qvod ætatis beneficio illum sibi præferri verebatur, effodi oculos jussit. Multa hujus facinora referuntur, partim reprehensione, partim laude digna. Inter cætera & illud narratur, redeuntem ex venatione, puellam vidisse in villa qvadam, juxta puteum vestimenta lavantem,

vantem, nomine Bozzenam, qvod *Beatricem* interpretatur, elegantem forma, & moribus, supra qvam par esset agresti, venustis, captum specie & alloqvio modesto, qvamvis amici adversarentur, conjugem accepisse. Bizetislaum ex ea natum. Is cum adolevisset, Jutham imperatoris Ottonis Rufi filiam, qvamvis nunqvam vidisset, sola fama commotus, vi rapuit, solusqve cum illa ad patrem perrexit, comitibus velocitatem ejus inseqvi neqveuntibus, ab imperatore ex fuga retractis atqve occisis. Non improbavit pater factum, sed admiratus audaciam, tantum se filium genuisse gavisus, matrimonium cum rapta in Moravia celebrari mandavit, tanto præstantiorem filium æstimans, qvanto nobilius est, imperatoris qvàm villici filiam amavisse. Imperator ea contumelia motus, jurejurando affirmat exercitum in Bohemiam ducturum, terram malis affecturum, sibiqve sedem in medio regni collocaturum. Statimqve cum exercitu Bohemiam instar torrentis cuncta secum rapientis ingreditur. Contra Udalricus filiusqve castra movent. Jam duo exercitus ad jactum teli convenerant. Tum Jutha, cujus ex injuria bellum ortum, crinibus sparsis, scissa ungvibus facie, victo periculorum magnitudine muliebri pavore, ausa telis sese inferre volantibus inter primas acies prosiliens, patris alloqvium, priusqvam furor ardeat amplior, exposcit. Qvo impetrato, *Fateor* inqvit *pater, justum te bellum movisse, cujus filia rapta est, illumq; pœna dignum, qvi te contempsit, nisi compulisset amor, cujus cæca consilia sæpe veniam meruere. Sed age obsecro, pone ante oculos qvem armis inseqveris. Gener tuus, mihi maritus, cui tantopere irasceris, & fortasse nepos tuus, ejus filius in ventre meo conceptus est. Parce oro filiæ, parce nepoti, patrem illi, mihi virum dimitte. Non est degener maritus, nec solvi consummatum matrimonium Romana ecclesia sinit, nec tibi victoria potestas est. Utriqve vires, utriqve belli artes suppetunt. Mars dubius casum respicit. Ne obsecro pater, mei causa tantam militiam morti objicito, parce, cui ego prior læsa peperci.* Illacrymatus pater audita filia, facturumqve se, qvod illa vellet, nisi obstaret juramentum. Tum Jutha, *Et maritus*, inqvit, *meus jurejurando adstrictus est, Theutoniam armis lacessere. Sed vana religio, qvæ sceleri locum facit. Vim criminibus sacramenta non addunt. Expromissorem maleficii divina majestas odit, factorem exterminat. Inveni tamen si libet viam, qva te simul promisso virumq; solvam. Veniet cum patre gener ad pedes tuos, veniam commissi petet, te Regem, te Dominum profitebitur. Ne-*

*qve*

*qve impedimento erit, qvo minus sedem in medio Bohemiæ colloces, ibiq; jus dicas. Postremo curiam tuam in Theutonica petens, villas aliqvas, qvas jusseris, in er eqvitandum maritus diripiet.* Placuit imperatori consilium filiæ, atqve in ejus verba fœdus ictum, exercitus consalutati, & in Boleslavia, qvæ umbilicum tenere Bohemiæ creditur, sedes imperatoris lapidea erecta, perpetuum rei monimentum principibus terræ insigne datum imperialis aqvilæ. Exin Bisetislaus Moraviam ex paterno indulto rexit, Polonosqve, qvi magnam ejus partem occupaverant, bello delevit, eorumqve multa millia, ligatis post tergum manibus, in Hungariam venundandos misit.

## Cap. XIX.

### *De Bisetislao decimooctavo Bohemorum duce.*

DUm hæc aguntur, anno post Christi ortum tricesimo ac millesimo Boleslaus apud Cracoviam excæcatus interiit, Udalricus qvoqve frater ejus vita functus est. Qva re cognita Janur & ipse cæcus, Pragam veniens, ducatum gentis suopte ingenio nepoti dimisit. Bisetislaus ea re animo auctus, qvamvis nulla injuria lacessitus, exercitum in Hungariam duxit, magnamqve inde prædam retulit. Qvinqve ei ex Jutha fuerunt filii, Spitigneus, Uratislaus, Conradus, Jaronurus & Otto, qvorum fiducia plenus, etiam Polonos ulturus, avum pulsare bello non timuit, Cracoviamqve armis captam funditus evertit. Gneznenium qvoqve metropoliticam urbem diripuit, multorumqve martyrum sacratissima inde corpora asportavit, & crucem auream CCC. pensantem libras. Qvod cum imperator Henricus, ejus nominis secundus, accepisset, indignatus injussu suo Poloniam vastatam esse, Bisetislaum aut resarcire Polonis damna, aut bellum expectare jussit. Ille se nihil imperatori, nisi tributum debere respondit à majoribus institutum. Pendebat autem dux Bohemiæ Romano imperio qvotannis C. & XX. boves, & argenti puri CL. marcas. Id se neqve neglexisse hactenus, neqve neglecturum. Si qvid amplius jusserit imperator, à bono & æqvo recedere, se libertati gentis nihil detracturum. Imperator his auditis, ex Ratispona in Bohemiam copias traducit: Othardo Saxonum duce ex altera

altera parte cum exercitu properare jusso. Ingressus sylvam, qva Bohemiam cingi diximus, præcisis arboribus iter interceptum reperiens, milites viam securibus aperire jubet. Magnus hic labor eqviti. Erant enim vastæ magnitudinis arbores, multaqve rubeta incidenda, priusqvam iter pateret. Ob qvam rem cum jam opere peracto ad interiora pervenissent, nec hostis in conspectu usqvam daretur, fessi ac sitibundi projectis armis flumina petunt. Bisetislaus ex insidiis prodiens, palantes atqve inermes aggressus, stragem haud parvam effecit. Imperator repentino commotus malo, multis suorum desideratis, fuga salutem petit. Othardus vero jam fines Bohemiæ ingressus, Septentrionalem provinciæ partem longe lateqve populatus, his cognitis, cum præda domum revertitur. Procopius comes Biclinienſium, cum parte copiarum adversus eum missus, fortuna parum prospera usus, tanqvam pecunia corruptus, effossis oculis, manibus pedibusqve obtruncatis in flumine Bicline demersus. Nec tamen eo pacto qvies Bohemiæ data. Nam seqventi anno Henricus Imperator, & Othardus majoribus collectis copiis redeuntes, transmissa sylva ferro ac flamma cuncta vastarunt, Bisetislaum armis diffidentem intra Pragæ mœnia clausum obsederunt. Severus tunc episcopatum urbis gerebat, jurejurando imperatori obnoxius, ex cujus indulto pontificali sedi præerat. Is noctu cum pluribus ad Henricum confugit, obtinendiqve urbem viam ostendit. Qvare fractus animo Bisetislaus, errati veniam petiit: dictæ sunt pacis leges, qvas voluit imperator, & trium annorum tributum pensum, Silesia sub annuo tributo auri triginta, argenti cl. marcarum Bohemiæ principi tradita. Secundo & qvinqvagesimo anno post millesimum à Christi Salvatoris adventu, pace cum imperatore composita, Hungariam sibi subigere Bisetislaus aggreditur, cujus populus suis utens legibus, Romanorum imperium contemnebat. Sed ingressus hostilem provinciam, mox ardenti febre correptus, ultimum instare diem intelligens, vocatis Bohemiæ primoribus, Spitigneum primogenitum, successorem suum designat, reliqvos filios Moravia inter eos divisa, parere fratri jubet, atqve his demandatis vita decedit, qvarto Calend. Maji. Corpus ejus Pragam translatum apud parentes sepultum.

## Cap. XX.

### *De Spitigneo decimonono Bohemorum Duce.*

Spitigneus ut regnum primum potitus, omnes Teutonici generis Bohemia excedere jubet, nec matri poteſtatem manendi facit. Exinde Moraviam infeſtis petens armis, fratres bello aggreditur. Uratislaus audito germani adventu, relicta in Olomucio conjuge, ad regem Andream in Hungariam confugit. Conradus & Otto fratri ſe dedunt. Uxor Uratislai capta, aliqvandiu in vinculis habita. Poſtremo ſvadente Severo epiſcopo dimiſſa. Dum virum in Hungaria petit, vicina partui in itinere decedit. Mœſtus ea re conjunx, ab Andrea rege conſolationem accepit, qvi filiam ſuam Adilheidam nuptam ei tradit. Qvod cum Spitigneus accepiſſet, veritus ne vires Hungaricas in ſe frater armaret, miſſa legatione ſine cauſa illum ex Moravia abiiſſe dicit, nihil hoſtile timendum fuiſſe. Nam cur frater fratrem oderit, ſecundo poſt ſe loco genitum? Servaſſe ſe abeunti bona, non abſtuliſſe, redire eum ad ſuos debere, cuncta ei ſalva eſſe. Nec fruſtratus eſt fratrem, redeunti qvæ armis abſtulerat, cuncta reſtituit. Jutha vero à filio dejecta, cum ſecundo nupſiſſet, brevi mortua eſt, cujus corpus in Bohemiam translatum, in ſepulchris principum condidere.

## Cap. XXI.

### *De Uratislao viceſimo Bohemorum Duce.*

Spitigneo vita defuncto, Uratislaus ſucceſſit. Qvi Moravia rurſus inter fratres diviſa, Jaronurum, qvem pater eccleſiæ dedicatum exortem regni fecerat, in diaconum vel invitum ordinari juſſit. Is relicto Chriſti habitu, ad Poloniæ duces confugiens, militarem diſciplinam ſectatus eſt. Fuerunt Uratislao ex Adilheide tres liberi, Biſetislaus, & duæ fœminæ, Ludmilla & Juditha. Verum Adilheida mortua, uxorem alteram ex Polonia duxit, nomine Svatanam, ex qva Boleslaum, Borzivislaum, Uladislaum, Sobieslaumqve ſuſcepit. Inter hæc Severus epiſcopus, qvi Bohemiam Moraviamqve ſacerdotio tenuerat, Joanne in Moravorum eccleſia ſibi ſubſtituto, jam

gravis

gravis senio ex vita decedit. Ob qvam rem Conradus & Otto Uratislaum precibus onerant, Jaronuro fratri ut ecclesiam Bohemiæ ab imperatore impetret. Annuit Uratislaus, neqve imperator adversatus est. Jaronurus ex Polonia revocatus, relicta militia, episcopus ordinatur, ac mutato nomine Gebhardus appellatur. Qvi mox spiritu superbiæ inflatus, Moraviam non minus sibi qvàm suo antecessori delatam dicit, illum exterum, se civem: illum infimo loco natum, se regia stirpe ortum. Ingressus Moraviam, Joannem episcopum, qvi cedere nollet, contumeliis & verberibus afficit. Uratislaus, qvi Joannem amaret, ea re commotus, Romanum pontificem contumaciam Gebhardi uti corripiat, scriptis hortatur. Missus est in Bohemiam Rodolphus Cardinalis, qvi causa cognita delictum puniat. Is vocatum Gebhardum, cum minime pareret, sacerdotio abdicavit. Sed rogatus à clero, dignitatem ei restituit, jubens & ipsum & Joannem intra annum coram summo sacerdote se exhibere. Paruerunt ambo. Sacerdos maximus ambobus auditis, Gebhardum movere sacerdotio statuit, fecissetqve, nisi preces intervenissent Mathildis virginis, filiæ Bonifacii ducis Lucani, qvæ tum Romæ fuit, ex Bohemorum sangvine nata. Hæc est illa Mathildis, fama inclyta, & apud historicos latè memorabilis, qvæ à Radicophano Senensis agri oppido, usqve Ceperanum interjacentem terram, donavit ecclesiæ, posteri patrimonium beati Petri appellarunt. Hujus ergo interventu, Romanus præsul utrumqve sacerdotem sua diœcesi contentum esse, ac remissis injuriis, in patriam reverti jussit.

## CAP. XXII.

*Uratislaus dux Maguntiæ in regem creatur per Henricum imperatorem qvartum, regnoq; Bohemiæ, Poloniam, Silesiam, Lusatiam Moraviamq; adjecit.*

INter hæc Leopoldus Austriæ marchio, Moraviam latrociniis magis qvam justo bello infestam reddit, nec Conradi aut Ottonis, qvi tunc provinciæ præsidebant, preces audit. Illi fraterna solatia expetunt. Uratislaus collecto raptim exercitu Austriam ingressus, instar horridæ tempestatis obvia qvæqve prosternit, occurrentem Leopoldum prælio victum, in fugam convertit, ipse onustus spoliis

domum revertitur. Poſt hæc anno ſexto & LXXX. ſupra mille ab ortu ſalvatoris Chriſti, apud Maguntiam in concilio principum ab imperatore Henrico, ejus nominis qvarto, Uratislaus Rex declaratur, Moravorum regno, qvod ſupra extinctum diximus, in Bohemiam translato, Polonia, Sileſia, Luſatia, Moravia, Bohemorum imperio adjectæ. Gilbertus Trevirorum Archiepiſcopus cum eo Pragam miſſus, qvi coram provincialibus regem inungat, regalibusqve adornet inſignibus. Id eodem anno factum, acclamante populo, *Uratislao regi ſalus honor atqve victoria.* Suatana qvoqve Regina cum eo coronata. Mortuus eſt per idem tempus Joannes Moravorum Epiſcopus, cujus eccleſia, inſtante Gebardo, Pragenſi unita eſt. Qvæ res illi majoris inſolentiæ ſomentum fuit, adeo, ut præſente rege intereſſe divinis minimè dignaretur. Ob qvam cauſam Uratislaus, indulgente Alexandro Papa III. natione Senenſi collegium canonicorum regularium in arce Pragenſi erexit, in qvo dum res agitur divina, non præpoſitus tantum, ſed decanus, & ſacerdos, diaconus, & ſubdiaconus, rem divinam facientes, epiſcopalibus ornamentis utuntur. etPrępoſitus qvidem cancellarius regni appellatus, principis honore defungitur. In fundatione autem ejus eccleſiæ, regem ſuis humeris duodecim cophinos lapidum geſtaſſe ferunt. Religioſum principem, dignumqve qvi primus inter Bohemos regio diademate uteretur. Gebardum vero indies magis atqve magis inſoleſcentem, ac propterea à Moravorum plebe repulſum, dum per Hungariam ad Romanum pontificem qveſtum injurias proficiſcitur, apud Strigonium morbo interiiſſe, Coſmumqꝫ illi ſuffectum. Fuerunt Uratislao, & cum Saxonibus, & cum germano, qvi Moraviam obtinebat, inimicitiæ. Illos per filium vicit: germanum ipſe ex Moravia armis expulit, urbemq; Olmucenſem poſſidendam filio tradidit.

## Cap. XXIII.

*De Conrado viceſimoprimo, Biſetislao viceſimoſecundo, ac Boleslao viceſimotertio, nec non Borzivislao viceſimoqvarto, Bohemorum ducibus.*

Vita functus Uratislaus non filium, ſicut optaverat, ſed Conradum fratrem habuit ſucceſſorem. Qvi ſeptimo menſe potitus imperio, morbo correptus, nepotibus ex fratre locum fecit.

fecit. Qvinqve eos fuisse diximus, qvi sibi invicem pro nativitatis ordine successere. Duos ex his Urbuicenses, perpetui regum hostes, fraudibus interceptos necavere.

## CAP. XXIV.

### *De Uladislao, vicesimoqvinto Bohemorum duce & Rege secundo.*

PEnultimus Uladislaus nomine, ex Bisetislao fratre nepotem sui nominis, cum CCC. galeatis eqvitibus auxilio Henrici sexti Romanorum imperatoris Romam misit, qvi plurimas inde reliqvias sanctorum reportavit. Inveni in historia Bohemorum post Uratislaum primum regem, pluribus annis interregnum fuisse. Nam Conradum fratrem ejus, ac deinde Uratislai filios non regis nomine, sed ducis tantum usos, tanqvam regni decus homini, non provinciæ datum fuisset. Uladislaum vero qvarto loco Uratislao natum, à Friderico primo, sibi & posteris regiam dignitatem obtinuisse, & cum in expugnatione Mediolanensi egregiam operam navasset, imperatori mirifice gratum, leonem rubeum bifurcatæ caudæ, in clypeo albi coloris insigne regium accepisse, candelabrum qvoqve Salomonis ex Mediolano asportatum, in ecclesia S. Viti Pragensis recondisse. Pontem super Multaviam, qva vetus Praga minori jungeretur, magni operis ædificasse, qvem Ratisponensi præferunt, in qvatuor & viginti arcus, ut antea diximus, protensum.

## CAP. XXV.

### *De Sobieslao vicesimosexto, & Friderico vicesimoseptimo, nec non Conrado vicesimooctavo, ac Bisetislao vicesimonono, atqve Venceslao tricesimo, Bohemorum Ducibus.*

POst eum Sobieslaum qvinqve annis ducatu functum, à provincialibus exactum in exilio interiisse, exin Fridericum Uladislai filium successisse. Post Conradum, qvi apud Apulos in Italiam secutus

ſecutus Imperatorem, deceſſit. Conradum Biſetislaus ſeqvitur, qvi & Henricus dictus eſt. Et cum eſſet Pragenſis epiſcopus, qvindecim annis pontificatum ſimul & principatum Bohemiæ tenuit. Poſt eum ducatum obtinuit Venceslaus frater ejus. Hos qvoqve regis nomine abſtinuiſſe conſtat, ſive qvia magis vi qvàm jure imperaverunt, ſive qvod indultum Imperatoris Romani ſumendæ coronæ, more majorum obtinere non valuerunt.

## Cap. XXVI.

### *De Primislao tricesimo primo Bohemorum Duce, & Rege tertio.*

VEnceslaum tribus menſibus ducali autoritate functum, Primislaus Uladislai ſecundi regis filius, armis dejecit, & à Philippo Romanorum Imperatore Friderici ſecundi fratre, qvem Romana eccleſia non accepit, tertio loco inter Bohemos reges coronatus eſt.

## Cap. XXVII.

### *De Venceslao Bohemorum Rege qvarto. Et de Othocaro Bohemorum Rege qvinto.*

PRimislao duo fuerunt filii, Venceslaus & Othocarus. Venceslao regnum Bohemorum ceſſit, Othocaro Marchionatus Moraviæ. Fuit autem Venceslaus unoculus, & ſine liberis decedens, regnum Othocaro reliqvit, qvi & alio nomine Primislaus appellatus eſt, inter Bohemiæ reges qvintus, belli appetens, & magnorum operum effector, cui nec animus in rebus arduis, nec conſilium defuit. Imperium qvod à fratre ſuſceperat, ex mari Baltheo, qvod falſo pleriqve Oceanum putavere, (eſt enim mediterraneus ſinus) usq; ad Danubium protenſum, ad internum noſtrumqve mare, qvod Adriaticum dicimus, extendit. Nam cum obiiſſet Fredericus dux Auſtriæ ſine liberis, ſoror ejus Margarita hæreditatem accepit. Nupſerat hæc olim Henrico Imperatoris Frederici ſecundi filio, eoqve ſine ſobole vita functo in patriam redierat. Eadem jam anus Othocarum ſibi virum adſcivit, qvi non tam conjugis ætatem, qvam dotem animo volvens, ſterile matrimonium contraxit, & principatum nobilem conſecutus,

cutus, more humano, qvanto plura possedit, tanto majora concupivit. Ulricus eo tempore Carinthiorum principatum tenebat. Qvi cùm virili sobole careret, accepta ex Othocaro pecunia, Carinthiam illi, Carniolam, Marchiam Sclavoniam & portum Naonis tradidit. Veronenses, exinde Feltrenses, Tarvisini, & multi ex foro Julii, ultimo sese ei submiserunt. Bellum Hungaris indixit, commissoqve prælio, victor ingentem prædam reportavit, Stiriamq; provinciam illis ademit. In Prussia, qvam veteres Ulinrigiam vocavere, superatis Tartaris urbem condidit, qvam Cunispergium, id est montem regium, vocant. Sed qvantum aucta ejus potentia est, tantum etiam insolentia crevit. Qvi vivente legitima uxore, & qvæ sibi tantum imperium adjecerat, alteram superduxit Cunigundam regis Maschoriæ filiam. Vocatus per principes electores ad imperium, contempsit, palam inter suos jactitans, *pluris Bohemiæ regem, qvam Romanum imperatorem esse.* Rodolphus itaqve Habsburgi comes, qvi magister curiæ Othocari fuisset, non minus belli qvàm domi clarus, Christianæ reipublicæ præfectus est, missis ad Othocarum legatis, Austriam & Carinthiam, cæterasqve vicinas Italiæ provincias tanqvam juris Imperii repetit, qvando nec Austria muliebre feudum esset, nec Carinthiam injussu Cæsaris Ulricus venundare potuisset. Renuit Othocarus, & Imperatori, qvi aliqvando sibi serviviſſet, impacato respondit animo. Sed intervenientibus amicis, ea lege reconciliati sunt, ut Austria Imperatori cederet. Exin datis acceptisqve filiabus, affinitas utrinqve jungeretur, provinciæ de qvibus lis esset, dotales fierent. Adeptus Austriam Rodolphus, Othocarum in verba sua jurare more majorum exposcit. Id superbo regi gravius visum, tanqvam ex domino servus fieret. Exoriuntur novæ lites, bellum indicitur. Cumqve jam duo exercitus ad mille passus alter alteri proximus convenissent, veritus Othocarus Rodolphi potentiam, injustamqve belli causam animo volvens, legatos mittit, qvi se juraturum dicant, si modo intra tentorium Imperiale honoris sui causa fieri Rodolphus velit. Accipit conditionem Imperator potius, qvàm belli fortunam experiatur. Suggestum in tentorio sublime paratur, ibiqve aureum solium eminentiori loco erigitur, Rodolphus diademate & Imperialibus insignibus conspicuus, considentibus electoribus Imperii, cæteris baronibus circumstantibus, advenientem regem sedens expectat. Ille cum paucis

cis regni ſui optimatibus ingreſſus, conſcenſo ſuggeſto, ad pedes Imperatoris genua flectit, proinde ex veteri conſvetudine admotis ſacroſanctis Evangeliis jurejurando ſe adegit. Interea tentoriũ arte compoſitum, à ſummo uſqve deorſum, in qvatuor proſciſſum partes, decidit, regemqve, ut erat in alto loco ad Imperatoris genua ſupplex, videndum exercitibus præbuit. Stabant circum armatæ acies, rei exitum ſpectantes, ſed qvàm læti Teutones glorioſum Imperatorem ſuum videntes, tam indignabundi Bohemi, qvod rex eorum humiliari magis qvàm prælium experiri voluiſſet. Stupefactus ea re Othocarus, qvamvis dolo magis qvàm caſu cecidiſſe tentorium non ignoraret, ſubticendum tamen in præſentia cenſuit, petitaqve ab Imperatore venia, plenus irarum domum rediit. Qvem, tametſi ſua ſponte ſatis fureret, magis tamen ac magis uxor incendit. Qvæ cognito rerum ſucceſſu, advenientem regem hiſce verbis allocuta fertur: *Haccine nobis ſpolia, hanc belli gloriam domum refers? Dediti omnes hodie tua opera veluti mancipia, veluti pecudes ſumus. Regina provinciarum Bohemia, tributaria facta. Cum te olim ſuperaſſe prælio Tartares, exuiſſe caſtris Hungares, Stiriam armis adeptum eſſe, Italiam cum exercitu penetraſſe audiveram, felicem me, qvæ tali nupſiſſem viro, patrem, qvi me regi magnanimo tradidiſſet, ſapientem exiſtimabam, neqve reginam eſſe ullam orbe toto, cui me cedere oporteret. Nunc falſa omnia experior. Nam qvæ mulier me infelicior? qvis te virorum omnium ignavior? Auſtriam provinciarum nobiliſſimam, tot urbibus, tot proceribus inſignem, nulla neceſſitate coactus, ex manibus tradidiſti. Stiriam, Carinthiam, & qvas poſſidebas in Italia civitates, turpi metu reliqviſti: cum comite Hapsburgenſi infimi generis affinitatem contraxiſti. Poſtremo ei, qvi ſatelles tuus qvondam fuerat, jurejurando exhibito, te ſubmiſiſti, & ſervus ſervi factus, tuam ſimul ac majorum tuorum gloriam offuſcaſti. En virum qvi magnitudine animi renuiſſe imperium videri vult. Laudarem, ſi te illi non ſubjeciſſes. Age, ſi tibi animus virilis deeſt, neqve gladios intueri potes, ſine me regem eſſe, experiar profecto, Bohemis an Teutonibus Imperium debeatur. Sunt Poloni, ſunt Saxones ac Francones, qvi noſtra ſigna ſeqvuntur, ſunt Sileſitæ Moraviq́ꝫ, & verebimur belli tentare fortunam? Utinam aut tibi meus animus fuerit, aut mihi obedientia, qvam te habere animadverto, ſentiret profecto Rodolphus, neqve vires adverſus dominos valere, neqve dolos.* Othocarus, qvi uxoris charitate teneretur, eamqve verum locutam animadverteret, ſimulqve animi magnitudine

dine irrogatam contumeliam ferre non poſſet, accerſitis regni primoribus, collectisqve novis copiis, Rodolpho, qvi dolo ſecum egiſſet, bellum indicit, neqve ille certamen detrectat. Conveniunt ambo cum exercitibus in campis Auſtriæ trans Danubium, commiſſum eſt atrox prælium, diuqve Marte dubio depugnatum, cum Bohemi multitudine ac robore, Svevi qvibus Rodolphus maxime fidebat, ordine ac arte ſuperiores eſſent. Cecidere qvàm plurimi ex utraqve parte, major tamen ſtrages Bohemorum edita. Ad extremum, relictus à ſuis Othocarus, dum fortiter pugnat, inter confertiſſimas hoſtium acies occiditur. Ferunt Stirienſes duos domi nobiles, qvorum frater ab Othocaro per injuriam extinctus fuiſſet, eum toto prælio qvæſitum, cum certis indiciis cognoviſſent, in ultionem fraternæ cædis obtruncaviſſe. Corpus ejus permittente Rodolpho in Bohemiam translatum regio honore ſepultum. Prælium ipſa die beati Ruffi peractum, anno ab incarnatione verbi 78. poſt ducentos & mille. A populatione Bohemiæ Imperatorem abſtinuiſſe, qvæ genero deberetur.

## Cap. XXIIX.

### *De ſancto Venceslao Bohemorum Rege ſexto.*

VEnceslaum Othocari filium, ſeptem annos natum, ab Othone marchione Brandeburgenſi in Franconiam abductum, regnumqve tutorio nomine ab eo qvinqve annis gubernatum, reverſum puerum ſub imperio matris fuiſſe. Illam Zaviſium qvendam, ex Baronibus potentem, amaſſe, cujus nuptias adeptam, multas regni opes ad eum contuliſſe. Sed ipſa brevi morbo extincta, Zaviſium captum, neciqve traditum, regnum deinde ex Venceslai arbitrio ordinatum. Qvo regnante, eo ipſo anno, qvo Ptolomaida à Saracenis occupata, in hanc uſqve diem tenetur, Pragam fermè univerſam igne familiari exuſtam, liberalitate regis, civiumqve diligentia atqve impenſa ita inſtauratam, ut felix incendium fuiſſe videretur. Rodolpho Albertus filius ſucceſſerat Imperator. Huic non minores inimicitiæ cum Venceslao, qvàm inter parentes eorum fuere. Has Jutha Venceslai conjunx atqve Alberti ſoror, mulier viro cautior, magno labore diremit. Chariſſimus apud Venceslaum Alexius

qvidam, pontificio jure consultus habitus est. Qvi multa de Romanorum nobilitate cum eo locutus, usqve adeò animum regis illexit, ut Jutham filiam admodum parvulam, in clara Ursinorum familia gentili cuidam matrimonio spoponderit. Hinc secuta inter Ursinos & Bohemiæ reges amicitia, qvæ apud Matthæum ejusdem familiæ Cardinalem plurimi fuit. Is enim rogatus à Venceslao, Gotium Urbevetanum, utroqve jure consultum, in Bohemiam misit, qvo regnum sub leges reduceret. Sed impedivere principes, qvibus incerta esse omnia lucrum est, Hujus Venceslai soror, nomine Agnes, Rodolpho nupsit, Imperatoris Rodolphi filio, qvi Pragæ moriens ibi defunctus jacet. Ex ea natus est Joannes, qvi Albertum Cæsarem circa flumen Rhenum non longe ab oppido Schaffhausen, dum simul amice iter agerent, sua manu interfecit. Deinde pœnitentia ductus, Clementem qvintum Pont. max. qvi sibi purgationem indulgeret, apud Avinionem adiit. Pontifex Imperatoris occisionem ab Imperatore judicandam ait. Venit igitur Pisas Joannes, ubi tum Cæsar Henricus septimus ejus nominis Imperator considebat, à qvo jussus religionem ingredi eremitarum sancti Augustini, in eaqve perpetuo pœnitere, non recusavit. Mortuus est tandem in eadem urbe, & in æde sui ordinis sepultus. Tumulum ejus nos eo anno vidimus, qvo jussi ab Imperatore Frederico tertio sponsam ejus Leonoram ex Portugalia venientem, sororis tuæ filiam, cum aliis collegis ducturi Senas excepimus. Mater ejus Joannis cordata mulier fuit, & ingenio feroci. Qvæ cum accepisset germanum suum contentum regno Bohemiæ, delatum imperium recusasse. *At ego*, inqvit, *si rerum potiar, glebaq; una mihi modo desit, aut qvod reliqvum est subjiciam, aut imperio excedam.* Ferunt in coronatione Venceslai, non minus novem ducenta eqvitum millia apud Pragam ex regia curia cibos accepisse, peditum vero infinitam multitudinem pastam. Subjecisse & Polonos sibi Venceslaum, à qvibus invitatus, in civitate Gnezno diadema susceperit. Filium qvoqve sui nominis tredecim annos natum, petentibus Hungaris regem dedisse. Sed cum Bonifacius pontifex maximus, Carolum adolescentem, Caroli regis Siciliæ filium eo misisset, & Hungarorum animi mutarentur, filium suum Albæ coronatum, & sacram simul coronam ad se recepisse. Nec diu postea tertio & tricesimo ætatis suæ anno, ex tabe obiisse. Mortem ejus Bohemos

magno

magno mœrore proſecutos. Fuerat enim manſvetus & clementiſſimus princeps, & admirandus opinione ſanctitatis, qvæ poſtea vel miraculis confirmata, traditur. Joanni Brixinenſi epiſcopo, ſi vera eſt fama, per qvietem apparens, cum eum flentem triſtemqve reperiſſet, interrogavit, qvænam eſſet cauſa mœſtitiæ. Dicenti ſe mortem ejus æqvo animo ferre non poſſe, incredulitatem exprobavit, qvi ſacris eloqviis fidem non adhiberet, in qvibus hæc verba potuiſſet aliqvando legiſſe: *Cum te conſumptum putaveris, orieris ut Lucifer, & habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies. Reqvieſces, nec erit qvi te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi:* ſubjungensqve parvam eſſe ejus fidem, atqve inanem, ſi mortem ſanctorum miſeram putaret, repente diſparuit. Epiſcopus excitatus, verba qvidem ſibi dicta memoriter tenuit, ſed ubinam ſcripta eſſent in ſacro codice, penitus ignoravit. Evoluto autem concordantiarum libro, undecimo apud Job capitulo, qvod qværebat, invenit. Ad tumulum autem ejus inſignis latro cum acceſſiſſet, exprobrans mortuo vitam, lapideæ ſtatuæ ſuper ſepulchrum jacenti, colaphum incuſſit, nec mora cæcitate percuſſus impietatis ſuæ pœnam dedit. Statua poſtmodum in ſacrario erecta eſt, & alia ænea loco ejus repoſita, Joannis Brabantini egregii ſtatuarii nobile opus.

## Cap. XXIX.

### *De Venceslao Bohemorum Rege ſeptimo.*

VEnceslao filius ejus ſucceſſit, qvamvis eodem nomine, moribus tamen longe diſpar. Qvi cum ebrietati, & turpiſſimæ parti corporis dies noctesqve indulgeret, & aliorum bona diriperet, aliorumqve uxoribus illuderet, apud Olomutium Moraviæ civitatem, dum ſolus in domo Decani pontificalis ædis perambulat, tribus vulneribus confoſſus, duodeviginti natus annos interiit. Ignoratus eſt necis autor, qvamvis Conradus eqves Thuringus, cruentum geſtans pugionem, exire regiam viſus fuerit. Nam is prius obtruncatus eſt populari tumultu, qvam crimen confiteretur.

## Cap. XXX.

### *De Rodolpho Bohemorum Rege octavo.*

VEnerat forte eo tempore Pragam dux Carinthiæ Henricus, cui altera ex sororibus regis, nomine Anna, natu major, jam pridem nupserat. Hunc Bohemi regem sibi deligunt. Id ægre fert Albertus Imperator. Qvi repente coactis copiis Bohemiam ingressus, Henricum regno deturbat, Rodolphumqve filium suum regem constituit. Elizabet senioris Venceslai relicta in matrimonium ei tradita, qvo regnum ejus solidius esset. Qvi cum magna Bohemorum spe regnare cœpisset, subitaneo morbo correptus, primo regni sui anno absqve liberis decessit.

## Cap. XXXI.

### *De Henrico Bohemorum Rege nono.*

POst obitum Rodolphi dissidentes inter se Bohemi, alii Fredericum Rodolphi fratrem, alii Henricum, qvem dejecerant, petierunt. Vicit Henrici factio, trucidatis alterius partis autoribus. Et qvamvis Albertus Imperator cum magnis copiis Bohemiam ingressus, regionem longe lateqve afflixerit: Henricum tamen regno dejicere non potuit, prius à nepote, ut ante diximus, occisus, qvam meditata in Bohemis exeqveretur. Successit Alberto Henricus septimus, de qvo paulo antè mentionem fecimus, comes Lutzelburgensis, consilio & animo juxta potens. Hic Elizabeth alteram Venceslai sororem, octo & decem annos natam, clam jussam ad se venire, apud Spiram Galliæ civitatem Joanni filio suo qvatuor annis minori matrimonio conjunxit. Eodem qvoqve tempore, tribus comparatis exercitibus, unum ipse in Italiam duxit adversus Brixinenses, qvos armis victos, imperata facere compulit, Longobardosq; omnes in potestatem accepit. Alterum adversus comites Wirtenbergenses direxit, sacro Imperio rebelles, qvibus ex octoginta castellis & munitissimis oppidis, qvæ obtinebant, duo & septuaginta armis expugnata ademit. Tertium ex Franconibus ac Bajoariis comparatum, duce Petro archiepiscopo

piſcopo Maguntino, cum filio in Bohemiam miſit. Hic eſt ille Henricus, qvi Romæ coronatus renitente Roberto rege Neapolitano Florentiam obſidione arctiſſima cinxit, Piſas, Senasqve in poteſtate habuit, & apud Bohemicum conventum in agro Senenſi hoſtili fraude veneno extinctus fertur. Cujus corpus in vetuſto ac nobili templo Piſarum, ſublimi loco poſt aram amici condiderunt. Pugnatum eſt in Bohemia pluribus locis, cum alii Bohemorum Joannem regnare cuperent, alii Henrico ſtuderent, qvi jam cum tribus Imperatorum filiis de regni poſſeſſione contendiſſet. Obſeſſa eſt deniqve Praga regni caput, diuqve oppugnata, cum Henricus & Marchio Misnenſis haud pigre mœnia tuerentur. Ad extremum tamen oppidanorum proditione Joanni tradita, hoſtis in arcem ſeſe recepit, nec multis poſt diebus Henricus in Carinthiam profugit. Ex eo tempore uſqve ad Imperatorem Sigismundum, Bohemia in poteſtate Lutzelburgenſium fermè centum viginti ſex annis fuit.

## Cap. XXXII.

### *De Johanne Bohemorum Rege decimo.*

JOannes potenti manu regnum gubernavit, & patre in Italia agente apud Germanos vicario nomine adminiſtravit imperium. Patre vero defuncto, cum plurimæ Italiæ civitates ei ſeſe dediſſent, penetravit Alpes cum exercitu, easqve non paucis annis tutatus eſt, dum Fredericus Auſtriæ, & Lodovicus Bajoariæ princeps, de Romano Imperio inter ſe contendunt. Fuerunt ei & cum conjuge graves diſſenſiones, Baronibus regni reginam à rege ſubtrahentibus, tanqvam Bohemorum inimico, qvi Teutones in primis haberet acceptos. Ventum eſt ad arma, affectum magnis calamitatibus regnum. Vix tandem compoſitæ lites. Poſt hæc Egra à Joanne recepta eſt. Uratislavienſium civitas, qvam dux Sileſiæ occuparat Henricus, Legnicium qvoqve, & qvam plures aliæ Sileſiæ civitates, Joanni ſubjiciuntur. Geritur & adverſus Auſtrales bellum, in qvo victor Joannes ſuos milites præda non modica ditat. Cum regnum Poloniæ qviete obtinere non poſſet, Caſimiro acceptis viginti millibus marcarum argenti, rurſum cedit. Cracoviam tamen obſidione cingit, ſed deficientibus commeati-

meatibus abire compellitur. Cœcus effectus, à rege Francorum adversus Anglicos in auxilium accersitus, cum lectissima eqvitum manu consangvineo solatium tulit, prælioqve memorabili & cruentissimo se immiscuit, in qvo cum multis millibus cæsus interiit, cum regnasset qvinqve & triginta annis. Bellum in celebritate sancti Ruffi gestum. Hinc ea dies apud Bohemos atra atqve innominabilis habita, qvæ duos reges hostili gladio abstulisset.

## Cap. XXXIII.

*De Carolo Bohemorum Rege undecimo, qvi & postea Romanorum Imperator factus, Carolus qvartus dictus est.*

UNum & triginta annos agebat Carolus tum filius ejus, ex Elizabeth conjuge natus. Is vivente patre adversus Tartaros feliciter dimicavit, civitates Lombardiæ à patre acceptas armis tutatus est. Pugnavit adolescens cum Veronensibus, eos prælio fudit. In ea pugna bis eqvo dejectus, non dubitavit tertium conscendere, facinoraqve fortissimi militis edere. Ferunt eum juveniliter lascivientem, cum Parmæ ageret, alienos thoros non paucos polluisse, neqve increpatum à patre abstinuisse. Fuisse per idem tempus Delphino Franciæ cum principe Sabaudiæ bellum, cui cum rogatus Joannes auxilium ferre statuisset, nocte qvæ decretum iter præcessit, visum est in somnis Carolo, juvenem forma conspicuum, militari manu raptum, eminentiqve loco unde videri ab omnibus posset, vestimentis exutum, moxqve virilia ei exsecta. Carolo ex proximo adolescente qvi speciem supra humanam venerabilis adstabat, eaqꝫ sic geri mandaverat, qvisnam hic juvenis esset tam crudeliter acceptus, & cur eo supplicio afficeretur, interroganti responsum datum, *Delphinum esse regis Franciæ primogenitum, qvi talibus modis acciperetur, sic plectendos esse, qvi aliena matrimonia violarent.* Experrectum Carolum summo mane patri somnium recitasse, rogasseqve ne frustra exercitum fatigaret, Delphinum enim non egere auxilio, qvem interemptum esse non dubitaret. Contempsisse patrem verba filii, somniisqve nihil inesse ponderis respondisse, duorumqve dierum itinere cum exercitu profe-

profectum, certum accepisse nuntium, Delphinum in obsidione cujusdam castelli, sagitta in incertum missa, confosso ingvine expirasse, copias ejus dissipatas esse. Carolum in villa Terentii Parmensis agri, qvo in loco visum viderat, in honore beatæ virginis Mariæ collegiatam ecclesiam erexisse, magnificeqve dotasse, qvæ adhuc extat. Patronus ejus est præcentor ecclesiæ Pragensis, qvemadmodum ejusdem Caroli literæ attestantur, qvas nos vidimus legimusqve. Nomen huic Carolo in baptismo Venceslaus fuit, qvod in confirmatione à Carolo Francorum rege mutatum est, apud qvem pueritiæ rudimenta peregit. Fuit autem hic Carolus vir magnorum operum, qvi regnum Bohemiæ, tum religionis cultu, tum legum ac bonorum morum disciplina illustravit. Nam schola liberalium artium ab eo in Praga erecta est, nova civitas mœnibus cincta, palatium regium magnificentissime exædificatum, monasteria multa fundata, arces constructæ admirabiles, pax toti regno reddita. Adeptus imperium, rursus Italiam ingressus, Longobardos in potestatem accepit. Gibellinos, qvi jam pridem Florentia exulaverant, ejectis Gvelphis, in suum locum restituit, reliqvis Etruriæ partibus pro suo arbitrio leges dedit. Coronatus Romæ magnifico apparatu, novatores rerum, qvi adversus ecclesiam sentiebant, Romano pontifici judicandos tradidit. Joanni fratri suo Moraviam possidendam concessit. Vissegradum novis muris ac propugnaculis communivit. Corpus sancti Viti Pragam detulit. Pontem Multaviæ, qvi exundationibus corruerat, in Praga restauravit. Ecclesiam Pragensem ad Metropoliticum decus erexit, cum antea Maguntino pontifici subjecta esset. Clarus profecto imperator, nisi Bohemici regni gloriam magis, qvam Romani imperii qvæsivisset. Illud qvoq; nomini suo non parvam inussit maculam, qvod Venceslaum ex filiis suis natu majorem, in imperio sibi successorem adhuc vivens ordinare conatus est, idqve pecunia. Nam cum principes electores haud facile ad eam rem trahi possent, qvod virtute obtinere non potuit, precio comparavit, promissis cuiqve electori centum millibus aureis. Qvos cum repræsentare non posset, publica illis Romanæ reipublicæ vectigalia obligavit, perpetuum imperii malum. Hinc Romana potestas ad nihilum redacta, nec posthac extollere caput imperium potuit, cum principes electores omnia sibi retinerent, imperatoremqve jurejurando adigerent, ne pignora revocaret. Sigismundus alter Caroli filius

filius à rege Hungariæ Ludovico in ſpem regni adoptatus eſt. Ibiqve tandem coronam adeptus, pugnavit feliciter contra Turcas, triginta duos Turcarum regulos ſecuri percuſſit. Tumultu populari captus, ac viduæ, cujus virum occiderat, in cuſtodiam traditus, beneficio linguæ libertatem adeptus, regnum armis recuperavit. In qvo fortunam utramqve expertus, inter viros claros enituit.

## Cap. XXXIV.

### *De Venceslao Bohemorum Rege duodecimo, qvi & Rex Romanorum extitit.*

VEnceslaus ætatis ſuæ anno ſecundo, permittente patre, regni Bohemici ſceptrum aſſecutus, exin qvindecimum agens annum, cum conjuge ſua Joanna, apud Belgas civitate Aqvenſi, Romani regni coronam accepit. Qvarto deinde anno peſtis ſæviſſima Bohemiam populata eſt. In Praga vero qvatuor menſibus in una tantum ſancti Stephani parochia tria millia funerum & qvinqvaginta fuere. Sexto deinde anno regina deceſſit, & altera ſuperducta eſt ex domo Bajoaria, nomine Sophia, longe viro ſuo præſtantior. Inter hæc Pragenſes populari tumultu excitati, atqve in furorem acti, Judæorum domus invadunt, bona eorum diripiunt, domos incendunt, atqve inter duas horas, non ſexui, non ætati parcentes, infelicem gentem gladio cædunt. Periiſſe aliqvot millia feruntur, ſervati complurimi infantes miſericordia bonorum civium, baptiſmi gratiam acceperunt. Calamitoſum genus hominum Judæi, inter Chriſtianos agentes, qvi ubi paululum abundare creduntur, mox tanqvam Jeſu Chriſti Dei noſtri majeſtatem contempſerunt, aut religioni illuſerunt, non fortunas tantum, ſed vitam qvoqve amittunt. Impune apud Pragenſes flagitium fuit, tum qvia populi haud facile corriguntur ſcelera, tum qvia Venceslaus deſidia corruptus, præſenti rerum ſtatu contentus, neqve præterita corrigere, neqve futura curavit præcavere. Fuit enim Venceslaus longe patri abſimilis, voluptatum ſeqvax, ac labores refugiens, vini prorſus qvàm regni curioſior. Ob qvam rem captus à Baronibus, decem & ſeptem hebdomadas in cuſtodia habitus eſt. Joannes Dux Luſatiæ & Procopius Marchio Moraviæ

viæ magno reipublicæ malo cum libertati reddiderunt. Captus & secundo per Sigismundum Hungariæ regem fratrem suum, & Alberto Austriæ duci in custodiam datus. Custodia ejus in egregiis ædibus apud Viennam habita, qvibus exinde cognomen Praga datum, qvod eas rex Pragensium incoluisset. Sed cum parum diligenter custodiretur, fugam arripuit, regnoqve rursus potitus est, neqve tamen vitam mutavit. Sed priori consvetudine vino ciboqꝫ marcens, lucemqꝫ dormiendo nocti conjungens, ab Electoribus imperii, comprobante Romano Pontifice, imperio dejectus, domi torpens illaudatum egit ævum.

## Cap. XXXV.

### *De perfida secta Hussitarum, & damnatis articulis professionis illius.*

SUb hoc Rege, nostra demum memoria, ætatis vero suæ anno circiter qvinqvagesimo, perfida Hussitarum insania ortum habuit, cujus & originem, & progressum hoc loco proseqvi animus est, qvando ea pestis omnem penè Germaniam contaminavit, neqve adhuc extincta, regni Bohemici magnam partem occupat. Rexerunt scholam Pragensem usqve in ea tempora Teutones. Id molestissimum Bohemis fuit hominibus natura ferocibus, atqve indomitis. Ex qvibus vir qvidam genere nobilis, ex domo, qvam Putridi piscis vocant, apud Oxoniam Angliæ civitatem literis studens, cum Joannis Wiclevi libros offendisset, qvibus de realibus universalibus titulus inscribitur, magnopere illis oblectatus, exemplaria secum attulit. Inter qvæ de civili jure, deqꝫ divino, de ecclesia, de diversis qvæstionibus, contra clerum pleraqve volumina, veluti pretiosum thesaurum patriæ suæ intulit. Imbutus jam ipse Wyclevitarum veneno, & ad nocendum paratus, tum qvod erat familiæ suæ cognomen, Putridum piscem, id est, fœtidum virus, in cives suos evomuit. Commodavit autem scripta qvæ attulerat, his potissime, qvi Teutonicorum odio tenebantur. Inter qvos Joannes eminuit, obscuro loco natus, ex villa Hus, qvod anserem significat, cognomentum mutuatus. Hic cum esset ingenio peracri, & lingua diserta, multumq; dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, avide admodum Wiclevitarum

rum doctrinam arripuit, eaqve Teutonicos vexare magistros cœpit, sperans eo modo confusos Teutones, scholas relicturos. Qvod cum succederet, à Venceslao impetratum, ut Pragense gymnasium ritu Parisiensis gubernaretur. Ea res magistratum scholæ Teutonibus abstulit. Qvam ob causam commoti magistri ac discipuli Teutonici generis, jurejurando adacti, uno die supra duo millia Pragam reliqvere: nec diu post circiter tria millia secuti, apud Lipsicam Misniæ civitatem, trium dierum itinere à Praga distantem, universale studium erexere. Bohemis scholæ suæ gubernatio libere patuit, qvorum princeps est habitus Joannes Hus, lingua potens, & mundioris vitæ opinione clarus. Qvi ubi satis fidei comparatum sibi existimavit, venenum qvod jampridem occultè conceperat, palam evomuit. Fundaverat opulentus qvidam civis in urbe Pragensi, sub nomine sanctorum Matthiæ & Matthæi, haud ignobile templum, qvod Bethlehem appellavit, reditibus additis, ex qvibus duo prædicatores alerentur, qvi festis profestisqve diebus verbum Dei Bohemico sermone plebibus insinuarent. Horum alter Joannes assumptus est. Qvi cum se libenter audiri animadverteret, multa de libris Joannis Wiclevi in medium attulit, asserens in eis omnem veritatem contineri, adjiciensqve crebro inter prædicandum se, postqvam ex hac luce migraret, in ea loca proficisci cupere, ad qvæ Wiclevi anima pervenisset, qvem virum fuisse bonum, sanctum cœloqve dignum non dubitaret. Seqvebantur Joannem clerici ferè omnes, ære alieno gravati, sceleribus ac seditionibus insignes, qvi rerum novitate evadere pœnas arbitrabantur. His & nonnulli doctrina celebres juncti erant, qvi cum in ecclesia conseqvi dignitatem non potuissent, iniqvo animo ferebant sacerdotia majorum censuum his committi, qvi qvamvis nobilitate præirent, scientia tamen viderentur inferiores. EXcœcavit eos invidia, ut qvi viderant non viderent, & qvi intellexerant, non intelligerent. Proruperunt in blasphemias, & cum aliqvibus ignaris fortasse ac vitiosis maledicere possent, in omnes latrare sacerdotes cœpere, & ab ecclesia catholica recedentes, impiam Valdensium sectam atqve insaniam amplexi sunt. Hujus pestiferæ ac jam pridem damnatæ factionis dogmata sunt: *Romanum præsulem reliqvis episcopis parem esse, inter sacerdotes nullum discrimen. Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes, aut in æternas è vestigio pœnas mergi, aut perpetua conseqvi gaudia, purgatorium ignem nullum invenire.*

*veniri. Vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ sacerdotalis inventum. Dei & sanctorum imagines delendas. Aqvarum palmarumq; benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos dæmones invenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna. Liberam cuiqve prædicationem verbi Dei patere. Nullum capitale peccatum, qvantumvis majoris mali vitandi gratia, tolerandum. Qvi mortalis culpæ reus sit, eum neqve seculari, neqve ecclesiastica dignitate potiri, neqve parendum ei. Confirmationem, qvam chrismate pontifices inducunt, & extremam unctionem inter ecclesiæ sacra minime contineri. Auricularem confessionem nugacem esse, sufficere sua qvemqve Deo in cubili suo confiteri peccata. Baptisma fluvialis undæ, nulla interjecta sacri olei mixtura recipiendum. Cœmiteriorum inanem usum, qvæstus causa repertum, qvacunqve tegantur tellure humana corpora nil distare. Templum Dei late patentis ipsum mundum esse, coartare majestatem ejus, qvi ecclesias, monestaria, oratoriaq; construunt, tanqvam propitior in eis divina bonitas inveniatur. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vasaq; hujusmodi, nil habere momenti. Sacerdotem qvocunqve loco, qvocunqve tempore, sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusq; ministrare, sufficere si verba sacramentalia tantum dicat. Suffragia sanctorum in cœlis cum Christo regnantium, frustra impetrari, qvæ juvare non possunt. In canonicis horis cantandis dicendisq; frustra tempus teri. Nulla die ab opere cessandum, nisi qvæ Dominica nunc appellatur, celebritates sanctorum prorsus rejiciendas. Jejuniis qvoqve ab ecclesia institutis, nihil inesse meriti.* Subinco, cognomine Lepus, claris parentibus apud Bohemos ortus, per idem tempus Pragensem ecclesiam pontificio retinebat, consilio & animo illustris Qvi orienti calamitati obviã ire cupiens, priusqvàm amplius debaccharetur, libros Joannis Wiclevi ad se ferri, omnesq; doctorum virorũ consilio adhibito, publice concremari jussit. Supra ducenta volumina fuisse traduntur, pulcherrime conscripta, bullis aureis tegumentisq; pretiosis ornata. Joãni prædicatio interdicta, & minæ adjectæ, si qvando priores in populũ errores vulgare auderet. Ipse Praga excedens, apud villam, ubi sibi origo fuit ac cognomen, permittente loci domino, qvi ejus insaniæ favebat, vocare plebes, ac docere non desistit, multa in Romanum præsulem, multa in reliqvos ecclesiæ pontifices maledicta congerens. Utq; populi animos sibi magis ac magis conciliaret; *Decimas haud aliter qvàm eleemosynas sacerdotibus debitas adstruit, liberum prædia possidentibus, si velint eas dare, si nolint, nullo ju-*

*re cogi posse*. Nondum error de sacramento altaris irrepserat. Sed attulit novam pestem Petrus Dresdensis ( id oppidum Misnæ super Albim situm ) qvi cum aliis Teutonibus paulo antè Bohemiam reliqverat. Cognitus inter suos, qvia Valdensi lepra infectus esset, patria pulsus, velut hæreticorum asylum Pragam repetiit, puerorumqve docendorum curam accepit. Apud ecclesiam sancti Michaëlis per id temporis populum prædicando instruebat Jacobellus Misnensis, literarum doctrina & morum præstantia juxta clarus. Petrus hunc aggressus mirari se ait doctum & sanctum virum, qvi divina eloqvia plebibus exponeret, errorem illum non animadvertisse communionis Eucharistiæ, qvi jam pridem ecclesiam pessundasset. In qva sub una tantum specie, dominicum corpus populo ministraretur, cum apud Joannem Evangelistam & Apostolum Christo dilectissimum, sub duplici specie panis viniqve sumi jubeatur, dicente apud eum Salvatore: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habetis vitam in vobis*. Commotus his Jacobellus, cum perqvisitis vetustis sanctorum doctorum codicibus, Dionysii præsertim, & Cypriani, communionem calicis laudatam invenisset, prohibitus apud sacellum archangeli Michaëlis prædicare, in templo majore sancti Martini cathedram sortitus, publice commonere populum cœpit, ne deinceps communionem calicis, sine qva salvari nemo posset, qvoqvo pacto negligerent. Huic omnes hæretici consenserunt, haud modica gestientes lætitia, qvod articulum invenissent in Evangelica lege fundatum, per qvem Romanæ sedis vel ignorantia, vel neqvitia argui posset. Odioso qvamvis hæc animo rex intelligeret, desidia tamen corruptus, & inertia torpens, impune debacchari sinebat hæreticos. Subinco archiepiscopus ubi nullum adversus tantum emergens malum in Venceslao præsidium invenit, ad Sigismundum Hungariæ regem confugit, obsecrans atqve obtestans, ut negligentiam fratris emendet, neqve labefactari orthodoxæ fidei sacramenta permittat. Dat fidem Sigismundus petiturum se brevi Bohemiam, ecclesiæ catholicæ consulturum. Sed dum dies die ducitur, Subinco apud Postinium in Hungaria moritur, & Albicus ei sufficitur, natione Bohemus, arte medicus, & Sigismundo propterea charus, unicum extremæ avaritiæ barathrum. Qvi claves cellæ vinariæ nulli alteri qvàm sibiipsi credidit, & animalia viventia dono accepta mox vendidit. Et qvia sumptuosos esse coqvos didicerat, abjectam

abjectam anum popinæ ſuæ præfecit. Interrogatus aliqvando, ſonorum omnium qvem moleſtius audiret, *maxillarum*, inqvit, *oſſa frangentium*. Idoneus profecto pontifex, qvi ſurgenti fomentum hæreſi daret. Infeſtabat ea tempeſtate Romanam eccleſiam Ladislaus rex Neapolitanus, adverſus qvem Joannes Papa tertius & viceſimus bellum decernens, plenariam peccatorum remiſſionem indulſit his, qvi ad tuendam eccleſiam arma induerent. Recitabatur in eccleſia Pragenſi decretum pontificis. Qvod cum qvidam ſordidæ artis homines audiſſent, Joannem Papam Antichriſtum eſſe magna voce clamaverunt, qvi crucem contra Chriſtianos decerneret. Eos è veſtigio ſenatus in carcerem rapi juſſit, populus vero ſuſceptis armis, dimitti omnes petiit. Sed placatus oratione ſenatus, tanqvam vita captivorum in tuto eſſet, ſuam qvisqve domum rediere, de illis clam ſupplicium ſumptum. At cum ſanguis extra prætorii januam defluens indicium necis feciſſet, iterum accurrens populus, interemptorum corpora rapuit, & aureo circumvoluta panno per omnes urbis eccleſias detulit, clamantibus ejusdem ſectæ ſacerdotibus, iſti ſunt ſancti, qvi pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt. Exin cadavera in ſacrario in Bethleem repoſita, qvaſi martyrum reliqviæ aromatibus condita.

## CAP. XXXVI.

### *De Joanne Hus, & Hieronymo hæreſiarchis, in Conſtantienſi concilio igni traditis.*

DUm hæc aguntur, generale Concilium apud Conſtantiam Svevorum urbem cogitur. In qvo de rebus Bohemicis ſermo habitus, patrum mentes ingenti cura confecit, volventium animo qvonam modo ſanari provincia poſſet. Placuitq; tandem, Sigismundo Imperatore ſvadente, Joannem & Hieronymum ad Synodum vocari, qvi tum cæteris ejusdem regni doctiores, tum populi ductores, ac hæreſum principes habeantur. Venerunt ambo, non tam verecunde aliena diſcere, qvàm ſua impudenter ingerere parati, docendi qvippe qvam diſcendi cupidiores, & populares amantes aures. Auditi ſunt in conſeſſu patrum Joannes ætate major & autoritate habitus, doctrina ac facundia ſuperior Hieronymus. Lecti ex

omni natione patres, divini atqve humani juris doctores, sæpe cum his colloqvium habuere, dogmata eorum à lege divina aliena esse monstrarunt, neqve bonis conducere moribus. Rogaverunt, ne plus sapere qvàm ecclesia vellent, sed saperent ad sobrietatem. Peregrinas opiniones relinqverent, ingenia sua, qvæ qvidem essent nobilissima, Wiclevitarum insania ne fœdarent. Eloqventiam, qva præditi essent, in corroborandis ecclesiæ institutis, non evertendis: in edocendis populis, non dedocendis, exercerent. Posse eos & in conspectu Dei, & in ecclesia militante sublimem conseqvi locum, si rejectis novitatibus patrum vestigia seqverentur, inventionesq; suas universali Concilio submitterent. Stetere in proposito pertinaces Bohemorum animi, neq; victi rationibus vinci voluere. *Se veraces, se sancti Evangelii æmulatores, se Christi discipulos esse. Romanam ecclesiam, cæterasq; per orbem dispersas, longe à traditionibus Apostolorum abiisse, qvæ opes ac delicias sectarentur, dominatum in populos, & primos in conviviis accubitus exqvirerent, canes, eqvos alerent, ecclesiarum bona, qvæ Christi pauperibus deberentur, per lasciviam luxumq; consumerent. Aut nescire prorsus divina mandata, aut scientes contemnere.* Primores magnæ Synodi, ubi pertinaciam & immutabiles animos perditorum hominum animadverterunt, membra ecclesiæ putrida, qvæ sanari non poterant, ne reliqvum corpus inficerent, resecanda censuerunt. Lata est in consessu patrum adversus contumaces sententia, *cremandos esse qvi doctrinam ecclesiæ respuerent.* Prior igitur Joannes combustus est, Hieronymus diu postea in vinculis habitus, cum resipiscere nollet, pari supplicio affectus. Pertulerunt ambo constanti animo necem, & qvasi ad epulas invitati ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, qvæ miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinere, qvem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, qvam isti incendium. Poggius Florentinus, ætatis nostræ nobilis scriptor, de morte Hieronymi ad Nicolaum Nicolai concivem suum, elegantem scripsit epistolam, qvamvis paululum sua consvetudine in mores cleri invectus videatur. Cineres exustorum, ne raperentur à Bohemis, in lacum projecti. Discipuli eorum ex eo solo terram abstulere, in qvo ignis fuit, eamqve veluti sacram secum attulere in patriam. Joannes ac Hieronymus apud Bohemos martyrum honores meruere, nec minores qvàm Pe-

trus

trus & Paulus apud Romanos habiti. Nunciatis enim in Bohemiam, qvæ Constantiæ gesta fuerunt de Joanne ac Hieronymo, discipuli eorum seqvacesqve omnes in unum convenientes, memoriam in primis defunctorum consecrant, celebrandamqve qvotannis decernunt. Exin per amicos nonnullas sibi ecclesias à rege tradi extorqvent, in qvis suæ prædicare plebi, sacramentaqve ministrare liberè possint. Neqve hoc modo contenti, apud Sclavoniam nobile monasterium fratrum Prædicatorum extra mœnia oppidi situm, è fundamentis dejiciunt. Eaqve prima ecclesiarum ruina in Hussitarum novitate facta, decurritur in ecclesias, monasteriaqve passim, nobilissima superis dicata templa ferro atqve igne vastantur. Nullum ego regnum ætate nostra in tota Europa tam freqventibus, tam augustis, tam ornatis templis ditatum fuisse, qvàm Bohemicum reor. Templa in cœlum erecta, longitudine atqve amplitudine mirabili, fornicibus tegebantur lapideis, altaria in sublimi posita, auro & argento, qvo sanctorum reliqviæ tegebantur, onusta, sacerdotum vestes margaritis tectæ, ornatus omnis dives, pretiosissima suppellex, fenestræ altæ atqve amplissimæ conspicuo vitro & admirabili opere, ut lucem præbeant. Neqve hæc tantum in oppidis atqve urbibus, sed in villis qvoqve admirari licebat. Fuit inter cætera monasterium Aulæ regiæ, apud ripam Multaviæ, qva Mosa fluvius illi jungitur, situm, in qvo regum corpora condebantur, singularis excellentiæ. Nam præter ædem magni & memorabilis operis, amplum dormitorium, cæterasqve monachorum officinas magnifice constructas, habuere circuitum, qvi non parvum conclusit hortum, ambitum vocavere. In hujus lateribus vetus novumqve testamentum ab initio Genesis usqve ad Apocalypsim Joan. literis majusculis in tabulis scriptum, continebatur, notis qvo altius irent paulatim crescentibus, ita ut à summo usqve deorsum facilis lectio præberetur. Sed hoc decus post Venceslai mortem, Hussitarum rabies delevit. Qvi postqvam ecclesias qvamplurimas dejecerunt, monasteria incenderunt, castellum petentes, cui Bechingen nomen est, octo ferè milliaria ab oppido, qvod nunc Thabor appellant, triginta circiter millia hominum convenere, atqve ibi trecentas mensas in patentibus campis erexere, ex qvibus populo sacramentum calicis ministrarunt. Terruit ea congregatio Venceslaum, verentem ne tumultu facto in se arma converterent, regnumqꝫ sibi

adime-

adimerent. Nec ſua res periculo caruit. Venceslaus ei ſaluti ſuit, cognomento Coranda, ſingulari facundia presbyter, & in plebibus auditus. Qvi dum populum de republica admoneret, inter cætera locutus eſt, *Qvanqvam*, inqvit, *viri fratres, ebrioſum atqve inertem ſortiti regem fuimus, ſi tamen cæteros expendere principes pergimus, nemo eſt qvem noſtro regi anteferamus, qvem rectè omnium regum ſpecimen dixerim, qvietum, benignum, noſtri amantem. Nam qvis eo regnante nos laceſſere audet? licet nos ex voto vivere noſtro. Si non eſt eadem ſibi, qvæ nobis de religione ſententia, ritum noſtrum neq; ipſe perturbat, neq; alios perturbare ſinit. Qvibus de rebus par eſſe arbitror preces pro eo ad Deum fundamus, utq; ſinguli ei vitam rogemus, cujus deſidia noſtra ſalus, noſtra qvies eſt.* Qvod cum ab exploratoribus rex cognoviſſet, qvieto animo fuit, & factus ex tepido frigidus, Corandum inter amicos habuit. Per idem fermè tempus ſurrexit & alius pſeudoſacerdos apud Pragam, Joannes qvidam ex ordine Præmonſtratenſium impius monachus, & ad omne ſcelus audax. Qvi cum prædicaret apud ſanctum Stephanum in Piſcina, neqve bene ſapere videretur, inde amotus monaſterium Carmelitarum invaſit. Hoc ſvaſere hæretici, ut ſuam potentiam oſtentarent. Singulis fermè diebus ſacram euchariſtiam per ſuas eccleſias circumvectabant. Qvas cum paucas eſſe dicerent, ductore Nicolao viro nobili, ejus loci domino, unde Joannem Hus originem trahere diximus, in regiam tumultuarie prorumpentes, Venceslaum oravere, ſibi ut ampliores eccleſias elargiretur, qvi jam populi majorem partem obtinerent. Audivit rex benigne Nicolaum pro multitudine loqventem, utqve in poſterum diem rediret, juſſit: deinde miſſo populo ad Nicolaum qvi remanſerat, converſus, *Tu*, inqvit, *qva me regno ejiceres, orditus es telam, at ego laqveum inde efficiam, qvo te poſtea ſtrangulem.* Ille à regis conſpectu abiens, populares magis ac magis incendit. Rex in arcem Viſſegradenſem urbi vicinam, parvoqve tantum fluvio disjunctam, ſeſe recipit, & paulopoſt in caſtellum novum, qvod ipſe conſtruxerat, qvinto diſtans lapide, cum paucis adiit, miſſis ad fratrem oratoribus, qvi ejus auxilium implorarent. Conſulibus autem novæ civitatis Pragenſis, ne ulterius ab hæreticis dominicum corpus in pompa deferri ſinerent, imperavit.

CAP.

## Cap. XXXVII.

### *De morte Venceslai Regis.*

AT hæretici pridie calendas Julii apud ecclesiam Carmelitarum convenientes, ad ædem sancti Stephani eucharistiam per plurimas plateas atqve ecclesias armati circumtulere, ibiqve domum sacerdotis suis ineptiis non consentientis diripuere, & sublato clamore ingenti furentes prætorium petiere. Consules undecim metu perculsi fuga salvati sunt, septem qvi remanserant, & cum his judex urbis, atqve alii nonnulli cives, raptim intercepti, ex altissimis fenestris in forum præcipitati, lanceis ac verubus irati populi excepti, dirum spectaculum dilaniati præbuere, stante in foro Joanne monacho, & sacrum Christi corpus sangvinario populo ostentante. Camerarius regni, qvi cum trecentis eqvitibus ad sedandum tumultum occurrerat, ubi furentem plebem animadvertit, de sua vita sollicitus, fuga sibi consuluit. Ea cum regi renuntiarentur, cunctiqve circumstantes attoniti facinus detestarentur, *at ego* (inqvit pincerna) *futura hac præscieram*. Qvem rex indignatus correptum, repente ante pedes suos prostravit, & arrepto pugione conatus est interficere. Sed impeditus à circumstantibus, ægrè illi vitam dimisit. Nec mora paralysi correptus, ægrotare cœpit, atqve infra octo & decem dies, signatis nominibus hæreticorum, qvos neci destinaverat, fratrem assidue vocitans, & amicorum auxilia anxius expectans, ante vita excessit, qvàm vocati principes adessent, cum regnasset annis qvinqve & qvinqvaginta, vixisset & duobus amplius. Consveverunt corpora regum apud Bohemos, priusqvam sepelirentur, octo diebus aromatibus condita, per sacraria urbis circumferri plangiqve, & seqventibus amicis ac Baronibus conclamari. Hoc in Venceslao neglectum, non audente regina ingredi novam civitatem. Delatum est cadaver ad ecclesiam sancti Viti in arce, & inde ad Aulam regiam, de qva paulo ante meminimus, ibiqve conditum in sepulchro, qvod ipse sibi delegerat. Sed postea cum monasterium ipsum ab hæreticis diriperetur, & sepulchra regum effringerentur, cadaveraqve abjicerentur: pisciculos qvispiam, nomine Muscha, Venceslao vendere solitus, regis, qvem amaverat, corpus clam collegit, & in loculo apud se domi

condidit. Interjecto deinde tempore, rebus in meliorem formam redactis, cum Venceslai corpus inqvireretur, acceptis viginti aureis illud reddidit, tumqve circumgestatio ex more facta, & justum regi funus exhibitum.

## Cap. XXXIIX.

### *De Joanne Zischa, hæreticorum Hussitarum capitaneo, in armis strenuissimo, ac victoriosissimo.*

Recens obierat Venceslaus, cum Joannes Zischa nobilis genere ex loco, cui Trosnovia nomen, censu tenui, in curia regis à puero enutritus, & bellis exercitatus, uno carens oculo, qvem strenue pugnans jam pridem amiserat, infectus Hussitarum veneno, & rapinarum avidus, collecta perditorum hominum multitudine, in ecclesias, qvæ restabant, impetum fecit, simulachra Sanctorum, & imagines magni Dei perfregit. Monasterium Carthusiensium Pragæ vicinum invasit, qvo direpto monachos ejus ordinis tanqvam populo inutiles, qvi veluti fuces in claustro saginarentur, migrare alio jussit. Venere per idem tempus ex montibus Pragam CCCC. circiter viri cum mulieribus, lepra Hussitarum infecti, atqve in foro sedentes, cibum ex magistratibus petiere. Consulatus metu plebis, qvæ advenarum miserebatur, cibaria eis publicitus ministravit. Zischa hos sibi adjunxit, arcem Vissegradensem, qvæ negligenter custodiebatur, invadere cupiens, ad locum, qvem Cruces appellant, profectus est. Ibi supra qvadraginta millia virorum ex hæreticis convenere. Qvi suam multitudinem conspicati, animum ad omne facinus audacem sumpsere. Multa ibi adversus Sigismundum Cæsarem, qvem regium hæredem suis conatibus infensum norant, excogitata atqve decreta. Exin Zischa, duce Coranda, de qvo supra meminimus, Pelzinam, ubi complures esse suæ factionis amicos non ignorabat, valido præsidio muniit, qvi apud Cruces remanserant, arcem Vissegradensem invasere. Sophia interim anxia, qvo se pacto tueretur, crebris nuntiis ac literis Sigismundum vocare, vicinorum auxilia petere, atqve in omnes partes mentem dirigere. Sigismundum malo usum consilio, in Turcas, qvi se jampridem castris exuerant, arma

ma prius movere, qvàm Bohemiam petere libido incessit. Qvod si exercitum Pragam duxisset, anteqvam vires hæreticorum convaluissent, nunqvam ea incendia, qvæ postea vidimus, Germaniam exussissent. At dum ille Turcas lacessere parat, Bohemiam amisit, & Hungariam non defendit. Ea propter cum serum esset ejus auxilium, regina cum Cenchone Wartenbergensi regnum gubernans, ex thesauro regio copias comparavit, arcem Pragensem & minorem civitatem, qvæ arci adjacet, præsidio firmavit, ponti Multaviæ, ne transitus illac esset hæreticis, ligneas turres ac januas adjecit. At illi passim per regnum conventus agitare, sollicitare populos, hos minis terrere, illos blanditiis allicere, implere Novam civitatem suis hominibus, dies noctesqve consultare, qvibus modis summam sibi rerum acqvirerent. Cum qvibus Petrus Starembergius apud insulam Benedicti confligens, æqvo marte prælium diremit. In Praga aucta hæreticorum alluvie, pro ponte pugnatum, multisqve utrinqve cadentibus, pons deniqve in potestate Hussitarum factus, declivioris partis Pragæ minoris fideles in altiorem sese partem receperunt, atqve inde conversi acribus animis instauravere certamen. Pugnatum est die noctuqve continuis qvinqve diebus, sævissimis ac crudelibus ausibus, multi utrinqve cæsi, magnificæ domus exustæ, prætorium infimo loco situm, incensum atqve deletum.

## Cap. XXXIX.

### *De Sigismundo Bohemorum rege tertiodecimo, & Romanorum imperatore.*

CUm hic esset rerum status, legati Sigismundi supervenere, qvi regni gubernationem accipientes, cum civitate Pragensi ea lege inducias fecere, *ut arce Vissegradensi reddita, liceret civibus ad Sigismundum oratores mittere, deq; re sua cum eo transigere: Zischa Pelzinam, Piestam, & alia qvæ occupaverat loca, restitueret.* Conditionibus acceptis atqve completis, externi hæretici urbem reliqvere, consulatus ex prisco more gubernationem iniit, qvietior reddita civitas, non tamen Catholici, qvi excesserant, redire ausi. Expectabant autem Sigismundi adventum, cujus præsentia sese

tutos arbitrabantur. Sed interruperunt ſpem literæ ab eo miſſæ, in qvibus ſcriptum erat *ipſum brevi venturum, regnumqve eo modo gubernaturum, qvo pater ipſius Carolus provinciam gubernaſſet.* Qvibus ex verbis intellexerunt hæretici ſectam ſuam excluſum iri, qvæ regnante Carolo nondum ortum habuiſſet, proinde magis ac magis indignari. Sigismundus autem ad feſtum nativitatis Dominicæ, Brunnam, qvod eſt Moraviæ oppidum, petiit, ibiqve Pragenſibus veniam petentibus ea lege pepercit, ut catenas & repagula tota ex urbe deponerent, ſuos magiſtratus acciperent. Paruit attonita civitas, cum primores regni elevatis in cœlum manibus adventum novi regis gratulabundi expoſcerent, ejusqve rectores ſine controverſia reliqvæ urbes admitterent. Nec dubium videbatur, qvin tota Bohemia labes Huſſitarum exceſſiſſet, ſi ex Brunna Sigismundus recta via ſe Pragam contuliſſet. Sed divertit ille, ut fortaſſe fati ſui erat, Uratislaviamqve Sleſiæ caput acceſſit. Qvo in loco populus urbanus non diu antea conſulatum à Venceslao fratre ſuo conſtitutum per ſeditionem obtruncaverat, cujus ſceleris autores ſecuri percuſſit. Qvod ubi Pragæ renunciatum eſt, diffiſi de venia cives, exemplum Vratislavienſium veriti manifeſto deſciverunt, & allecto præmiis Cenchone, qvi arci Pragenſi præerat, in totum regnum literas dedere, *ne qviſpiam Sigismundo aditum præberet, qvi Dalmaticæ linguæ hoſtis eſſet, nec alia cura teneretur, qvam regni perdendi, qvi antiqvam Prutenorum civitatem Ordini jure pignoris obligaſſet, Brandenburgenſes autem à corona Bohemica alienaſſet, Johannem ac Hieronymum in Conſtantienſi concilio cremari non ſolum permiſiſſet, verum etiam procuraſſet, dogmata fidei, qvæ ipſi ſeqverentur, totis conatibus impugnaret.*

## CAP. XL.

### *De civitate Thabor & extructione ejus, fratribusqve Thaboritis.*

ZIſcha dum hæc aguntur, relicta ex fœdere Pelzina, bis à fidelibus invaſus, bis verſutiis uſus, ex pene victo victor evaſit. Erant aſpera loca, in qvibus pugnare oportuit, hoſtes in eqvis, milites ſui omnes pedites, nec certamen committi niſi pedeſtre poterat. Ut ergo deſiliere ab eqvis adverſarii, mulieres qvæ de more

more ſuum exercitum ſeqvebantur, projicere pepla in terram juſſit, qvibus implicita per calcaria eqvites, prius extincti ſunt, qvàm pedes expedire valerent. Ipſe deinde Auſcam petiit, oppidum ad Luſinitium amnem in ripa ſitum, ex qvo Copius & Ulricus fratres, veræ fidei cultores, ejusqve loci domini, non parvam populi partem ejecerant cum hæreticis ſentientem. Id Ziſcha Qvadrageſimæ nocte aggreſſus armis expugnavit, diripuit, incendit. Sed & Licium caſtellum, ab eo loco mille paſſuum diſtans, qvo ſe Ulricus receperat, vi cepit, Ulrichum familiamqve ſuam gladio occidit, uni tantum vita retenta, qvi reliqvos obtruncaret. Cumqve civitatem qvam incoleret muro cinctam non haberet, locum natura munitum ad eundem amnem elegit, vix octo ſtadiis ab Auſcha ſeparatum. Hunc mœnibus cinxit, & ut qvisqve tentoria fixerat, ita ædificare ſibi domos imperavit, civitati Thabor indidit nomen. Nam & comites ejus, fratres Thaboritæ appellabantur, tanqvam cum tribus Apoſtolis ſalvatoris Chriſti transfigurationem in monte vidiſſent, indeqve ſuas opiniones mutuati eſſent, qvas fidei veritates appellant. Civitas qvamvis altis defenſa rupibus, muro tamen & antemurali cincta eſt. Luſinicius amnis majorem urbis partem alluit, qvod reliqvum torrens non modicus ambit. Qvi cum recte in Luſinicium tenderet, ſaxeo colle impeditus, qvam longa eſt civitas, flectere ad dexteram iter coactus, in fine urbis majori fluvio miſcetur. Spacium qvo per terram acceditur (nam penè inſulam duo amnes efficiunt) vix pedes triginta protenditur. Hic foſſa profunda manufacta, & triplex murus ea craſſitudine, qvæ nullis effringi machinis qveat. Turres in mœnibus crebræ, & propugnacula, qvæ ipſi Thaboritæ expugnandarum urbium magiſtri excogitaverunt, locis opportunis conſtructa. Hic refugium omnium hæreticorum, arcemqve Ziſcha primus erexit, qvi eum ſecuti ſunt, pro ſuo qvisqve ingenio munimenta urbis auxerunt. Nos qvalem vidimus civitatem deſcripſimus. In amne Luſinicio auri grana reperiuntur, ciceris æqvantia magnitudinem, qvæ nullo egent purgamento. Nondum eqvites apud Thaboritas militaverant, cum eſſent omnes fermè infimæ plebis homines, & qvi non tam novam fidem ſecuti, qvàm judicia & carceres fugiſſe videbantur. Nicolaus magiſter monetæ, qvem Sigismundus ad res curandas in Bohemiam miſerat, primus omnium

eqvorum copiam Thaboritis fecit, qvi cum mille eqvitibus in vico, cui Vogice nomen eſt, novis Ziſchæ motibus occurſurus conſederat. In hunc nocte ipſa parasceves Ziſcha ex improviſo prorumpens omnes illi eqvos ademit, arma ſurripuit, vicum incendit. Milites ſuos eqvos aſcendere, ſaltare, currere, flectere in gyrum docuit, neqve poſthac absqve alis eqvitum copias duxit. Nicolaus in arce ſalvatus eſt.

## Cap. XLI.

### *De Adamitis hæreticis.*

INter hæc & alia apud Bohemos nephanda & inaudita prius emerſit hæreſis. Picardus qvidam ex Gallia Belgica, transmiſſo Rheno, per Germaniam in Bohemiam penetravit, qvi præſtigiis qvibusdam fidem ſibi concilians, brevi tempore non paruam mulierum virorumqve plebem ad ſe traxit, qvos nudos incedere jubens, *Adamitas* vocavit. Et occupata inſula qvadam, amne Luſinicio cincta, filium Dei ſe dixit & Adam vocari. Connubia eis promiſcua fuere, nephas tamen injuſſu Adam mulierem cognoſcere. Sed ut qvisqve libidine incenſus in aliqvam exarſit, eam manu prehendit, & adiens principem, *In hanc*, inqvit, *ſpiritus meus concaluit.* Cui princeps reſpondit, *Ite creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Aiebat cæteros homines ſervos eſſe, ſe vero & qvi ex eis naſcerentur, liberos. Ex iis qvadraginta viri inſulam exiere, & intrantes vicinas villas, evaginatis gladiis ſuper ducentos agreſtes interſecere, qvos diaboli filios aſſerebant. Ziſcha iis auditis, qvamvis ſceleratus, ſcelus tamen exhorruit. Habet enim hoc natura hominum, ut aliena magis qvàm ſua qvisqve vitia perhorreſcat. Neqve ſumma mala diu inulta manent, ultoremqve mali ſæpe malum cernere licet. Direxit igitur in eos exercitum, expugnataqve inſula, Adamitas omnes gladio delevit, duobus tantum reſervatis, ex qveis gentis ſuperſtitionem cognoſceret. Audivi ego ex Ulricho Roſenſi præſtanti regulo, cum agerem in Bohemia, fuiſſe apud ſe viros & mulieres ejus ſectæ captivos, & mulieres qvidem palam dixiſſe, *non eſſe liberos, qvi veſtibus & præſertim femoralibus uterentur*, easqve in carcere apud ſe peperiſſe,

risse, qvas cùm anno elapso simul cum viris igni tradidisset, ridentes cantantesqve flammarum incendia pertulisse.

## Cap. XLII.

### *Qvomodo Sigismundus Bohemiam ingressus, coronam regni acceperit, minusqve feliciter pugnaverit.*

Sigismundus interea convocatis Silesiæ ducibus, ingressus Bohemiam, Græcium, exinde Cuthnam infesto exercitu petit. Cenchonem ut arcem Pragensem sibi reddat, magnis sponsionibus allicit, eqvitum qvatuor millia, qvi urbem lacessant, ibidem collocat. Cencho bina proditione insignis domum revertitur. Pragenses Zischam accersunt, qvi cum Thaboritis nihil moratus, urbem accepit in potestatem. Duo tantum ex Baronibus Hilco Crussina Lituburgensis, & Hilco Valdesteinensis, ac pauci nobiles, Pragensium signa seqvebantur, reliqva multitudo ex plebe collecta. His primum studium fuit arcem oppugnare. Locus ipse natura munitus, non aliter qvàm vinci fame posse apparebat. Clausi aditus, ne qvid commeatus importaretur. Sigismundus ferro iter aperuit, obsessisqve necessaria præbuit, nec diu postea civitatem ipsam, accersitis ex imperio auxiliis, obsidere decrevit. Fuerunt in castris ejus Saxoniæ duces, Marchionesqve Brandenburgenses, & gener ejus Albertus Austriæ princeps. Oppugnata est civitas sex hebdomadibus. Ipse vero Sigismundus in æde Metropolitica, qvæ in arce sita est, regni coronam accepit. Conradus natione Westphalus archiepiscopus, qvi postea in hæresin prolapsus est, sacris solennibus rite peractis, diadema ei imposuit. Albicus enim jam pridem dignitati cesserat, cum familiam edentem bibentemqve ferre non posset, & minori contentus officio, avaritiæ serviebat. Oppugnabatur summis viribus hæretica civitas. Medio tempore reguli Rosenses, & Chrageri Thaboritæ castra tenentes, à Nicolao Hus, qvem Zischa cum parte copiarum eo miserat, prælio victi exuuntur. Græcium qvoqve reginæ ab hæreticis expugnatum. Imminet urbi Pragensi sublimis mons, qvem Vielechonis appellant, hunc ne hostes occuparent, Zischa præsidio munierat. Cum qveis Marchio Misnen-

Misnensis congressus, magnam militum suorum partem amisit. Misnenses enim cum jam montis cacumen occupassent, in partem coacti, qvæ prærupta erat, acrius oppressi, ubi retinere impetum non valuere, alii cæsi sunt, alii ex monte deturbati per abrupta dilapsi perierunt. Sigismundus obsidione dimissa Cuthnam se recepit. Per idem tempus vulgaverant hæretici *ipsa die Pentecostes ignem de cœlo casurum, qvi urbes Bohemicas omnes exureret.* Ob qvam rem magna ex parte civitatum mœnia relicta, populariter in agris erratũ. Sed die prædicta, cum imbres tota fermè Bohemia vehementes fuissent, religio in risum conversa, multũ hæreticis opinionis detraxit. Vicit tamen obstinatio eorum, qvos rapinarum cupido magis qvàm fidei zelus pellexerat. Zischa apud Pragenses degens, ex consilio suorum sacerdotum, omnes basilicas delere adorsus est, qvæ sanctorum nominibus dedicatæ fuerant. Neq; enim fas esse dicebant, *alteri qvàm soli Deo templa sacrari.* Hinc plurima monasteria & nobiles ecclesiæ uno impetu in civitate disjectæ. Id Pragensibus ægre fuit, qvibus servandum ædificiorum decus videbatur. Orta dissensione, jurgioqve sensim obrepente, Zischa cum suis abiit, & ad Thaboritas reversus multa fidelium loca expugnavit. Inter qvæ Pragatini præpositi Vissegradensis oppidum diripuit, in qvo viros ac mulieres cum pueris & infantibus, cunctosqve loci sacerdotes in ecclesia conclusos, immisso igne combussit.

## Cap. XLIII.

### *De Orebitis hæreticis.*

FUit & alia in Bohemia hæreticorum factio, fratrum Orebitarum appellata, qvæ territorium Græcense vicinasqve gentes magnis affecit cladibus, pestifera atqve immanis, neqve Thaboritarum crudelitate ulla ex parte inferior. Adversus qvam Martinus qvintus Pontifex maximus nominatim crucem decrevit, neqve tamen in plures annos extirpari potuit. Hujus sectæ homines, qvotiens sacerdotes nostros intercepere, aut igne cremaverunt, aut nudos rigente hyeme super glaciem colligatos dimisere. Qvos parvi momenti existimarunt, desectis virilibus abire permiserunt. A Pragensibus inter hæc summis viribus arx Vissegradensis oppugnatur. In qva cum

cætera abessent, eqvinæ carnes aliqvandiu pro cibo fuere. Ad extremum nisi ad certum diem Sigismundus auxilium ferret, deditio promissa, verum ea lex adjuncta, *ut veniente Sigismundo Vissegradenses prorsus qviescerent.* Affuit inter diem dictum imperator, ignarusqve conditionis, locum ingressus arctum sub arce, in qvo facile ab obsessis desendi poterat, cum illi datam fidem observassent, invasus repente à Pragensibus, ingentem perpessus stragem, rebus infectis retro abiit. Ceciderunt ex Moravis qvatuordecim proceres, ex Hungaris cæterisqve gentibus qvàm plurimi, arx Pragensibus dedita.

## Cap. XLIV.

### *De multis præliis & victoriis Joannis Zischæ.*

Zischa dum hæc fiunt, Booslaum regulum, cui Cygneo cognomen fuit, qvi multis antea cladibus hæreticos affecerat, in oppido suo munitissimo vi cepit & in hæresim suam pellexit. Qvi ad Rethium paucis post annis in Austria, dum hæreticorum copias ducit, vulneratus interiit. Erant in territorio Pelzinensi complura cœnobia, opibus & structuris insignia, ex qvibus Zischa qvinq; combussit. In monasterio vero Claronensi, qvod munitius fuit, præsidium posuit. Huic Sigismundus excercitum admovit, Zischa autem in eum copias ducente, turpi suga recessit, nec diu postea Bohemiam qvoqve reliqvit, Zischa ad Pelzinam duxit. Sed cum civitatem egregie defensam expugnare desperaret, inde solvens Comitaviam petiit, non parvi nominis oppidum. Qvo vi capto populares cum sacerdotibus in ædibus ligneis reclusos, frustra veniam petentes exussit. Cum vero ante oppidum, cui Rabi nomen est, convocatis fratribus Thaboritis & Orebitis castra teneret, obsessosqve summa vi oppugnaret, oculum qvo uno lumen cœli videbat, sagitta consossus amisit. Inde Pragam ad medicos vectus, qvamvis ex vulnere curatus vitam retinuit, lucem tamen haudqvaqvam recuperavit. Nec propterea castrensem laborem, aut rei militaris curam dimisit. Cæco populo, cæcus placuit ductor. Res apud posteros plus admirationis habitura, qvàm fidei. Pragenses autem Peronam, ubi magnum inerat Sigismundi præsidium, armis ceperunt, & paucis vita reservatis, puberes utriusq; se-

xus interemerunt. Expugnarunt & Brodam Teutonicam, interfecto præsidio, mox Cuthnam pluresqve alias civitates dedentibus oppidanis in potestatem acceperunt. Cum vero ad oppidum, cui Pons nomen est, & à Misnensibus possideretur, copias ducerent, occurrentibus Saxonibus non audentes congredi, redierunt. Posthæc Sigismundus electoribus diem statuit, ut in celebritate D. Bartholomæi ad Occidentalem plagam Bohemiam cum copiis ingrederentur, ipse ad Orientale latus cum Hungarorum exercitu aggressurus. Venere Maguntinus Archiepiscopus & Coloniensis, Comes palatinus Rheni, Saxoniæ duces, Marchio Brandenburgensis, & plurimi ex Alemania pontifices, cæteri suos misere. Castrametati ad oppidum Sozium munitissimum locum, expugnare non potuere. Vastatus est undiqve per circuitum ager, continuata obsidia ad festum usqve sancti Galli, tumq; soluta, cum Sigismundus ad præmissum diem non adesset. Ille autem collecto ex Hungaris, Australibus ac Moravis exercitu, circa solennia Dominicæ nativitatis Bohemiam intravit, & cùm aliqva oppida vi ceperit, Cuthnenses per deditionem accepit. Sed irruente in se Zischa qvamvis cæco, pavidus trepidusqve multis ex suis interfectis nobilibus, & amissis impedimentis effugit. Prius tamen Cuthnam exussit, qvam Thaborenses propter argenti fodinas *crumenam Antichristi* vocabant. Zischa itinere unius diei Imperatorem secutus, magna fugientium præda ditatus est, & oppidum Brodam, qvod Teutonicorum vocant, vi captum incendit, qvod postea qvatuordecim fermè annis sine habitatore permansit. Imperator amnem Iglariam ponte transmisit. Piso Florentinus, qvi eqvites in eam expeditionem qvindecim millia ex Hungaria duxerat, per glaciem iter habuit, qvæ multitudinis pondere dissoluta, multos mortales in profundum rapuit. Hac victoria elatus Zischa magis ac magis in ecclesias desævit. Nec jam amplius ullam pati aut statuam sanctorum, aut picturam poterat, nec tolerandum esse putabat, qvi prisco more sacerdotalibus indutus vestibus rem divinam conficeret. Ob qvam rem majores, qvàm prius inter eum & regni proceres, inimicitiæ obortæ. Consules vero Pragenses insolentiam Joannis Apostatæ Præmonstratensis iniqvo ferentes animo, eum in prætorium vocavere, & novem simul scelerum principes, tanqvam de republica cum his aliqvid acturi, intromissosqve statim gladio percussere, & qvasi nihil actum esset, pacatam civitatem arbitrati, domos qvisqve suas petierunt. Sed

ministri

miniſtri parum cauti, dum atrium aqva proluunt, cruorem interemptorum per aqvæductum in forum transmiſere. Eo viſo, non latuit populum res geſta. Tumultus è veſtigio factus, expugnato armis prætorio, undecim primarii cives, qvi rei autores putabantur, occiſi, collegium Caroli direptum, & nobilis bibliotheca disjecta. Mulieres, qvæ Joannem monachum veluti divinum habebant, caput ejus intercipientes, pluribus diebus ululantes, per urbis eccleſias circumtulerunt, *beatum* vociferantes, *ſanctum & Deo plenum virum, qvi pro veritate & patrum traditionibus occubuiſſet.* Contra vero ſacrilegos nepharios atqve hominibus odibiles, qvi ſacro & optimo ſacerdoti manus injeciſſent: poſtremo inter ſacras reliqvias aromatibus conditum Joannis caput obtinuere. Per idem tempus caſtellum Purgellinum, in qvo parvum Sigismundi erat præſidium, & qvo multi Pragenſes rectæ fidei cultores, cum liberis & uxoribus confugerant, per incuriam arſit: qvi ſuperfuerunt incendio, Pelcinam ſe contulere. His actis nonnulli Bohemorum reguli, & conſulatus Pragenſis legatos ad Vitoldum Lituaniæ ducem miſere, eumqve ſibi regem aſciverunt, adverſante Ziſcha, ejusqve factione, qvi liberis hominibus regem habendum eſſe negabat, & eum potiſſime, qvi gentium ritu viveret. Vitoldus Sigismundum Coributum cum duobus milibus eqvitum in Bohemiam miſit. Qvi apud Pragenſes magnis exceptus honoribus civitatem brevi ad meliorem formam redegit, nobilibus, & qvi qviete vivere vellent, blandus atqve amicus, in inſidioſos & facinoroſos aſperrimus vindex. In hujus adventu munitiſſimum caſtellum in monte ſitum oppugnare placuit, qvod lapidem Caroli vocant. Hic Sigismundus qvatuor centurias militum præſidio liqverat. Caſtra tribus locis poſita ſunt, obſidio ſex ducta menſibus, neqve die, neqve noctu omiſſa oppugnatio, qvinqve baliſtæ majores ingentia ſaxa per omnes horas intra mœnia jactaverunt, vaſa circiter duo millia cadaveribus, & humano excremento plena in omnes emiſſa, tantum miſeris obſeſſis fœtorem attulere, ut omnibus infectis dentes aut deciderent, aut nutarent. Toleraverunt tamen forti animo, & hyemem uſqve protraxere certamen, accepto clam ex Praga medicamento, qvo dentes contineri poſſent. Fons erat extra mœnia in medio præruptæ rupis, unde aqvam oppidani neceſſariam hauriebant, & turris deſuper vetu-

 ſta,

sta, qva tuerentur aqvantes. Hanc Pragenses diruere machinis conabantur. Fama est in potestatem obsessorum primarium qvendam Pragensem civem casu factum, eumqve in turris culmine deligatum, dato per irrisionem in manu flabello, qvo lapides balista missos qvasi muscas abigeret, parsuros qvippe concivi suo Pragenses arbitrabantur, illos nulla misericordia flexos saxa ingentia qvàm plurima projecisse, hominem vero cum diem integram intactus perseverasset, hostium magis misericordia, qvàm civium suorum humanitate servatum. Interea Fredericum Brandeburgensem principem magnis copiis Bohemiam ingressum, longe lateqve prædam agentem, Pragenses ab obsidione discedere compulisse, Vitoldum vero, rogatu Vladislai Poloniæ regis, qvi cum Sigismundo Cæsare in finibus Hungariæ convenerat, patruelem suum Coributum ex Bohemia revocasse. Putavit ea re Sigismundus hæreticos externis auxiliis destitutos, mox imperata facturos. Sed longe deceptus. Nam illi magis ac magis insolescentes, subactis intra regni fines Catholicæ fidei cultoribus, exercitum extra Bohemiam duxere, vicinas longe gentes populati. Ferunt Zischam in Austriam profectum, cum agrestes armenta qvæqve navibus in insulam Danubii transportassent, vitulos suesqve nonnullos per negligentiam in villis dimissos, ad ripam fluminis tamdiu deverberasse, donec pecus insulam depascens, mugitum, grunnitumqve audiens, desiderio similis animantis fluvium transnatavit, eoqve modo magnam prædam abactam. Per idem tempus Sigismundus Imperator Alberto duci Austriæ genero suo Moraviam, ne defensore careret, dono dedit, qvamvis jam pleriqve illius provinciæ proceres ad Hussitarum insaniam defecissent. Eo qvoqve tempore Ericus rex Daciæ, & infans Petrus regis Portugaliæ familiaris, germanus Jacobi Cardinalis sancti Eustachii excellentis & clarissimi viri, Imperatorem accedentes, ambo rei militaris peritissimi, exercitum ejus & copiis & auxiliis auxere. Ob qvam rem castra ad Jutenbergam Moraviæ oppidum, Hussitarum peste infectum, statim posita, obsidio tribus mensibus eo loco ducta. Eqves apud Pragenses, cognomento Aqva, satis opulentus fuit, & inter suos cives autoritate præditus. Is sororis filium nomine Procopium, cum sobole careret, in suum adoptavit, eumqve grandiusculum, ad Galliam, Hispaniam, Italiam, deniqve Hierosolymam secum addu-

xit,

xit, reversus in presbyterum ordinari curavit. Qvi surgente in patria Hussitarum novitate, Zischæ adhæsit, & cum esset robustus & manu promptus, nulliusqve fugax laboris, magno loco apud eum habitus, primos ductavit ordines, malus malo aptissimus. Hic est ille Procopius, qvi postea ob res fortiter gestas magni cognomen obtinuit. Huic provincia Moraviæ commissa est, & Jutenbergensium defensio. Qvi non parva militum manu accepta invitis obsidentibus, commeatum in obsessum oppidum importavit, irritamqve Sigismundo fecit obsidionem. Dederat imperator Marchionibus Misnensibus Pontem & Auscam, super Albim fluvium, ut eas civitates præsidio tuerentur. Obsederunt Auscam Zischa simul cum Pragensibus, Fredericus Marchio Misnensis pater eorum, qvi modo provinciam regunt, & frater ejus Lantgravius Thuringiæ, collecto ex Saxonia, Thuringia, Misnia, & utraqve Lusacia milite, obsessis auxilium ferre statuerunt. Comissum est ante urbem prælium, incerta diu victoria pependit, cum fortissimi utrinq; caderent, & nunc illi nunc isti victi victoresqve viderentur. Ad extremum cæca cæcum secuta, penes hæreticos fuit. Burggravii Misnenses & * Chirpogenses, & Comites * Glichenses, multiqve nobiles in eo prælio ceciderunt. Ex qvibus plerіqve projectis armis, flexis genibus frustra supplices vitam petierunt. Novem millia ea pugna ex fidelibus cæsa, Ausca capta, & funditus deleta. Elatus ea victoria Zischa, insolentius indies agere, ecclesias passim delere, si qvæ restabant, sacerdotes qvi more majorum sacra peragerent, crudeliter perseqvi, nobilibus infensus esse, civitatibus gravia imperare tributa. Pragensium qvi detrectarent, ejus imperium, vicos & villas incendere. Ob qvas res Pragenses Baronum auxilio freti, adversus eum copias eduxere. Ille cùm se armis imparem animadverteret, ad Albim usqve profugit, eratqve penè comprehensus, nisi pater Georgii ejus, qvi nunc regno potitur, Poggiebracium oppidum transitum sibi præbuisset. Nec sic sua res tuta facta est. Fuerunt & hostibus alio loco pontes, per qvos Albim transmiserunt, sed Pragenses fugientis ultimum agmen insectati, complures Thaboritas necavere. Perventum est deniqve ad montes, ubi Zischa vallem ingressus, cum loci angustias eas esse nosset, in qvibus explicare hostes suas acies minime possent, stare signiferum jussit. Exin commilitones pro tempore hortatus, pugnæ copiam

* *Kirchbergenses*

am fecit. Certamen atrox commiſſum, victor Ziſcha tria millia Pragenſium cecidit, reliqvos in fugam vertit. Nec moratus, Cuthnam à Pragenſibus inſtauratam, iterum vi cepit, atqve incendit, & qvi Pragenſes inerant, eodem igne conſumpſit. Mox ſucceſſu rerum tumens, infeſtis ſignis Pragam petiit, & ad ſagittæ jactum caſtrametatus obſidere urbem cœpit. Erant & in civitate & in exercitu plurimi, qvi hoc diſſidium deteſtabantur, & alii Ziſcham, alii Pragenſes accuſabant. In caſtris qvoqve tumultuatum eſt, dicente milite, *indigne eſſe eam urbem armis premi, qvæ caput regni eſſet, neqve de religione ſecum diſſentiret, caſuram brevi Bohemorum potentiam, ſi ſe hoſtes diviſos norint. Materiam belli ſatis magnam à Romano imperatore præberi, ſtultum eſſe conſilium in ſe arma vertiſſe.* Accepit Ziſcha, qvæ vulgo dicebantur, & advocatam in concionem multitudinem, vas vinarium qvod ſorte aderat conſcendens, *Nolite*, inqvit, *amari ſuper me fieri, fratres, & hominem accuſare, qvi vobis ſalutem peperit. Recentes victoriæ ſunt, qvas me duce conſecuti eſtis, nunqvam ego in aliqvem locum vos duxi, unde victores non rediretis. Vos clari, vos divites, ego veſtri cauſa lumen amiſi, & jam in tenebris ago, nil mihi ex tot bellis feliciter actis, niſi nomen inane ſupereſt. Vobis pugnavi, vobis vici, nec laboris pœnitet. Nec mihi cæcitas dura, niſi qvod rei noſtræ priore ex more conſulere neqveo. Nec ego Pragenſes mei cauſa perſeqvor, ipſi veſtrum ſangvinem, non meum ſitiunt. Parum eis fuerit me jam & utroq; caſſum lumine perdidiſſe, veſtras illi manus timent, & fortes in periculis animos. At vos certe, aut illos perire oportet, qvi dum mihi parant inſidias, veſtras animas expetunt. Domeſtica nobis arma timenda magis qvàm externa, civiles auferre ſeditiones oportet. Pragam prius expugnabimus, ſeditioſosq; cives exterminare licebit, qvàm Sigismundo diviſionis noſtræ nuntius afferre poſſit. Cum paucis ejuſdem animi tutius imperatorem expectabimus, qvam ſi nobiſcum dubii Pragenſes in caſtris militent. Verum ne me amplius accuſetis, liberam vobis conſulendi facio poteſtatem. Si libet Pragenſibus pacem dare, non abnuo, inſidiæ modo abſint. Si bellum decernitis, præſto aſſum. In utramvis partem declinaveritis, Ziſcha veſtri conſilii adjutor erit.* His dictis, mutati militum animi bellum decrevere, multitudo arma capere, feſtinare, muros adire, provocare hoſtem, pro portis urbis pugnam ciere, egredientes cives in urbem repellere, Ziſcha ad oppugnationem urbis cuncta parare.

Cap.

## Cap. XLV.

### *De Joanne Rochezana presbytero hæretico.*

Oppidum eſt Pragenſis eccleſiæ, non longe à Pelzina, cui Rochezana eſt nomen. Ex hoc loco puer obſcuris parentibus, cenſuqve tenuiſſimo natus Joannes nomine Pragam venit, mendicatuqve victum qværens, Grammaticam & Dialecticam didicit. Cum adoleviſſet nobilis cujusdam pueri pædagogus factus eſt, & cum valeret ingenio, linguaqve promtus eſſet, in collegio pauperum receptus, auditor Jacobelli fuit. Poſtremo presbyter ordinatus, prædicare verbum Dei Pragenſibus cœpit, ex oppido unde ortum habuit, Rochezanæ cognomen ducens. Et jam nomine & autoritate valebat, cum Ziſcha Pragam obſideret: exiit ergo conſentientibus civibus & in caſtra profectus civitati Ziſcham conciliavit.

## Cap. XLVI.

### *De morte Joannis Ziſchæ.*

Sigismundus autem, ubi Ziſchæ cuncta ex ſententia cedere animadvertit, & jam illum eſſe unum, ex qvo res Bohemiæ penderent, clam ſibi eum conciliare tentavit, gubernationem totius regni, militiæ qvoqve ducatum, & ingens auri pondus qvotannis promittens, ſi regem nominaret, & in verba ſua civitates jurare cogeret. Magna profecto Regiæ majeſtatis ignominia, & imperialis gloriæ dedecus, atqve inſania reipublicæ Chriſtianæ ſempiterna, Sigismundum pluribus annis provectum, ex imperatoribus natum, & ipſum imperatorem, cujus nomen Italia, Gallia, Germania, & omnis Europa venerata eſt, qvem Barbaræ nationes timuerunt, ſupplicem vidit noſtra ætas homini haud ex parentibus admodum nobilibus nato, ſeni, cœco, hæretico, ſacrilego, & in omne ſcelus audaci, pecuniam & ſummos honores offerre, ut ſuarum eſſe partium dignaretur. Sed avertit divina pietas eam peſtem, & tantum malum è medio Chriſtianorum eripuit. Nam Ziſcha conditionibus annuens, dum conventa comple-

completurus Sigismundum petit, inter eundum apud castellum Priscoviam, divinitus, ut par est credere, peste tactus, expiravit, monstrum detestabile, crudele, horrendum, importunum, qvod postqvam manus humana conficere non valuit, digitus Dei extinxit. Ferunt illum, cum ægrotaret interrogatum, qvonam loco mortuus sepeliri vellet, *jussisse cadaveri suo pellem adimi, carnes volucribus ac feris objectari, ex pelle tympanum fieri, eoq; duce bella geri, arrepturos fugam hostes, qvam primum ejus tympani sonitum audierint.* Thaborenses, qvi reliqvas picturas abominantur, Ziſchæ tantummodo, & angeli cujuspiam calicem manu tenentis, effigiem supra portam urbis pinxere, eiqve sacra qvotannis agunt.

## Cap. XLVII.

### *De Orphanis hæreticis, qvi se post mortem Zischæ separaverunt à Thaboritis.*

Zischa mortuo ingens mœror invasit exercitum, trepidari, lamentari milites, accusare fortunam, qvæ ducem invictum, morti vincendum dederit. Nec mora duæ factiones exortæ. Altera Procopium magnum, qvem Rasum vocavere, cujusqve supra meminimus, sibi ducem præfecit. Altera nullum inveniri posse dictitans, qvi jure Zischæ succederet, selectis paucis qvi communi concilio bellum administrarent, sese *Orphanos* appellavere, inter qvos potior habitus est Procopius, cognomento minor, atqve ita Thaboritæ in duos exercitus divisi, alii vetus nomen retinuere, aliis Orphanorum, ut diximus, ob mortem ducis inditum nomen. Qvi etsi aliqvando inter se dissentirent, ubi tamen extrinsecus vis ingruit, junctis viribus in unis castris sese defenderunt. Muro circumdatas urbes nisi necessariorum emendorum gratia perraro ingredi, cum liberis & uxoribus in castris vitam agere. Carros qvamplurimos habere, his pro vallo uti. Procedentes ad pugnam, duo ex his cornua facere, in medio peditatum claudere, alæ eqvitum extra munitiones prope adesse. Ubi congredi tempus visum, aurigæ qvi cornua ducerent, ad imperatoris signum, comprehensa sensim, qva voluerunt, hostium parte, ordines qvadrigarum contrahere, intercepti hostes, qvibus sui subveni-

ſubvenire non poſſent, partim gladio à peditatu, partim miſſilibus ab his, qvi erant in carris, virisq; ac mulieribus necari. Eqvitatus extra munimenta depugnare, qvem ſi ſorte qvis oppreſſiſſet, fugientem mox aperti currus excipere, indeq; velut ex civitate mœnibus cincta defendi, eoqve modo victorias qvamplurimas conſeqvi, cum eam pugnandi peritiam vicinæ gentes ignorarent, & ager ille Septentrionalis late patens, ad explicandas bigarum qvadrigarumvé ordines peridoneus haberetur. Egrediebantur duo exercitus, alter Sileſiam, alter Moraviam populabatur, vicinasqve regiones aſſiduis incurſionibus infeſtabant, Teutones per circuitum habitantes, alios *Philiſtæos*, alios *Idumæos*, *Moabitasq;* vocabant. Bohemiam *terram promisſionis* eſſe dicebant. Cumqve in proximam provinciam exiſſent, prius cum præda depopulatis agris revertebantur, qvàm hoſtis cognoviſſet adventum. Erat & tertius exercitus, qvem fratrum Orebitarum appellari diximus. Huic ductor fuit Bredricus presbyter Straſmicenſis, natione Moravus, qvi bellis aſſiduis Sileſiam afflictavit. Hic etiam hodie vivit, & urbem Coloniam appellatam poſſidet. Qvi ſpreta religione Chriſtiana, calcatoqve pontificio jure uxorem publice duxit, & illa mortua alteram ex Polonia ſuperduxit, ex qva filios ſuæ neqvitiæ ſectatores ſuſtulit. Cum obſiderent Suetlam oppidum in Auſtria, Thaboritæ ſimul & Orphani duabus noctibus & una die abſqve intermiſſione mœnia expugnavere, ſuperveniente autem Alberto ejus terræ principe cum exercitu, ut auxilium oppidanis afferret, pugnatum eſt qvatuor ſermè horis nutante hinc aut illinc victoria. Ceciderunt ex utraqve parte primi bellatores. Poſtremo ita diſceſſum eſt, ut currus ſuos Thaboritæ amitterent, Albertus caſtris exutus abiret, qvod negligentia Roberti Vallenſis factum credidere, qvi tum ductor exercitus fuit. Rediit tamen paulo poſt Procopius Raſus, & oppidum Retium in Auſtria celebri obſidione cinxit. Pragenſes ejus ſigna ſecuti, & Boheslaus Cygneus, cujus ſupra meminimus, qvi eo loco ſagitta confoſſus interiit. Retium vi captum, direptum, atqve exuſtum, in qvo multi mortales periere, Burggravius Malburgenſis, loci dominus, captus, & Pragam ductus in carcere diem obiit. His geſtis, vocati ab Imperatore Bohemorum principes, ad eum uſqve Poſonium profecti ſunt. Id oppidum Hungariæ, in finibus Auſtriæ atqve in ripa Danubii ſitum. Neqve ingreſſi mœnia, in tentoriis è regione

urbis mansere. Egressus ad eos Sigismundus, multa de jure suo locutus, *paternum atqve avitum regnum repetere, si qva essent qvæ provincialium mentes ab sese alienarent, ea ablaturum, Bohemis ex qvibus natus esset, pacificum, benignumq́ regem futurum.* Illi se armis ab eo sine causa impetitos dicere, *cives suos in Constantia contra publicam fidem exustos, inauditos Bohemiæ primores tanqvam hæreticos à Romana ecclesia damnatos, regnum sacris contumeliose interdictum, non esse tam exiguam Bohemorum potentiam, qvæ suo neqveat honori consulere.* Responsum à Sigismundo benigne datum ad objecta, oblatumqve generale concilium, in qvo suam innocentiam Bohemi ostendere possent, si se universalis ecclesiæ judicio submittere vellent.

## Cap. XLIIX.

### *De expeditione in Bohemiam, contra hæreticos & rebelles per Martinum Papam qvintum instituta, & de infelici pugna contra eosdem.*

At Martinus Pontifex maximus, ubi armatam hæresim crescere indies animadvertit, priusqvam pestis amplius invalesceret, Cardinalem Vintoniensem natione Anglicum, regia stirpe natum, in Germaniam proficisci jussit, qvi contra Bohemicam labem vicinas gentes in arma conciret, cui & imperator adjumento fuit. Instituti sunt tres exercitus. Saxoniæ duces, & qvas vocant Stagnales civitates, in primo militavere. Secundum ex Franconibus constitutum Marchio Brandeburgensis ductabat. Tertio præfuit Otto Treverensis Archiepiscopus, qvem Renenses secuti sunt, Bajoarii qvoqve, & civitates Svevorum imperiales. Ingressi Bohemiam tribus locis, postqvam sylvam penetravere, juncti simul ante Misnam castrametati sunt. Hanc urbem Prichicho Elenotensis inter hæreticos qvantum doctior ac facundior, tantum crudelitate ac perfidia neqvior, præcedenti nocte ex fidelium manibus eripuerat. Erat igitur consilium exercitus, hanc urbem prius recuperare, qvam ultra procederent. Sed cum hæretici collecto raptim milite in eos properare nunciarentur, non visum hostem fugerunt, Thacoviamqve petentes, instrumenta bellica cum præda ibi dimiserunt. Nondum Cardinalis in exerci-

exercitu fuerat, sed ad Thacoviam fugientibus occurrens, admiratus est tot ducum, tot fortium virorum pavidam fœdamqve fugam, magnis precibus ut redirent in hostem, omni ex parte debiliorem hortatur. Qvod cum frustra niteretur, & ipse turpis fugæ comes effectus. Vix sylvam ingressi erant, cum supervenientes Bohemi postremum agmen lacessere cœperunt. Facta est profusior ac pavidior fuga, nec prius Teutones fugere, qvàm Bohemi perseqvi destiterunt. Hostes impedimentis direptis, Thacoviam expugnantes, machinisqve bellicis potiti sunt. Exin Misniam populati, cum per Franconiam redirent, ne Bambergens. agrum, Norimbergensemqve vastarent, pecunia placati divitem exercitum reduxere. Sigismundus his cognitis, Norimberga profectus nova principum auxilia comparat. Martinus qvoqve pontifex maximus Julianum Cardinalem Sancti angeli, literis ac moribus excellentem, cum ea legatione in Teutoniam mittit, ut Bohemis bellum inferat, & adveniente tempore in Basiliensi concilio, qvod propediem futurum erat, nomine apostolico præsideat. Is Germaniam ingressus, mox Norimbergam ad Sigismundum se confert, qvo in loco perfreqventes Germanorum reguli convenerant. Decreta est nova in Bohemos expeditio, ad VIII. Calend. Julii. Dux belli Fredericus Marchio Brandeburgensis declaratus, qvi Cardinalem seqveretur. Ingressus est Bohemiam per viam qvæ ducit ad Teplam. In ea expeditione Albertus & Christophorus Bajoariæ, & Fredericus Saxoniæ duces fuere. Joannes & Albertus Brandeburgenses principes, cum patre, qvem penes belli summa erat, Herbipolensis, Bambergensis, Eistetensis episcopi, Societas Svevorum, qvam sancti Georgii vocant, & imperialium civitatum. Maguntinus, Trevirensis & Coloniensis antistes, auxilia miserunt, & cum his provinciarum suarum primores. Supra qvadraginta millia eqvitum fuisse traduntur. Peditum minor erat numerus. Nam Germani patentibus freti campis, eqvestres plerumqve pugnas agitant. Promiserat & Renatus Lotharingiæ princeps in eam expeditionem sese venturum. Sed domestico bello implicatus, dum comitem Videmontensem oppugnare nititur, neqve promisso satisfieri potest, neqve Comes Palatinus Rheni, qvi Videmontensi opem tulit, adversus Bohemos ire permittitur. Cardinalis dum eos operitur, ad calendas usqve Augusti profectionem suspendit. Albertus interea ex Austria ducens, cum ad dictum diem

adesse Cardinalem minime intelligeret, impar Bohemicæ potentiæ retrocessit. Ingressus deinde Cardinalis, numerosum exercitum ductans, multas hæreticorum villas incendit, oppidaqve diripuit, in qvibus non avaritia tantum, verum crudelitas etiam militum grassata est, qvi mares cum fœminis obvios, senes puerosqve passim necavere. In extremis tamen regni partibus ea calamitas defævit, cum duces copiarum interiora petere formidarent. Bohemi, qvi jampridem hostem affuturum acceperant, expeditas in armis legiones coëgerant, & ubi fidelium domicilia reperiebant, ea ferro atqve igne vastabant. Inter qvæ Stiltivergium oppidum ab Orphanis expugnatum ac direptum, puberes ad unum necati. Interea sive proditio in exercitu fidelium fuit, qvod plurimi putavere, sive inanis sua sponte mentes hominum pavor invasit, totis castris trepidatum est, & priusqvam hostis ullus in conspectu daretur, fœdissima cœpta fuga. Miratur Julianus, unde hic timor, qvæ ratio tantum exercitum fugere svaderet, ambire duces, hortari arma expedirent, aciem instituerent, forti animo hostem expectarent. *Non de regni gloria aut agrorum possessione certari, de vita, de religione, de Christi honore, de animarum salute bellum geri. Turpe Germanis esse, qvorum nobilitatem virtutemq; totus orbis celebraret, ex prælio fugere, mori satius, qvam hosti nondum viso cedere. Neq; secure intra mœnia habitare posse, qvi campos hosti relinqverent, arma viros non muros tegere. Nisi gladiis modo libertatem suam tueantur, aut casuros brevi hostili ferro, aut servitutem morte miseriorem laturos.* Sed frustra apud eos cohortatio fuit, qvorum pudorem metus evicerat. Ablata sunt raptim signa, & tanqvam nullus esset in exercitu ductor, tumultuose qvisqve non expectato imperio, non salutato comite, multi etiam projectis armis non aliter qvàm si hostis à tergo instaret, rapido cursu fugam maturavere. Qvibus & Cardinalis invitus sese comitem dedit. Hostis paulo post ex metu alieno factus audax affuit, impedimentisqve omnibus, qvibus per sylvam non erat facilis exitus, & ingenti præda potitus est. Albertus tamen cum accepisset intrasse Bohemiam Cardinalem, & ipse iterum ex Austria coactis copiis in hæreticos duxit, Præzoroviamqve munitum oppidum oppugnare adorsus est. Sed fuga Cardinalis cognita, ab incepto destitit, & per Moraviam, qvæ nondum ei parebat, infesta signa circumferens, supra qvingentas villas ferro atqve igne delevit. Oppida multa vi cepit atqve

qve

qve diripuit, mortalium maximam cædem fecit, adeoqve gentem illam afflixit, ut jugum ejus accipiens, parere sibi ea lege promiserit, ut circa religionem id seqvi teneretur, qvod Basiliense concilium decerneret.

## Cap. XLIX.

### *De inchoatione Basiliensis concilii, & vocatione Bohemorum ad ipsum Concilium, ut fidei suæ rationem redderent.*

EXactus ex Bohemia legatus, Basileam se contulit, ibiqve concilium celebravit. Sigismundus, qvi per tempus expeditionis Norimbergæ se continuerat, ad coronam imperii Romæ suscipiendam iter ingressus, primoribus regni Bohemiæ literas dedit, in qvis scriptum erat: *se natione Bohemum, nulli genti magis qvàm suæ affectum, Romam non aliam ob causam petere, qvàm coronæ suscipiendæ gratia. Id decorum Bohemorum genti accedere, cujus honestandæ sibi maxima semper cura fuerit. Cæptum esse jam sua opera Basileæ Concilium, hortari eos qvi se audiri de religione cuperent, eo proficisci, nec plus sapere vellent, qvàm mater ecclesia catholica, auditurum benigne conventum rationes eorum, tantum operam dent, ut cum Synodo de religione conveniant, sibiqve redeunti paratum regnum reservent. Neqve enim arbitrari se Bohemos ejus imperium fugere, cujus pater, frater, avus apud eos regnaverint. Nec se alia lege regnaturum, qvàm cæteri Christiani reges.* Scripsit & ipsa Basiliensis synodus Bohemis, ut legatos mitterent, qvi fidei suæ rationem ostenderent, securitatem itineris, & dicendi qvæ vellent libertatem promittens. Fuerunt inter Bohemos duæ sententiæ: Orphani & Thaboritæ, & plebes fermè omnes eundum esse negabant, Joannis & Hieronymi exemplum in medium afferentes, qvi Constantiam ad Synodum profecti sub fide Sigismundi, publice combusti fuissent. Nobilitas vero Mainardum secuta principem Novæ domus, virum cordatum & ingenio dextro, petendum esse Concilium prorsus ajebat, *nec tolerandos videri qvi novas peregrinasve de fide sententias, novumq́, ritum religionis invenissent, nisi dictorum factorumq́; rationem universali ecclesiæ redderent, & qvæ vulgo inculcaverant,*

*verant, coram doctis defenderent.* Vicit hæc ſententia, legatio CCC. eqvitum Baſileam miſſa. Cujus principes fuere, Gulielmus Coska, non tam eqveſtri dignitate qvam eccleſiarum direptione inſignis, Procopius cognomento Raſus, idemq; magnus multis victoriis magnisqve ſceleribus nobilitatus, Johannes Rochezana pſeudo Pragenſium apoſtolus, Nicolaus Gallecus Thaboritarum ſacerdos, & Petrus Anglicus patria profugus, ac ſolis elenchis in diſputatione confidens. Effuſus extra mœnia urbanus populus, ex Synodo qvoqve complures, adventum fortiſſimæ gentis pro portis expectavere Alii freqventes in plateas, qva tranſitus eſſet, convenere, matronæ, pueri, puellæ feneſtras atqve tecta complere. Alii hunc, alii illum digito deſignare, peregrinos habitus, non viſa prius veſtimenta mirari, horribiles hominum facies, truces notare oculos, non eſſe alienum dicere ab ea hominum ſpecie facta, qvæ fama prodiderat. In unum tamen cuncti Procopium defigere lumina, illum eſſe, qvi toties fidelium fugaſſet exercitus, qvi tot oppida ſubvertiſſet, tot hominum millia neci dediſſet, qvem ſui pariter atqve hoſtes metuerent, invictum ducem, audacem, intrepidum, neqve labore, neqve timore ſuperandum.

## Cap. L.

### *Oratio Juliani Cardinalis, ad Bohemorum legatos, Reſponſivaqve eorundem.*

EXceptos Bohemorum legatos hoſpitaliter, poſtridie in concione accerſitos, Julianus Cardinalis benigne allocutus, & longa & luculenta oratione, qvæ adhuc extat, ad ea qvæ pacis & unionis eſſent, cohortatus eſt, *eccleſiam Chriſti ſalvatoris ſponſam omnium fidelium matrem eſſe, dictitans claves ligandi atqve ſolvendi habere, candidam ſine ruga, ſine macula, in his qvæ neceſſaria ad æternam vitam eſſe creduntur, errare non poſſe. Qvi eam contempſerit, alienum, prophanum & qvaſi ethnicum, publicanumqve cenſendum, eam nunqvam melius qvàm in generali concilio repræſentari. Statuta conciliorum eccleſia placita exiſtimari, conciliis non minus qvàm evangeliis credi oportere, qvorum autoritate & ipſa ſacrarum literarum eloqvia præcepta ſunt.*

Bohe-

*Bohemos qvi se filios ecclesiæ dicerent, voces matris audire debere, qvæ filiorum oblivisci non potest, eos jam pridem seorsum à matre vixisse, neqve id novum esse. Complures aliqvando fuisse, qvi matrem reliqvere, rediisse tamen qvi salutem optavere. Regnante diluvio omnes periisse, qvi extra arcam remansere, dominicum agnum in unis ædibus comedendum, extra ecclesiam non inveniri salutem. Hanc esse conclusum hortum, signatumq́, fontem, cujus aqvam si qvis biberit, non sitiet in æternum. Ex re sua sapuisse Bohemos, qvi ejus aqvæ fluenta apud concilium reqvisierint, matremqve tandem audire statuerint. Facessere jam odia debere, ponenda esse arma, omnemq́, belli materiam procul abjiciendam, audituros benigne patres qvæcunq́, Bohemi pro sua causa dicere velint, tantum parati animo sint, ne bene consulta sanctæ Synodi consilia respuant, qvibus non Bohemos tantum, sed omnes Christi fideles conqviescere oportet, si modo æternæ vitæ participes esse velint.* Audita est cardinalis oratio summo patrum consensu. Bohemi pauca respondere, qvibus par facundia non esset, *se neqve concilia, neqve ecclesiam contempsisse, adversus inauditos sententiam Constantiæ latam, nihil de religione Christiana detrahere, incorruptam apud se patrum autoritatem manere, qvodcunqve Bohemi asserant, sacris literis atqve Evangelio confirmari, venisse ut innocentiam suam universali ecclesiæ patefaciant, petereqve publicam audientiam, in qva laici qvoqve adsint.* Neqve id negatum. Interrogati qvænam illa essent, in qvibus à Romana ecclesia dissentirent, qvatuor articulos proposuere. De communione divinæ eucharistiæ, qvam sub specie panis & vini sumendam his qvi salvi esse velint, necessario affirmabant. De civili dominio, qvod clericis interdictum divina lege dicebant. De prædicatione verbi Dei, qvam liberam permissamqve passim omnibus arbitrabantur. De publicis delictis, qvæ nulla ratione toleranda putabant, etiam majoris mali vitandi gratia. Nam qvamvis plurima sint, qvæ Hussitarum perfidia adversus catholicæ fidei veritatem astruere ac prædicare non dubitat, coram concilio tamen doctorumqve patrum cœtu, hæc tueri tantummodo posse arbitrati sunt, eaqve regni nomine dicta. Verum cum legatus alia de Bohemis accepisse se affirmaret, qvæ Christianas aures offenderent, inter qvæ illud esset, qvod religiones mendicantium inventum esse diabolicum prædicarent, assurgens Procopius, *neqve hoc falsum est*, inqvit. *Nam si neqve Moyses, neqve ante eum patriarchæ, neqve post eum prophetæ, neqve in nova lege*

*Chri-*

*Christus dominus, neqve Apostoli mendicantes instituere, qvis non intelligit diaboli tenebrarumq́, opus esse?* Excepta est ingenti cachinno Procopii vox, legatus vero, ut erat mansuetissimus pater, argumentationem indocti hominis placide dissoluit. Neqve enim prophetarum patriarcharumqve placita, & qvæ Christus instituit, qvæ sanxerunt Apostoli, duntaxat à Deo esse docuit, verum ecclesiæ qvoqve decreta, qvæ sancto dirigente spiritu ducitur, opera Dei esse monstravit, qvamvis & aliunde mendicantium vita ex Evangelio sumpta videri possit. Selegerunt Bohemi qvatuor magistros, qvi suos articulos ex divina lege sumptos ostenderent. Qvi eos confutarent, ex cœtu patrum totidem assumpti, viri præstantes, & ad dicendum parati. Disputatum est qvinqvaginta diebus, multa in utramqve partem adducta. Postremo cùm victa Hussitarum perfidia vinci nollet, ad tractatus ventum, tentatum, si fortasse amicè trahi possent. Missi & oratores ex concilio in Bohemiam, viri doctissimi, & qvi gentis versutiam nossent. Multa cum Bohemis agitata, nunc pacis spes facta, nunc belli metus.

## Cap. LI.

### *De victoria Bohemorum fidelium, & debellatione morteqve Procopii, ac aliorum hæreticorum.*

DUm hæc aguntur, Thaboritæ & Orphani Mainardo cæterisqve nobilibus infensi esse cœperunt, eorumqve suspectas actiones habere, tanqvam concilio auscultarent. Neqve vana opinio. Convenere namqve sæpe inter se Barones, errorem suum recognoscere, *miseros se dicere, qvi cum regis imperium abdicaverint, Procopii jugum ferant. Illum dominum esse, illum pro sua libidine provinciam regere, vectigalia exigere, tributa imponere, delectum habere militum, exercitum qvo velit ducere, rapere, spoliare, occidere, nullum pati, qvi suis consiliis adversetur, nobiles juxta atq́, ignobiles ei mancipia esse. Nullum hominum genus infelicius esse Bohemis, qvos semper in castris versari oportet, æstates atqve hyemes sub divo agere, in duro jacere solo, arma in omnes horas versare, nunc civilibus bellis, nunc*

*externis*

*externis agitari, aut bellum geri, aut belli metum impendere. Excutiendum tandem crudelis tyranni jugum, neq; ferendum, ut qvi cæteras gentes armis vicerint, Procopio serviant.* Placet accersire publice conventum procerum & civitatum, in qvo regni status reformetur. In eo Mainardus: *ei regno bene esse* dicit, *in qvo neq; per otium marceant homines, neq; per bellum atterantur. Bohemos hactenus expertes fuisse qvietis, attritum assiduis calamitatibus regnum, periturum brevi nisi occurratur. Incultos jacere agros, homines atqve armenta sensim deficere, id accidere, qvod omnia in potestate unius sita essent, qvi sine consilio procerum civitatumqve pro suo arbitrio rem gerit. Illi salubre bellum esse, nam si paci locus sit, imperium ejus statim casurum. Deligendum unum esse ex nobilitate ducem, cujus potestas annua sit, nonnullosq; ei adjungendos, qvorum consilio domi belliq; rempublicam administret. Ne vero usurpare sibi Barones imperium viderentur, ex media nobilitate assumendum ducem consuluit.* Itum est savente conventu in sententiam Mainardi. Alscio Risemburgensis antiqvæ nobilitatis homo, sed tenui censu, dux gentis declaratus, qvem Capitaneum vocavere. Cæterum majestatis insignia apud eum fuere, autoritas apud Mainardum extitit. Procopius his cognitis, Orphanos & Thaboritas in expeditionem ducens, ad urbem Pelzinam, qvam fideles incolebant, castra ponit, atqve undecim continuis mensibus pertinaci obsidione, crebrisqve oppugnationibus urget. Oppidani extrema omnia passi, ac jam fame pereuntes ad synodum Basiliensem misere oratum, ne fidelem urbem in manus hæreticorum pervenire sinerent. Patres qvibus non esset publicum ærarium, ex privato argento symbolum dedere, auri octo millia nummûm Mainardo mittentes, qvi collecto exercitu subveniret obsessis. Per idem tempus ea pars Pragæ, qvæ nova civitas appellatur, ab Orphanis imposito præsidio tenebatur, cujus præfectus erat presbyter Lupus Rochezanæ infensissimus, adversus qvem prædicando plebem incitabat. Ille in veteri civitate apud ædem S. Mariæ ante lætam curiam inhabitabat, Lupumqve suis ipse sermonibus probrosisqve maledictis lacerabat. Ob qvam rem crescentibus odiis, clauserunt Orphani aditus veteris civitatis in novam, turresqve ligneas plurium tabularum erexere, qvibus oppidanos in adversa civitate missilibus infestarent. Ea occasione usus Alscio, convocata nobilitate, nihil esse imperium suum dicit, qvod Thaboritæ

 Orphani-

Orphaniqve contemnant, regnum mature periturum, nisi magistratibus parcatur. Rogat proceres in medium consulant. Placet omnibus cum ea manu militum, qvam Mainardus comparaverat, Pragam peti. Nec morati veterem civitatem ingrediuntur, ligneas turres amoveri, parereqve omnes Alscioni jubent. Negant Orphani ducem esse, qvem neqve ipsi, neqve Thaboritæ suscepissent. Fit tumultus: committitur in urbe prælium. Lupus, ubi suos cedere animadvertit, pluresqve cadere, salutem pedibus petiit. Disjectæ turres omnes, in potestatem Alscionis factæ. Pelzinenses re cognita, Procopio è muris illudere, hortari *suis civibus opem ferat, alienos ne lacessat. Stultum esse, eum qui sua tueri neqveat, infestare aliena. Nisi suopte ingenio ab obsidione discedat, venturos brevi proceres, qvi nolentem cogant.* Ficta ea Procopius credere, atqve oppidanis ad ferendam fortius obsidionem blandimenta oblata. At ubi certum nuncium de gestis Pragensibus accepit, soluta mox obsidione, plenus irarum, cum omnibus copiis versus Pragam iter dirigit. Properanti communes amici occurrunt, de pace inter eum & nobiles agunt, *divisum inter eos regnum stare non posse, consulendum communi qvieti, neqve concordia sine viribus, neqve vires sine concordia sufficere, civitatibus ejus populi inexpugnabile munimentum esse, qvi concordibus animis arma tractaret, lites ex arbitrio ducis componi posse delectis ex utraqve parte pari numero viris, qvorum consilio leges pacis dicerentur.* Procopius demum ita se pacem habiturum respondet, *si nova Praga sibi restituatur, si munitiones dejecta reficiantur, si Pelzina eo in statu reponatur, in qvo fuerat ante dissolutam obsidionem:* nam commeatus jam eo importati fuerant. Nobiles ubi res factu difficillimas peti vident, Procopiumqve vincula, verbera, cædes minari, cùm alia via pax inveniri non posset, armis decertare constituunt. Relicta itaqve civitate, cujus nutare animos non ignorabant, obviam hosti pergunt. Ventum est ad locum inter Brodam Bohemicam & Burim, qvatuor millibus & qvingentis passibus à Praga distantem, in agris late patentibus. Ibi currus contra currus incurrunt, & sublato clamore alteri alteros contumeliose compellant. Decreverat Procopius haudqvaqvam pugnæ copiam facere, nisi ex occasione prærogativa daretur. Erat ei animus recta via Pragam petere, ubi non dubitabat novam civitatem sibi portas aperturam. At eqvitatus nobilium munitiones ejus prætergressus, dum forte ad ultimam

partem

partem apertam videt, raptim ingreditur, cædemq; magnam facit. Hostes improviso malo præventi, qvid agant, nesciunt. Trepidatur totis castris, insolita res terrorem auget. Neqve enim intra munitiones curruum intrasse prius eqvites aliqvando viderant. Cæduntur passim pedites, fit fuga, aperta ex altera parte mole qvadrigarum. Instant nobiles, sternuntur ubiqve fugientes. Procopius ubi suos retinere non potest, nec audire hortamenta periculum metusqve sinit inter confertissimos hostes dilapsus, cum cohorte qvam sibi ex fortissimis magis qvàm amicissimis delegerat, aliqvandiu hostis impetum retinet, multisqve cæsis, victoriam penè hostibus eripuit. Sed circumventus multitudine eqvitum, non tam victus qvam vincendo fessus, telo in incertum misso transfoditur. Pari modo & alter Procopius, qvem minorem appellari diximus, in eodem globo fortiter pugnans occumbit. Atqve is finis duobus illis perniciosissimis ac deterrimis monstris fuit. Sic Thaboritarum & Orphanorum scelerati exercitus, invicti prius, victi ac deleti sunt: Procopium rasum qvis occiderit, ignoratum est, qvamvis Coska, de qvo supra meminimus, id facinus honestum dignumqve præmio suum dixerit, qvi tum partes nobilium seqvebatur. Primus ejus victoriæ autor habitus est Mainardus, post eum Ptarsconis magna virtus visa. Coapcho vero Thaboritarum eqvitarum ductabat, rei militaris apprime peritus, & qvi multis aliqvando damnis Prutenos affecerat, & à rege Poloniæ vocatus, usqve ad Gedanum, & mare Baltheum victorem exercitum duxerat, ex hoc prælio fuga dilapsus, cum magna parte eqvitatus in Coloniam sese recepit. Confecto bello cùm multa millia captivorum essent, Mainardus cum concilio procerum accersito perdere pessimam plebem statuit, qvæ nutrita in armis omnem ætatem in castris egerat, nec sub legibus victura credebatur, rapinis, cædibus, atqve adulteriis assveta. Qva stante, pacatum regnum stare non posset. Sed veritus ne simul innocentes interficeret, qvi ex agris coacti ad pugnam venerant, voce præconis edici jubet, *nondum bellum peractum esse, fugisse Coapchonem, Coloniam expugnari oportere, vicinasq; per circuitum gentes, qvæ regnum popularentur, armis domandas. Ad eam rem necessarios, qvi sub Procopiis militassent, viros fortes & in bello exercitatos, decretum eis ex publico stipendium, donec regnum pacaretur. Proinde omnes, qvi stipendia facere vellent, in horrea sese proxima reciperent, caverent, ne rudes inexpertosq;*

*tosq; belli secum admitterent, illos sua rura, suosq; lares repetere posse.* Introierunt horrea, qvæ apud Bohemos in villis ex maceria culmo tecta frequenter sunt, pleraqve Thaboritarum & Orphanorum millia, homines nigri ad solem & ventum indurati, aspectu tetri atqve horribiles, & qvi circa fumum in castris vixissent, aqvilinis oculis, impexo crine, promissa barba, corporibus proceris, membris hispidis, cute adeò dura, ut ferrum qvasi lorica repulsura videretur. Clausa sunt confestim ostia, & ignis immissus horreis, qvo fæx illa & colluvies hominum, ignominiosum agmen, post multa qvæ patraverat scelera exusta contemptæ demum religionis pœnas dedit.

## CAP. LII.

### *Qvomodo Sigismundus Romæ coronatus, post multas dissensiones & bella, cum pace & gaudio à Bohemis suscipitur.*

Sigismundus interim ab Eugenio Pontifice maximo Romæ coronatus, Basileam petierat, dissidioqve patrum, qvod tunc erat cum Eugenio, ad tempus sedato, Ulmam se contulerat. Ea est Sveviæ civitas, ad ulteriorem Danubii ripam sita, Licius amnis, qvi Svevos à Bajoariis disterminat, è regione urbis in majori flumine exoneratur. Hic audita Thaboritarum Orphanorumqve clade, legatos in Bohemiam mittit, regni proceres commendat, qvi viros nocentes deleverint, hortatur regni qvietem procurent, seseqve regem suscipiant, qvem fratri successorem jus gentium dederit. Illi magno numero apud Ratisponam eum conveniunt, Regemq; suum salutant. Venerunt & seorsum, Coapcho & Joannes Rochezana, de suis rebus acturi. Legati qvoqve Basilienses, qvi Pragæ fuerant, & cum Bohemis certo modo convenerant, eo se contulere. Sigismundus auditis, qvæ de religione in communione placuerant, conventa probavit, eaqve servari mandavit. Exin poscentibus Hungaris, navibus per Danubium vectus, Budam petiit, ubi reformato rerum statu, vocatis ad se Bohemorum principibus, in Alba regali sexaginta millia nummorum inter eos distribuit, pecorumqve maximum numerum. Dicta die qva vellet Bohemiam ingredi, non moratus Iglariam venit. Ubi

concilio

concilio cum Bohemis habito, conventa legatorum ſynodalium iterum comprobavit firmavitqve. Ea hujuſcemodi fuere. *Bohemis ac Moravis eccleſiaſticam unitatem, pacemq́; complectentibus, ſeq́; in cæteris omnibus, præterqvam in uſu communionis utriusqve ſpeciei, univerſalis eccleſiæ fidei ac ritui conformantibus, autoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & eccleſiæ ſponſæ ſuæ, ſub duplici ſpecie panis ſcilicet ac vini, his qvi conſvevisſent divinæ euchariſtiæ communicare licebit. An vero ex præcepto Dei id fieri debeat, generale Concilium in Baſilea congregatum diffiniet, & qvid utilitati fidelium ſalutiq́; congruat, lege in perpetuum valitura conſtituet. Qvo facto, ſi perſeveraverint Bohemi in ejusmodi communicationis deſiderio, idq́; miſſa legatione petierint, ſacer conventus Bohemiæ ac Moraviæ ſacerdotibus communicandi ſub utraqve ſpecie perſonas ſibi ſubjectas, & in annis diſcretionis conſtitutas, & quæ id reverenter poſtulaverint, libertatem impartietur; ea conditione adjecta, ut inter communicandum plebem publice inſtruant, non ſub ſpecie panis carnem Chriſti tantum, nec ſub ſpecie vini ſolum ſangvinem, ſed ſub qvalibet ſpecie totum & integrum contineri Chriſtum.* Brevis concordiæ notula, verum tot ſententiæ qvot verba, qvibus peregrinæ de fide ſententiæ, diverſisqve de religione ritibus obviari jubetur. Et qvod eccleſia univerſalis credit, qvod ſervat, genti Bohemorum credendum ſervandumqve præcipitur, circa communionem tantum permiſſa novitas. Cæterum inter Bohemos & Imperatorem aliæ pactiones intervenere, qvibus eccleſiarum prædia occupatoribus jure pignorum relicta ſunt, donec certa pecunia reluerentur. Religioſis utriuſqve ſexus, qvibus adempta monaſteria eſſent, exulibus qvoqve ſpes reditus interdicta, Rochezanæ Pragenſis eccleſiæ præſulatus promiſſus, de diſponendo eccleſiarum Bohemicarum regimine ſummo Pontifici facultas oblata. His ſic conſtitutis, Rochezana cum aliis qvatuor presbyteris, nomine totius cleri ſibi adhærentis, ſedente Sigismundo pro tribunali in foro civitatis erecto, aſſiſtente Alberto genero magnaqve procerum & oratorum circumſtante corona, obedientiam Romanæ eccleſiæ ſeſe præſtare profeſſus eſt. Seqvente vero die, haud abſimili ſolennitate abſoluti ſunt ab anathemate, cæterisqve cenſuris hæretici, & in eccleſiam per concilii legatos introducti. Ubi cum divina celebrarentur, Rochezana perfidiæ ſuæ non immemor, altare accedens, divina re peracta, uni qvem juſſerat ex laicis adeſſe, ſacramentum ex calice dedit. Et qvamvis Joan-

nes Polomor, alter ex concilio legatus in aliena ecclesia id sibi non licere assereret, eumqve prohiberet, in proposito perstitit. Ob qvam rem penè in irritum conventa ceciderunt. Composita tamen lis est, ex eo conventionis capite, qvo sancitum erat, *ne paucis pacta violantibus communis concordia rumperetur*. His compositis, Sigismundus nona Septembris, anno sexto & tricesimo supra millesimum & qvadringentesimum ab ortu Salvatoris Domini, Pragam venit, ubi, qvi paulo ante Bohemorum hostis ex adulterio natus, Antichristi filius, sacrilegus, publicis hominum votis perdendus censebatur, extremis honoribus exceptus est. Barones ac civitates in ejus verba juraverunt, & magistratus suos, qvos ipse constituit, acceperunt, certantes inter se, qvis alter altero suo regi obseqventior videretur, ut est humanum ingenium utramqve in partem imodicum, sive perseqvi sive obseqvi malit. Philibertus episcopus Constantiensis, natione Gallicus, & collegæ sui ex Basilea missi, ecclesiasticos introducere ritus, sacerdotes instituere, ex missarum solennibus vulgaria verba, cantilenasqve detrahere, sanctorum imagines reducere, aqvam benedictam in ædibus sacris reponere, baptismatis fontes sacrare, altaria ornare, spurcitias omnes abolere. Paruere complurimi, qvibus mens sanior fuit. Rochezanæ complices resistere, obloqvi, blasphemare, plebem modis omnibus avertere. Ipse qvoqve inventor malorum ex parochia S. Mariæ ante Lætam Curiam, qvam propria temeritate invaserat, amoveri minime potuit, neqve laniare sermonibus suis inter prædicandum Romanam ecclesiam prætermisit, legatisqve sæpe necem per insidias machinatus est. Sigismundus autem cum ecclesias pollutas intrare nollet, templum S. Jacobi, qvod fratrum minorum fuerat, & in qvo machinæ bellicæ tum servabantur, restitui sibi poposcit. Annuit civitas, & aliqvi monachi introducti sunt, qvi verbum Dei prædicarent. Id olim ne Zischa subverteret, armati carnifices defendere, sepulchris majorum consulentes. Redierunt & alii mendicantes, tum Celestini, Slavi, servi S. Mariæ Theutones, Hierosolymitani, & nonnullorum monasteriorum Abbates. Sacerdos qvoqve S. Georgii in arce Pragensi, qvæ principis honore defungitur, & pastorali baculo utitur, sacris præfecta virginibus ab exilio remeavit. Hæc ex veteri more qvotannis in celebritate S. Viti novellum regi panem of-

ferre

ferre tenetur. Restituti sunt & Cathedralis ecclesiæ canonici ac vicarii, ornamenta altaribus reddita, divinum officium instauratum. Legati Basileam missi, qvi declarationem super articulo communionis expeterent: cumqve nulli essent ecclesiæ reditus, ex qvibus ali templorum ministri possent, jussit Imperator, ex fisco regio per singula canonicorum capita hebdomadatim aureum nummum distribui, minoribus clericis dimidium dari. Ea res annua aureorum sex millia apud ecclesiam Cathedralem absumpsit. In alia qvoqve templa donaria collata. Nova jam facies urbis, novus populus, verus rediisse religionis cultus apparebat. Qvibus ex rebus liqvet Imperatorem, qvæ fœdera cum hæreticis percussit, necessitate magis admisisse, qvàm voluntate, voluisse illum paternam hæreditatem qvoqvomodo intrare, sensimqve regni possessione accepta more majorum sub veram Christi religionem provinciam reducere. Jamqꝫ reges ei populiqve Christiani de regno recuperato congratulabantur, ejusqve nomen in omni ecclesia magnum erat. Eugenius qvoqve Pontifex maximus auream rosam indicem suæ lætitiæ ad eum misit. Thaboritæ qvi superioribus cladibus superfuerant, in oppido conservati, ea lege in gratiam recepti, *ut qvinqvennio toto suis moribus viverent, religionis cultum mutare non cogerentur, jura civitatis haberent, signum ferrent, in sigillis rubra cera uterentur, tributi nomine singulis annis sexagenas decem penderent.* Sed cum nephandas eorum consvetudines Sigismundus accepisset, qvibus illi circa rem divinam uterentur, qvinqvennium haud expectaturum se dicere, correpturum propediem sceleratæ civitatis insaniam. Rochezanam hortari Romanæ ecclesiæ se subjiceret, sic posse pontificatum sibi committi, superbienti, & aliena de fide sapienti, ascensum desperandum esse, qvi vel consecratus episcopus ejici deberet. Ille mente superba, & opinione sua inflatus, dietim pejor, dietim venenosior effici, monachorum reditum ægerrime ferre, qvorum sermones non minus qvàm suos acceptum iri verebatur. Ob qvam rem occurrente inter prædicandum sermone de monachis, *Venerunt*, inqvit, *novi dietim ad nos dæmones, qvos monachos vocant. His studium est ejicere nos de veritate, at si viri fuerimus, prius sangvinem effuderimus.* Id Sigismundus ubi accepit, *imo nos*, inqvit, *Rochezana sangvinem non inviti ante aras libabimus.* Non latuit Rochezanam Sigismundi sermo, qvi ex amicis

cis commonitus clam aufugit. Ejus ecclesia Papusconi bono & docto viro commissa, qvem nos postea exulem, perturbatis iterum rebus in Nova domo vidimus. Priusqvam Bohemiam intrasset Sigismundus, Joannes Rohacius, nobili loco natus, ingenio malo, mente pessima non longe à montibus Cuthnis, intra sylvas in edito colle castellum ædificavit, vocavitqve montem Syon, asserens ex eo loco veritatem aliqvando exituram, qvæ gentem Bohemicam libertate donet. Euntibus ad Iglariam cæteris nobilibus imperatorem susccepturis, ipse domi manens, vicinis infestus prædas agitat, instigantibus nonnullis Baronibus, qvibus pax noxia, bellum salubre videbatur: Sigismundum qvoqve lacessit, armenta boum & ovium, qvæ illi advehebantur, ex Hungaria rapit. Itinera qvæqve insecura, infesta reddit, neqve purpuratis regiis abstinet. Sigismundus Henricum Ptarsconem, qvi hominem corripiat, cum exercitu mittit, obsidio qvatuor ducta mensibus, castellum summa vi oppugnatum. Sed in cacumine montis situm, vallo, fossa, murisqve opportune munitum, difficile superatu erat. Eriguntur turres, qvæ munitiones murosqve superent, tela intus jaciuntur, multi utrinqve cadunt, obsidentium plures, in qvos tela haud frustra cadebant. Accessum ad muros altior fossa prohibebat, qvæ licet aqva caruit, laboriosum tamen periculosumqve militi erat, sagittis undiqve cadentibus in eam descendere, atqve inde rursum vallum, qvo muri præcingebantur, ascendere. Cuniculis igitur aditus in fossam paratur, relicto terræ aliqvanto, ne fraus intelligi posset instar ostii ante fossam. Expectatur ventus, qvi ex castris in castellum spiret. Is ubi vehemens datus est, armati aditum ingrediuntur, tormenta ænea qvàm plurima simul incenduntur, ventus fumum in castellum rapit, milites aperto cuniculorum repagulo in fossam prosiliunt, & admotis scalis vallum ascendere nituntur. Prandebat tum forte Rohacius, pauci qvi pro muris excubant, clamorem attollunt. Fit tumultus, concurritur undiqve ad defendendum vallum. Rohacius qvoqve relicto cibo sumtis armis auxilio suis ex arce advolat, pugnatur eodem tempore pluribus locis acerrime. Ubi Rohacius adest, hostis ex alia parte vallum superat, stragemqve late faciens, castellum ingreditur. Rohacius dum ire in arcem festinat, præcluso itinere capitur, arx qvoqve vi rumpitur, latronibus qvi eo confugerant interceptis, sacerdotiqve Hussitarum

ſitarum veſaniæ participi, qvi ſacramenta miniſtrabat hæreticis, indita vincula, ducti omnes Pragam, ſuſpendio vitam finiere. Furcarum, qvibus damnati pœnas dedere, triplex differentia fuit, & ſublimior Roacius pependit, imam tenuere latrones circiter nonaginta, media ſacerdotem arripuit nomine Medium, atqve ita Medius in medio furcarum damnatam animam devotamqve Sathanæ reddidit.

## Cap. LIII.

### *De morte Sigismundi Imperatoris, & qvem reliqverit in teſtamento hæredem.*

ÆGrotare interea Sigismundus cœpit, exaugente morbum ſenectutis incommodo. Barbara imperatrix de retinendo imperio ſolicita, Henricum Ptarſconem Sterenbergium, Georgium Poggiebracium, & alios plerosqve Barones, qvorum autoritas apud Bohemos potior, clanculum ad ſe vocat, *Sigismundum brevi moriturum* aſſerit, *futuras in regno turbationes, niſi rei ſuæ qvam celerrime conſulant, qvietis unicam viam eſſe, ſi ſe viduam rex Poloniæ ducat uxorem. Id ei ſuaſu facile. Nam qvis matrimonium renuat, qvod dotalia duo regna ſeqvantur, eaq́; maxima, & opulentisſima? Suo nomine & in Hungaria & in Bohemia oppida munitisſima cuſtodiri, comites Ciliæ alterum fratrem, alterum nepotem, auxilia præbituros, multos in Hungaria proceres, ſuas partes complexuros.* Placet Bohemis imperatricis conſilium, datisqve dextris fœdus ineunt. Mulier jam anus, novum conjugium mente complexa, filiam, qvæ in ſpem regni creverat, & Alberto duci Auſtriæ nupſerat, ex animo dimovet, nec aliud, qvàm novi concubitus gaudia meditatur. Inexhauſtam fœminæ libidinem! qvæ tumulo qvo propior eſt, eo genialis thori, nuptialisqve facis cupidior & curioſior redditur. Non latuerunt Imperatorem furentis fœminæ excogitatus. Qvi poſtqvam referentibus medicis moriendum ſibi eſſe cognovit, ex Bohemia cujus ſibi dubia fides erat, in Moraviam ſe vehi juſſit, viſurus filiam, priusqvàm vita excederet. Illa cum viro ad eum in civitatem venit, qvam Snoimam vocant. Ibi mox Barbara virum ſecuta, cuſtodiæ traditur. Ulricus

Ciliæ comes præmonitus, fugam arripuit. Imperator vocatis in cubiculum Hungariæ ac Bohemiæ primoribus, adventasse resolutionem sui corporis, nec jam amplius se vivere posse affirmat, *iturum se patrum viam. Cæterum priusqvàm oculos claudat, de salubri statu regnorum suorum velle cum eis agere. Albertum Austriæ ducem, generum suum esse, & virtute præstantem, & generis nobilitate sublimem, eum se non minus amare qvàm filium, successorem itaqve suum nominare, rogare supremam voluntatem suam exeqvantur, beatum id regnum futurum, cui Albertus imperaverit.* Exin legatos nominat, qvi se mortuo Bohemiam petentes, in conventu testamentum suum patefaciant. Inter qvos Gaspar Slichius princeps fuit, matre Italica ex comitibus Collis alti agri Taruisini, patre Teutonico natus, ex familia Lazana provinciæ Franconiæ, ingenio dextro, facundia svavi, doctrinæ cultor, ad omnia genitus, qvæcunqve ageret. Qvem usqve adeo fortuna & virtus extulit, ut qvod erat prius inauditum, trium Cæsarum successive regnantium cancellariæ præfuerit, unus ex ducibus Silesiæ filiam sibi in matrimonium tradere non recusaverit. Sigismundus illi Egram & Cubitum, & alia in Franconibus oppida dono dedit. Albertus in Hungaria Calesium, & Albam ecclesiam. Fredericus in Austria Græcium. Versatile profecto ingenium, & naturæ bonitas singularis, qvæ inter tot imperatores, moribus prorsus dispares, pari gratia vivere potuit. Nos hujus amicitia in curia Frederici Cæsaris usi, si qvid profecimus qvod scimus qvàm tenue est, adjumento ejus consecuti sumus, Episcopatum certe Tergestinum, unde reliqvæ dignitates provenere, ipse nobis primus committi curavit. Mortuus est Viennæ, & apud Carmelitas cum conjuge sepultus. Sigismundus supremis suis ordinatis, inter amicorum manus defecit.

## CAP. LIV.

### *De sepultura Sigismundi Imperatoris.*

ALbertum Barones qvi aderant ex Hungaria & Bohemia, concordibus animis regem salutavere. Ipse missis in Bohemiam suis & Sigismundi legatis, versus Posonium iter flexit. Miserabile spectaculum, & humanarum rerum singulare documentum, imperatrix captiva & Imperatoris cadaver unà vehitur. Occurrunt lugubres

gubres Hungari, nec teneri lachrymas in tanta rerum novitate possunt. Hinc defuncti regis corpus fletum elicit, inde reginæ vincula commiserationem excitant. Solatur tamen miseros novi regis electio, cujus virtutis multa extabant documenta. Duo inter se oppugnantes curæ occurrebant, altera sepeliendi regis, plena mœroris, altera coronandi, læta jocundaqve. Justa prius defuncto regi persoluta, corpus ejus in Varadino, ut in ultima voluntate placuerat, sepultum. Albertus in Alba regali, cum conjuge sua Elizabeth, Calendis Januarii summo consensu & applausu populi coronatus est,

## Cap. LV.

### *De Alberto Bohemorum Rege qvarto decimo, & etiam Romanorum Rege.*

LEgati in Bohemiam profecti, vulgato Sigismundi testamento, Albertum vicinum, potentem, nobilem, virtute præstantem, Bohemis amicum, regem assumi petunt. Joannis, Caroli, Venceslai, & ipsius Sigismundi erga regnum merita commemorant. Natam ex eorum sangvine Elizabeth, non esse paterna hæreditate privandam. Inter Bohemiæ reges & Austriæ principes fœdus extare, procerum consensu & imperiali autoritate firmatum, *ut deficientibus altera domo masculis hæredibus, altera regnum accipiat.* Defecisse masculos in Bohemia regiæ stirpis, successorem ex Austria vocandum. Neq; alium regno idoneum videri, qvàm Albertum, qvi & uxoris, & suo jure, & soceri judicio, præferendus sit. Futurum eum regem, qvem Bohemi ex cœlo missum putent. Hungari qvem cupide regem acceperunt, Bohemis haud aspernandum. Flectitur his Bohemorum conventus, Albertus pridie nonas Majas designatur. Verum proceres qvi cum Barbara conspiraverant, non alio pacto in Albertum consentiunt, qvàm si postulatis suis mos geratur. Alscio Sternenbergi9 eorum nomine Albertum adiit, sed frustra ejus preces fuere. Albertus fermè Bohemis, qvæ socer, affirmavit. Interea Barbara, dimissis, qvæ possidebat in Hungaria inexpugnabilib9 castellis, libertati reddita est, duodecim millia auri nũmûm locis patentibus, qvoad viveret, ei singulis annis constituta Ptarsco de voluntate Alberti ab Alscione certior fact9, accersitis ex factione

ſua primoribus, qvorum pars potior hæretica fuit, Huſſitarum ſeqvax erroris, Caſimirum regis Poloniæ germanum, tredecim annos natum, regem appellat, miſſisqꝫ oratoribus auxilia petit, qvibus nobile regnum ei conſervari poſſit. Inter hæc & Electores imperii apud Francfordiam convenientes, rem Romanam Alberto commendant. At illi acceptare imperium injuſſu Baronum Hungariæ haudqvaqvam licebat. Id enim eis promiſerat, cùm ſe regem accepere. Vocati primores regni, negabant *ex uſu eſſe Hungariæ regi Theutonicis cæterisq́, gentibus imperare, dum Sigismundus Romanæ rei conſulturus, Italiam, Germaniam, cæterasq́, provincias peragraret, Hungariam Turcarum direptioni patuiſſe.* Multa in utramqve partem dicta. Poſtremo victi precibus, Frederici ducis Auſtriæ tunc adoleſcentis, aſſenſum dedere, imperium ſumma Germanorum congratulatione ab Alberto ſuſceptum. Nec mora legati ad regem Poloniæ, nomine gentis Bohemicæ miſſi, Joannes Rabenſteinus, & Joannes Placius, oratum, *ne fratrem turbare Bohemiæ regnum patiatur, meminerit inter Bohemos ac Polonos veteris amicitiæ, Albertum ex Sigismundi teſtamento, & provincialium decreto, regem eſſe, non potuiſſe paucos, qvi Caſimirum vocavere, jus regni ad alterum transferre. Si pergat alienum regnum fratri parare, caveat ne de ſuo certare cogatur.* Polonus ad ea *Bohemos ſibi amicos eſſe fatetur, cupere benevolentiam perpetuo ſtare, ac fratri, qvem primarii barones regem vocaverint, jus auferre non poſſe, Polonis ac Bohemis unam eſſe linguam, & unam utriqve genti originem, cum Theutonicis nihil Bohemis eſſe commune. Nihil provincialibus incommodius, qvàm ſui regis vocem non intelligere, atqve in omni loco interpretis egere. Regnum ſibi ſuum ſatis tutum fidumq́, eſſe, neqve ſe externam vim ullam timere. Proinde orare, ut fratrem potius recipiant, qvàm ipſi ab eo recipiantur:* donatosqve precioſis pellibus, ut eſt mos gentis, oratores dimiſit. Legatis autem alterius partis, miſſurum ſe propediem auxilia pollicitus. Albertus medio tempore Iglariam petit, qvo in loco ab Ulrico Roſenſi, Mainardo, plurimisqꝫ Bohemiæ proceribus percupide expectabatur. Ptarſco vero per nuncios eum rogat ne *prius regnum ingrediatur, qvàm ſibi factioniq́, ſuæ faciat ſatis. Neqve enim paſſurum ſe regem eſſe, qvem ipſe non elegiſſet.* Albertus, qvod major pars regni ſtatuiſſet, id ratum eſſe debere reſpondit, hortari ne regnum qvietum interturbet. *Inventurum benignum regem ſi paci conſulat, ſin pergat res innovare, plus belli reperturum*

*qvàm*

*qvàm velit.* Exin motis castris Cuthnam occupat, qvam Ptarsco sine præsidio reliqverat. Petenti Pragam freqvens populus occurrit, atqve ut hostium victori congratulantur. Et qvamvis iterum Ptarsconis factio conventum peteret, priusqvàm rex coronaretur, rejectis precibus, tertio Calendas Julii solenni pompa coronam accepit. Ptarsco verò Coloniam, & alias suæ factionis civitates impigre munivit. Cumqve duo milia eqvitum ex Polonis ad eum venissent, populari eorum agros cœpit, qvi regem introduxerant, & tanqvam diu Bohemia qvievisset, novo exultans bello, adeo gloriabundus in campos exiit, ut captivos nobiles, qvos forte interceperat, ea conditione juratos dimitteret, *ut se non prius repræsentarent, qvàm castra muris Pragensibus admoverentur.* Albertus etsi auxilia ex Austria Hungariaqve asciverat, illis tamen non expectatis hosti copiam pugnandi fecit. Qvam Poloni detrectantes, per montes Cuthnæ & Sobeslaviam, ad Thaboritas se contulere, amicam sibi civitatem, castrisqve ante urbem positis, Albertum expectavere. Ipse cum copiis egressus, per Beneschaviam ad eos festinans, legatos præmisit, qvi Polonis dicerent, *inter Casimirum, cujus causam agerent seq; belli præmium Bohemiam esse, caverent ne incendia agitarent. Experirentur prælio, cujus provincia esset, cultam potius qvàm desertam mallent, sese moram minime facturum qvin pugna litem regni definiat.* Poloni ad hæc hujuscemodi responsum dedere, *ex æqvo se ferre animo Alberti arrogantiam pugnam petentis: nam superos superbis infensos esse. Venturo non defuturum prælium, Polonos faciem hosti, non terga ostentare solitos.* Lætus eo nuncio Albertus qvadrato agmine in conspectum hostis advolat. Qvo intra castra se continente & ipse castra sua è regione Thabor ad jactum lapidis tormentalis metatus est. Pugnatum singulis diebus in campo, qvi medius inter bina castra jacebat, nunqvam totis viribus in fortunam belli ventum, Polono non tam facile egregia manu facinora edente, qvàm verba magnifica ore jactante. Erant in castris Alberti, Christophorus Bajoariæ princeps, qvi postea regno Daciæ potitus est: Fredericus Saxoniæ dux, & Albertus marchio Brandenburgensis, cujus nomen ab eo tempore cultum magnumqve fuit. Triginta millia militum Alberto parebant, Polonis qvatuor decim milia, qvorum castris juncta civitas, magno adjumento erat, Tormenta qvoqve ænea in utriusqve castris plurima, majora apud

Albertum fuere. Ex qvibus uni qvod erat maximum, ignem admoveri jussit, cujus lapis emissus miræ magnitudinis, cum præter opinionem in castris hostium cecidisset, multos mortales interemit. Vidisses passim corpora sine capite jacentia, capita qvoqve, pedes, membraqꝫ sine corpore in cruore fluitare, jumenta humi procumbere mortua. Neqve enim primo ictu duntaxat, sed multiplici saltu pluribus in locis decidens saxum stragem fecit. Qvare consternati Poloni relictis castris intra urbem se recepere. Georgius Poggiebracius per idem tempus cum Thaboritas peteret (nam & ipse Ptarsconi junctus erat) in alam qvandam Alberti eqvitum forte incidens, commisso prælio hostem prostravit, atqve hinc primum homini nomen datum. Albertus vero cum expugnari Thaboritas aliter qvàm fame neqviret, soluta obsidione Pragam rediit. Poloni exhausti argento, amissis eqvis, pedibus in patriam abiere. Fredericus Saxonum princeps, dimisso rege domum rediens in hostium insidias incidit. Sed nihil improvisa re motus, ordinata raptim acie, ea constantia, ea fortitudine pugnam iniit, ut penè victus captusqve victores vicerit, cæsisqve qvàm pluribus captos abduxerit. Rex Poloniæ nondum cognitis qvæ in Bohemia suis acciderant, cum duobus magnis exercitibus Slesiam ingressus, in Bohemiam properabat. Sed intellecta suorum fortuna, populatis hostium agris domum rediit. Albertus autem relicto, qvi regnum gubernaret Ulrico comite Ciliæ, per Slesiam Gorlicium venit. Uratislaviensibus vero, ea est civitas nobilis ac præpotens, & Slesitarum caput, Albertum marchionem Brandenburgensem petentibus belli ducem dedit, qvi Poloniam sæpe infesto exercitu petens, longe lateqve prædas egit. Non multis post diebus actum de concordia. Rodericus Burgensis episcopus, natione Hispanus doctrina ac virtute præstans, arbiter litis ex Basiliensi concilio missus Albertum convenit. Disceptatum est inter legatos partium, non convenientibus induciæ belli dictæ, conventus in aliam diem apud Uratrislaviam statutus. Eo veniens Albertus, ex gradu forte prolapsus, graviter læsus pluribus diebus ægrotus decubuit: exin claudus effectus, infecta pace per Moraviam in Austriam rediit. Interea comes Ulricus, qvi Bohemiæ præerat, inter Barones de vendicando sibi regno agere cœpit. Albertus cognito ejus studioproperatim stipendia subtraxit. Ille materia adempta

qva

qva Bohemorum animos ſibi conciliabat, ex provincia diſceſſit, nec ultra remiſſus eſt, regni cura Mainardo & Ulrico Roſenſi commiſſa. Per idem tempus Deſpotus Serviæ, qvam Raſciam vocant, cum ſacerdotibus & nobilibus in Hungariam profugerat, Turcarum impetum veritus, uno tamen relicto filio, qvi caſtellum Synderoviam in ripa Danubii ſitum, & à Turcis obſeſſum, tueretur. Albertus ab Hungaris invitatus, obſeſſis opem laturus, Budam petiit. Interea Georgius Palotius, Strigonienſium pontifex, diem obiit, qvi coronam regni, divitemqve regum ſupellectilem in arce ſervaverat. Qva re cognita, Albertus eo ſe confert. Arx reginæ deditur. Qvæ dum theſaurum regni coram Baronibus ad eam rem ſelectis recognoſcit, coronam beati Stephani regis, qvam ſacroſanctam putant, clam ſurripuit, anuiqve cuſtodiendam tradit, cætera obſignatis occludit arcis.

## Cap. LVI.

### *De morte Alberti inclyti regis.*

ALbertus Budam reverſus, non expectatis auxiliis adverſus Turcas exercitum ducit, caſtra inter Titiam amnem ac Danubium collocat. Interea Turcarum imperator evicto caſtello, excæcatoqve Deſpoti filio, cujus ſororem in matrimonium duxerat, domum abiit. Crudelis, qvi neqve conjugii affectum ſenſit. Verum Turcis matrimonii neceſſitudo levis, apud qvos ſinguli pro opibus plures uxores habent, regibus eo amplius nubere licet. Ita animus multitudine diſtractus, nullam pro ſocia, pariter omnes viliter habet. Albertus ubi expugnatam Synderoviam, Turcas abiiſſe cognovit, dimiſſo exercitu Budam rediit. Sed inſolito ferventis Auguſti calore vexatus, dum peponibus nimium oblectaretur, in ventris ſolutionem incidit, ſentiensqve periculum, moriturus in patria Viennam repetere ſtatuit. Iter ingreſſus, cum jam Strigonium præteriiſſet, in villa qvæ Longa dicitur, condito teſtamento ſexto Calendas Novembris deceſſit, princeps liberalitate ac fortitudine clarus, & qvi cæteris rebus longe religionis ſtudium antepoſuit.

## Cap. LVII.

### *Qvomodo Bohemi post mortem Alberti, eligunt in regem Albertum Bajoariæ ducem, sed electioni consentire noluit.*

Bohemi qvi Alberti regis causa inter se diffidebant, cognita morte, apud Pragam convenientes, unum totius regni corpus efficiunt, atqve ad eligendum novum regem ad octavum Calen. Majas diem statuunt. Rochezana qvi dudum apud Græcium exulaverat, domum revertitur, suoqve more insaniens, Romanam ecclesiam, Cardinalesqve, Patriarchas, cæterosq; per orbem episcopos blasphemans, apud solos Bohemos incorruptæ veritatis inveniri sacramenta dicit, preciosissimum Christi sangvinem parvulis ac dementibus præbet. Sacerdotes suæ temeritati adversantes, domo pellit, popularibus communionem sub specie vini recusantibus, ecclesiasticam sepulturam interdicit. Redeunt damnata tempora, suumqve placitum, suum qvisqve ingenium recepit. Regina Elizabeth jam filium ex Alberto pepererat octavo Calend. Martii, Ladislaum nomine, atqve Hungarorum ei coronam imposuerat. Mittuntur ad eam legati, qvi dicant *ad eligendum regem diem statutam. Si qvid juris in regno Bohemiæ ad se spectare confidat, oratores mittat, qvi rem suam agant.* Regina natum ex Alberto filium in cunabulis ostendit, rogat *ne paterna hæreditate pupillum exuant: tempus mittendi legatos arctum esse:* neq; enim amplius qvam dies qvindecim supererant. *Si prorogetur terminus, missuram qvi pueri jura edisserant.* Erat inter legatos Procopius Rabensteinus nobilis eqves, doctrina ac morum lenitate præstabilis, cujus nos amicitia pluribus annis oblectavit. Is cùm Alberto servisset, *habiturum se curæ* ait, *qvæ regina mandaret.* Reversus in Bohemiam eos primum adiit, qvi partes Alberti foverant. Exponit reginæ desiderium, svadet proferri conventum. Res digna exauditione videtur. Verum Ptarsco, & qvi Alberti recusarant imperium, cum jam Pragæ convenissent, regno consulendum qvantocyus esse dicere, reginam spernere, instare, properare, vocare absentes. Illi diem ex die consulto proferre, moræ causas nectere. Interea legati ab regina veniunt, fit freqvens conventus. Intromissi Oratores

proceres

proceres rogant, *Sigismundi & Alberti suorum regum meminerint, nepotem filiumq; ne respuant, contra jus gentium paternam hæreditatem puero ne adimant. Fœdera cum Australibus percussa ne violent, pupilli atqve orphani misereantur.* Sunt non pauci, qvi læto favore legatorum postulata suscipiunt. At qvi Albertum oderant, filium regem negare, cujus patri tanqvam regi non paruissent. *Infantem regno inutilem esse, regem à regendo dictum, qui regendus sit, regem vocari non posse. Antequam Ladislaus adolescat, longum tempus effluxurum esse, interim regem assumi, qvi per se regat. Satis esse Ladislao si post qvatuor & viginti annos ad regnum vocetur, medio tempore locum alteri faciat. Reges regno dari, non regna regibus. Fredericum Austriæ ducem, jam Romanorum regem electum, Bohemis indulsisse, uti qvem vellent, regem sibi asciscerent.* Vicit hæc sententia. Albertus itaqve Bajoariæ dux, majore procerum voto rex declaratur, qvi apud Venceslaum qvondam nutritus, Bohemicæ linguæ non ignarus erat. Mittuntur ad eum primores regni, inter qvos Ulricus Rosensis, homo semper se tempori accommodans, princeps fuit, qvi licet Alberti partes olim defenderit, hujus tamen sententiæ suasor extiterat. Qvibus ea res indigna videtur, hi Procopium ad Fredericum Cæsarem clam ire jubent, rogantes nobile regnum ne pupillo negligat, cujus tutelam susceperit. Jam enim Elizabeth Hungarorum inconstantiam verita, qvi ad Poloniæ regem defecerant, Ladislaum ad eum miserat educandum. Fredericus audito Procopio, missis ad Albertum Bajoarium nunciis hortatur, *ne regnum sibi alienum usurpare præsumat, qvod tum difficile, tum ignominiosum fuerit. Bohemis, qvibus defuncti regis hæres esset, non licuisse alium eligere, neqve se potestatem eam dedisse, quemadmodum in Bohemorum conventu nonnulli ementiti fuerant.* Procopium vero in Bohemiam remittit, qvi jus Ladislai haudqvam se necglecturum asseverat. Albertus ea virtute atqve animi moderatione usus est, qvæ postqvam reges esse cœpere, rarissima semper fuit. Nam venientibus ad se Bohemorum legatis, amplum & nobile regnum offerentibus gratias egit, *qvi se unum ex omnibus elegissent, cui parere vellent dignumq; tanto imperio judicassent. Multa se idcirco debere Bohemis, neqve id unqvam beneficii oblivioni daturum. At cum regis Alberti soboles extet, indecorum esse cum alterius injuria regnum qværere, paternam hæreditatem nulli auferendam. Qvi pupillos suo jure dispolient, Diis atqve hominibus invisos pœnas aliqvando*

*do patrati sceleris dare: cognovisse se non vano rumore fœdus antiqvum inter Bohemos & Austriales extare, deficiente mascula sobole principem ne foras assumant: fidem servare pulchrum, ne cui temere noceatur cavendum. Scelestam execrabilemq; vocem illorum, qvi regnandi causa jus violandum astruunt.* Atqve ita majorem se spreto regno monstravit, & si verum fateri licet, clarissimum egit regem. Nam regnum apud eos, qvi spernunt, non qvi cupiunt.

## CAP. LVIII.

### *De Ladislao infante Bohemorum Rege qvintodecimo.*

BOhemi ab Alberto repulsi iterum convenientes legatos ad Cæsarem mitunt, petentes tutorio nomine, uti regnum accipiat. Is in Belgiam se iturum dicit coronæ suscipiendæ gratia, cum redierit de re ipsa transacturum. Reversum potentissimi ex Bohemia proceres adeunt. Inter qvos Ptarsco cum esset Alberti filio infensus, seorsum Fredericum alloqvitur, *regem ut seipsum faciat, hortatur, facile id futurum, si tutelam pupilli rejiciat. Nam cum cæteri desint, Bohemos suopte ingenio regnum sibi oblaturos, cui ex fœdere tanqvam seniori Austriæ principi debeatur.* Negavit Fredericus orphani, cujus tutelam gereret, hæreditatem se qvoqvo pacto invasurum, nec tamen Bohemiam tutorio nomine administrare voluit, qvam sine profusione magna pecuniarum retinere non poterat. Nam Bohemi nisi ex regibus qvotidiana munera accipiant, ab officio recedunt. Neqve est regnum cujus fiscus abundat. Regiæ possessiones in privatas manus pervenere, argentifodinæ unde opes regiæ in immensum crevere, majore ex parte periere. Distracti census, vectigalia prorsus extincta, nisi populares in sumptus regios pecuniam conferant, qvam vocant bernam, aut rapere unde vivat regem oportet, aut precariò regentem mendicare. Svasit igitur Imperator, ipsi ut per se provinciam regerent, donec pupillus adolesceret, donatosqve oratores à se dimisit. Domum reversis gubernatores eligere placuit, inter qvos Ptarsco & Mainardus priores habiti. Stetit aliqvandiu concordia discors. Nam licet Mainardo Ptarsconiqve factionum capitibus parum conveniret, & alter conventa cum concilio habita servanda esse diceret, catholicarum

carum tutor partium, alter sperneret, Rochezanæ amicus, ab armis tamen abstinuere, mediumqve qvoddam temperamentum inventum est, qvo partium cuiqve suo voto liceret vivere. Verum Ptarscone vi morbi repente extincto, Mainardi potestas aucta est, cui tum Pragenses, tum fortiores regni civitates paruere. Id ægre fuit adversæ parti, qvæ Ptarscone defuncto ad Georgium Poggiebracium se contulerat, eumqve sibi ducem elegerat, jam tamen rei militaris peritia, rebusqve strenue gestis insignem. Orare igitur *ne jacere suas partes sinat, Mainardum indies crescere, Pragam in potestate habere regni metropolim, sacerdotes qvi Romanum ritum introducant magnificare, qvi veritates patrum seqverentur, perseqvi. Occurrendum temeritati hominis, qvi peregrinos mores patriæ anteponat, Pragam ei auferendam, neqve id esse difficile, civibus non placere Mainardi regimen, Rochezanam multos habere amicos, qvi excitato tumultu arma capessant, audendum esse fortibus viris, fortunam ipsam aperire victoriam.* Georgius ipse, qvi suapte natura magna cuperet, collaudatis svasoribus nonnullos in urbem ire jubet, qvi pertentatis civium animis, qvæcunqve invenirent, ad se referant. Postqvam multi aures adhibent, conjuratione facta invadendæ urbis dies constituitur. Conjurati incendium in parte urbis admodum remota excitant, concurritur ad restinguendum ignem. Interea Georgius ex adversa parte cum copiis muros invadit, nec mora proditores in instanti portas aperiunt, extollitur clamor, ut capta urbe solet. Hinc tremor suprema timentium, inde exultatio victorum exaudiri. Trucidantur passim resistentes. Mainardus in eo tumultu captus in carcerem conjectus, ibiqve tandem obiit, sive tædio diutini carceris, sive, ut pleriq; putaverunt, exhausto veneno. Ex illo tempore sine controversia Praga in potestate Georgii fuit, neq; posthac adversari palam voluntati ejus ex Baronibus qvisqvam præsumsit: qvibus potestas suspecta visa, durum imperium, in concionibus laudare hominem, probare regimen, blandiri, adulari, *eum esse dicere, qvi tandem regni calamitatibus modum ponat. Id nulla vi rectius fieri posse, qvam si rex in regnum veniat, precari, numen obtestari, id patriæ non deneget, legatos ad Cæsarem mittat, instet, urgeat, facturum tutorem deniqve, qvod in pupilli rem sit. Si pergat adversari, nihil Bohemis imputandum alium regem qværentibus.* Sententia qvamvis ingrata Georgio, accepta in auribus populi refelli non potuit. Missi ad Cæsarem oratores nihil impetra-

 vere,

vere,pupillaris ætas excusationem præbuit,qvamvis sæpius idem tentaretur. Venere plurimi ex Bohemis ad Fredericum visendi regis gratia. Inter qvos Georgius nomine Giscra, armorum gloria clarus, qvi partes ejus unus fermè defenderat in Hungaria, cum rex Poloniæ regnum invasisset, prædones sæpe acie fuderat, Joannem Huniadem bis castris exuerat, rebellantes Hungaros magnis cladibus affecerat. Is ubi ad conspectum regis intromissus est apud Novam civitatem, qvo in loco tunc aderamus, astantibus plurimis illachrymans Ladislai manum exosculatus, in hunc modum verba fecit: *Video te tandem teneoq, mi Rex, si scires qvæ pericula propter te adivi, qvibus me laboribus implicui, qvot adverso corpore vulnera accepi. En cicatrices testimonio sunt, patri ego tuo tibiq, vitam devovi. Nulla vis est, nulla fortuna, qvæ alienare animum à te meum possit, officia mea sola tibi auferet mors. Sed tu hæc per ætatem non intelligis.* Et subridens, *Qvod* inqvit, *mihi præmium fidei ac laboris erit? & qvod das militi tuo stipendium?* Sextum tunc annum agebat Ladislaus, qvi postqvam Giscra finem dicendi fecit, oculos huc atqve illuc circumvolvens, loculos Joannis magistri cameræ suspiciens ex philæcterio pendentes, qva ille nummos more Teutonico pauperibus erogandos asservabat, hanc tacitus arripuit, æraqve sex tantum, neqve enim plura invenit, illinc deprompta Giscræ dono dedit. Admirati omnes pueri factum, & providum & liberalem futurum judicavere. Giscra innexos postmodum auro nummos è collo suspendit, regiæ gratitudinis monimentum. Hungari, qvi mortuo Alberto regem Uladislaum ex Polonia vocaverunt, diu imperium Ladislai obtrectavere, bellumqve adversus Turcas infeliciter fecere, in qvo Uladislaus fortiter pugnans obtruncatus est. In conventu deinde civitatum procerumqve Ladislaus rex appellatus, missa legatione ad Fredericum, in qva regni primores fuere, decretum electionis exposuit, Ladislaum in Hungariam mitti coronandum postulavit. Responsum est *recte Hungaros egisse, qvi Regem tandem suum recognoverint, electione inde haud qvaqvam opus fuisse in eo, qvem natura regem dedisset, neqve coronandum esse, qvi semel coronatus sit. Puerum adhuc egere tutore, nullius tutelam salubriorem ei esse, qvàm Frederici Imperatoris & proximi consangvinei. Expectarent ætatem regno idoneam, interea per se regnum administrarent.* Diu inter Hungaros & Imperatorem ob negatum regem inimicitiæ fuere, & armis qvoqve tentata res est. Joannes Huniades

des infeſtis copiis Auſtriam ingreſſus, qvamvis ferro atqve igne agros vaſtaverit, regem tamen coronamqve, & qvæ repetebat in Hungaria caſtella, obtinere non potuit. Pugnavit iterum contra Turcas, à qvibus magno prælio victus, humilior factus, Cæſaris benevolentiam & petiit & impetravit. Ob qvam rem qvamvis ſæpe & ab Hungaris & à Bohemis Ladislaus peteretur, res tamen ad duodecimum ejus annum protracta eſt. At cum Fredericus imperialis coronæ ſuſcipiendæ gratia Italiam petere ſtatuiſſet, rurſus Bohemi, Hungari & Auſtriales, legationibus ſeorſum miſſis Imperatorem fatigavere, Ladislaum repoſcentes, poſtulata omnibus negata ſunt. Ad Bohemos, qvi ea de re conventum Pragæ habituri erant, ac ferocius agere videbantur, regem alium electuri, niſi mos eis gereretur, legatos mittere placuit, qvibus & nos additi ſumus. Provinciales, qvibus apud Pradam dies ſtatuta fuerat, graſſante illic peſte, in Beneſchavia convenere, qvos in freqventi conventu, præſidente Georgio Poggiebracio, in hunc modum allocuti ſumus: *Petiviſtis ex Cæſare, viri Bohemi, Ladislaum regis qvondam veſtri filium ad vos mitti, idem Hungari, idem Auſtriales importunis precibus exigunt. Si vobis mos geritur, illos offendere neceſſe eſt, ſi preces aliorum audiantur, contemnere veſtras oportet, ſi neceſſarium ſit alterum ex duobus, veſtram amicitiam præferret Imperator. Vetus eſt enim majorum ſuorum cum Bohemica gente fœdus, & acceptorum ultro citroqve beneficiorum memoria recens. Sin virtus claritasq́; penſitanda eſt, qvis Bohemico nomini non invideat, cujus victorias tempeſtate noſtra plures numerare licet, qvàm reliqvæ gentes omnibus ſeculis comparare potuerunt? Verum Cæſari hoc tempore in hanc electionem deſcendere haud qvaqvam neceſſarium videtur, qvando ea pueri ætas eſt, qvæ neq; vobis neq; Hungaris uſui eſſe poteſt. Eſto, veniat in Bohemiam Ladislaus, qvod inde regno emolumentum cedet? Ille ne jus litigantibus decet? ſtatum reipublicæ reformabit? adverſus hoſtes copias ducet? belli pacisvé munia obibit? Nihil horum præſtare poteſt, cui rectè tutela opus eſt. Illud in primis ejus adventus faciet. Regis pompa ducenda eſt, ornanda regia, adhibendi miniſtri, curia more progenitorum apparanda. Ad hæc grandi pecunia opus. Vobis nullum ærarium eſſe audio, nullos cenſus, nulla vectigalia publica. Ad veſtras igitur opes recurrendum, vos præſtare ſumptus, vos regem alere, vos inexplebilem curiam & inſatiabiles miniſtros explere oportebit. Video præterea inter vos non paucos eſſe proceres, conſilio, autoritate, atqve opibus penè pares. Curia regis uni committenda erit, non*

*omnibus. Ille dominus, ille Rex vester judicabitur, qvi regis corpus in potestate habebit. Et qvis vestrum est, qvi non eum honorem sibi qvàm alteri malit? Semina inter vos discordiarum petitis, nisi prius in unum conveneritis, qvi regis curæ præsit. Vos his incommodis Fredericus liberat, qvi suo sumptu pupillum regium gubernans, dissensionum vobis fomitem aufert. Nec vos latet, qvandoqvidem tenera regis ætas est, corpus ejus in potestate Cæsaris rectius esse, qvàm in alterius cujuspiam. Ille enim consangvineus est, ex eadem familia natus, & Imperator. Et qvis pupillo regi convenientior tutor detur, qvàm princeps principum? Si sit inter vos & Hungaros contentio coram extraneo judice, de custodia corporis regis, par causa vestra atqve illorum judicabitur. Utriqve regem petitis, utriqve fidelitatis documenta præstabitis. Verum in hoc illi superiores erunt, qvia natum apud se regem, coronatumq́; dicent. Apud Cæsarem vestra causa longè justior est, qvàm Hungarorum, seipsum tamen in cura patruelis vobis præfert. Curate regnum, pupillum sibi dimittite, qvem postqvam pubes fuerit, vobis inprimis credet. Qvod vero oratores vestri dixere, alium regem accersendum à vobis esse, id magis terroris incutiendi causa dictum Imperator existimat, qàm qvod animo vestro ea sententia sedeat. Neqve enim vestra fides incorrupta prius, hoc repromittit, neqve progenitorum Ladislai in vos collata beneficia hoc exigunt, nec innocens ejus ætas qvicqvam demeruit. Cæterum volvite animo prius, ut sapientes decet, qvemnam Ladislao præferre possitis, cujus sangvinem, si matris originem memoria tenetis, qvatuor Romanorum imperatores produxere. Si paternam prosapiam exqviritis, qvinqvies imperatoria dignitas in Australi domo resedit. Obscuritatem qværat necesse est, cui tanta claritas non satisfacit. Addite potentiam, amicitias, clientelas. Austriam vobis vicinam possidet, Moravia, Silesia illi parent, Hungari, etsi res novas moliri videantur, ab officio tamen non recedent. Imperator à qvo règnum vestrum dependet, sangvini suo non deerit, nec jus familiæ suæ negliget. Bojoariæ Saxoniæq́; duces, Marchionesq́; Brandeburgenses, & omnes fermè Germaniæ principes, Ladislaum propinqva necessitudine attingunt. Non potest hic pupillus offendi, nisi & tota Germania lædatur. Hæc superflue vobis commemorari non ambigo, verum ita jussit Imperator. Ille in Italiam pupillum secum abducet, reductum, puberemq́; factum, si perstiteritis in fide, ad vos primum mittet. Vos interea pro gravitate integritateq́; vestra, qvod in rem Bohemici regni pupilliq́; sit, consulere admonet.* Verisimilis oratio visa neqve sine favore accepta, acceptioremqve Procopius noster collega reddidit,

qvi

qvi patrio sermone, Latinæ linguæ ignaris verba nostra interpretatus est. Jussi sumus ex conventu paululum abire, mox revocatis responsum datum. *Reddita Imperatori gratia, qvi eam legationem misisset, atqve in dimittendo rege, Bohemos præferret cæteris. Accipere se bene consulta consilia, missuros ex nobilitate sua primarios juvenes, qvi Cæsarem Italiam petentem seqvantur, eiq; ministrent. Expectaturos qviete reditum, qvem felicem faustumq; superûm benignitate futurum exoptent.*

## Cap. LIX.

### *De morte Barbaræ imperatricis, uxoris Sigismundi.*

APud Græcium Barbara imperatrix ea tempestate decedit, inexhaustæ libidinis mulier, qvæ inter concubinos illaudatum ævum publice agitans, sæpius viros petiit qvàm peteretur, neqve Christianæ, neqve alteri cuipiam religioni astricta, qvippe qvæ superos ullos esse negabat. Ferunt eam ancillas suas sæpe orantes jejunantesvé increpasse, qvæ corpus suum frustra macerarent, fictumq; cœli numen placare verbis crederent. *Vivendum svaviter, dum vita suppetit, fruendumq; voluptatibus. Id tantum homini datum, cujus anima cum corpore simul extinguitur, somniare qvi alteram vitam sibi promittunt.* Congrua moribus sententia. Nam qvi relicto animi cultu voluptati corporis se dedere, gravati vitiorum sarcina, non qvibus explicent vitamqve corrigant, sed qvæ cœptum iter approbent, ea dogmata facile imbuunt. Neqve inqvinatis mentibus solamen ullum valentius, qvàm totum extingui morte hominem opinentur. Una salus desperanti cœlum, inferos non timere. Corpus Barbaræ qvamvis infidelis fœminæ, Bohemi Pragam tulere, peractoqve funere in sepulchrum regium condidere. Nec defuere sacerdotes, qvi prophanum cadaver ecclesiastico ritu sepelirent. Non sunt regibus scriptæ leges, nec in Bohemia qvicqvam non permissum. Fredericus postqvam qvieturos Bohemos intellexit, qvorum motus in primis verebatur, reclamantibus Hungaris & Australibus, assumpto secum Ladislao rege Italiam ingressus, augustalem coronam à Nicolao qvinto pontifice maximo Romæ accepit. Exin visitato apud Neapolim rege Alphonso, cujus tum opes florentissimæ fuerunt, cujusqve neptem in matrimonium duxerat Leonoram, regis Portugalliæ filiam, moribus ac forma

ma præstantem, domum rediit. In eo itinere Ladislaus sæpe fugam molitus est, consilio pædagogi fretus, cum qvo postea captus, usqve in hunc diem custoditur in vinculis.

## Cap. LX.

*Qvomodo Australes Ladislaum regem ab imperatore petentes, non exauditi, bellum movent, Novamqve civitatem obsident.*

Australes interea svasore Ulrico Eizingero, sumptis armis præsides provinciæ à Frederico institutos vi pellunt, gubernatores ex seipsis duodecim eligunt, summam rerum Eizingero committunt. Inventorem qvoqve novitatum alterum Ulricum Ciliæ comitem in societatem accipiunt, auxilia ex vicinis gentibus accersunt, reversum imperatorem, missis legatis, aut regem Ladislaum tradere, aut bellum expectare jubent. Postulatis non tam rejectis qvàm suspensis, impatientes magis moræ qvàm belli, infestis signis Novam civitatem petunt. Committitur primo adventu atrox pro portis prælium, nullus sagittis modus, cadunt sine numero tela, bombardæ stragem hostium horrendam edunt. Miserabile visu, disiecta passim membra eqvorum atqve hominum cernere, cruorem late fluentem aspicere. Qva densissima fuit, unus perfregit aciem lapis emissus, idem alius atqve alius fecit, prostratis qvæcunqve occurrere, inermibus atqve armatis, nec tamen intermissa pugna. Conglobati hostes, magis ac magis insistere. Ubi res gladio geri cœpit, ac vir virum manu prehendit, eqvus eqvum impulit, pugnatum est aliqvandiu æqvo Marte. Postremo Cæsarianorum acies, non tam virtute qvàm multitudine superata, terga dedit, atqve in urbem trepide se recepit, unius militis Andreæ Poumkircher, postea à Cæsare ad Baronatum suffecti, audacia civitatem tutata est. Qvi ne victores cum victis uno agmine irrumperent, tamdiu pro porta solus impetum tenuit, donec conversi fugientes, globo facto, ex loco difficili hoste repulso, januam clausere. Firmata est deinde obsidio, & oppugnata machinis mœnia. Ex Bohemis solus Henricus Rosensis cum ducentis eqvitibus, peditibus fermè octingentis in castris

ſtris fuit. Hungari nondum venere. Neqve enim per inducias bellum inferre Cæſari licebat. Auſtrales circiter duodecim millia militum expeditos in armis habuere. Georgius Poggiebracius Cæſari, cujus erat amicus, opem laturus, ſedecim millia militum congregaverat. Sed audita concordia, in agrum regulorum Roſenſium exercitum duxit, villasqve late populatus eſt. Imperator enim interventu Caroli Marchionis Badenſis, Sigiſmundiqve Saltzburgenſis archiepiſcopi, Ladislaum è manu ſua dedit, Auſtralibus multa promittentibus, qvæ mox barbara fide negaverunt. Inter cætera conventum erat, *ad tertium idus Novembris conventum Viennæ habere, in qvo vocati utriusqve partis conſangvinei, Bohemi qvoqve atqve Hungari, de tutela regis nondum puberis judicarent, Ladislaum interea in poteſtate comitis Ciliæ extra Viennam degere, nihil prius adminiſtrare qvàm conſilii decretum fieret.* Verum puer poſtridie in urbem ductus, ſummis novisqve honoribus exceptus, è veſtigio magiſtratus in civitate creavit, præfecturas tota provincia inſtituit, ſacerdotia donavit, regio more curiam erexit. Hungari ad eum venere, inter qvos Joannes Hunniades fuit, qvi tum comitatum Biſtricenſem regia beneficentia conſecutus, haud aliter qvàm principes conſvevere, novæ dignitatis inſignia ſuſcepit. Accerſunt & regem ſuum Bohemi, cum Georgio Poggiebracio, qvibus non minora Ladislaus pollicitus, qvàm pater atqve avus promiſerant. Poſtqvam dies affuit cum imperatore conſtituta, Ludovicus Bajoariæ & Gulielmus Saxoniæ duces, Albertus qvoqve Marchio Brandenburgenſis, Carolus Badenſis, & multi ex Germania prælati ac principes advenere. Freqvens conventus habitus. In qvo præſidente Ladislao, oratores imperatoris, inter qvos & ipſi fuimus, ita auditi ſunt, ut victi apud victorem. Fruſtra æqvitas, fruſtra honeſtas, in medium deducta. Cuncta ex arbitrio comitis gerebantur. Ipſe pro rege verbum facere, ac reſpondere, qvi neqve leges, neqve pacta victorem obligare poſſe ajebat. Fredericum & jure ſimul & bello excidiſſe, armatis ac fortibus jura favere. Poſtremo infectis rebus conventus diſſolutus. Nicolaus Cardinalis ſancti Petri, doctrina & vitæ integritate conſpicuus, ad componendam pacem Apoſtolico imperio miſſus, ab Auſtralibus rejectus eſt. Ladislaus qvamvis rex appellaretur, alieno tamen arbitrio ductus, in regnis ſuis triumviratum deduxit. Joannes Huniades Hungariam rexit, Poggiebracius

 Bohe-

Bohemiam, Ulricus Auſtriam. Penes hunc major autoritas, qvi regem in poteſtate habens, illis qvoqve imperare poſſe videbatur. Promiſerat Ulricus & Hungaris & Bohemis regem ad eos propediem venturum. Hungaris primū ſatisfacere ſtatuit, diem illis apud Pozonium conſtituit. Conveniunt freqvētes Hungari, res ibi voluntate Huniadis ordinantur. Potentiori omnia parent. Ulteriꝰ regnum ingredi, neq; reginæ, neq; comiti viſum. Fit reditus in Vieñam, Bohemis dies inſtituitur, qva regem coronandum Pragæ ſuſcipiant. Erat inter Bohemos Joannes Smiricheus, homo nobilis, & facundiæ gratia inter primos conſtitutus. Is poſtqvam regem Bohemiam ingreſſurum cognovit, literas hujusmodi ad eum dedit. *Joannes Smirichens Ladislao regi ſalutem. Venturum te qvamprimum in regnum tuum probo, ſi modo imperaturus veneris, non pariturus. Inermem impotentemq́; intrare non laudo, ſi non bicipitem mater peperit, ut ex duobus capititibus unum Viennæ apud amicos dimittas, alterum Bohemorum dubiæ credas fidei. Vale.* Epiſtola comiti reddita eſt, qvi cognito tenore, Georgio eam remiſit. Ille accerſito procerum concilio, inter qvos Joannes non in poſtremis erat, literarum ſenſum ſuppreſſo ſcribentis nomine recitat, qvid mereatur ſcriptor percunctatur. Dignum morte primi judicant, nec Joannes ſuo loco ſententiam dicere juſſus, adverſari audet, proditorem & ipſum patriæ, afficiendumqve ſummo ſupplicio cenſet, qvi ea ſcripſit. Profertur mox epiſtola ejus manu conſcripta, & impreſſum annuli ſignum recognoſcitur. Damnatus ore ſuo comprehenditur, duarum horarum tempus datur, in qvo ſi velit, & animæ ſuæ ſaluti, & domeſticis rebus conſulat. Nec diutius vitæ dimiſſus, gladio percutitur. Sic vir magis eloqvens qvàm cautus, dum alienam ſervare vitam ſtudet, perdidit ſuam.

## CAP. LXI.

### *De ejectione Comitis Ciliæ, & privatione adminiſtrationis ſuæ.*

COmes interea, ut qvàm ſplendide regem in Bohemiam duceret, haud ignave operam dabat, ad eam rem non parum auri neceſſarium erat. Publicum ærarium exhauſtum, qvi eam ſummam crederent, neq; negociatores, neq; proceres inveniri. Mos eſt

est Austrialibus, qvotiens repentina principi necessitas ingruit, ex subditis pro modo facultatum pecuniam exigere, qvam vocant *Steuram.* Id tamen injussu provincialium haud permissum. Huc ergo revertitur. Convocantur apud novum Triticiburgum pro veteri consvetudine qvatuor ordines, Sacerdotes, Barones, Nobiles, Civitates. Ibi comes præsente rege convocationis causam edicit. Iter in Bohemiam regi necessarium ostendit, qva pecunia sit opus exponit, principi suo ut subveniant hortatur, neqve inopem mendicantiqve similem ad coronam suscipiendam ire permittant. Conventus deliberandi copiam petit. Ibi Eizingerus, qvi jam pridem à comite spretus, extra regis gratiam ejectus, occasionem qva se vindicaret expectabat, idoneum nactus tempus, vocatis seorsum primoribus, qvos sibi fidos, comiti insensos credidit, ita locutus fertur: *Qvid agimus, viri Austriales, semper ne Ciliensis mancipia erimus? Imperatoris jugum excussimus, ut comiti serviremus? Moderatius certe illius regnum fuit, tolerabilior duratio. Ille in Austria natus, nostrorum principum sanguis erat, & si verum fateri libet, nostri domini dominus. Qvia tamen ex re sua magis qvàm principis nostri provinciam rexerat, arma sumpsimus, præfectos ejus ejecimus, regem nostrum vindicavimus. Hic alienigena nostra demum ætate principatus honore donatus, nos omnes pro servis habet. Cui nostrum de republica consilium creditur? injussu nostro rex in Hungariam ductus est, superis gratia, qvi remiserunt incolumem. Nunc nescientibus nobis premissus Bohemis, Hungarica Bohemicaq; negocia solus comes pro libidine sua ducit. Neqve contentus duorum regnorum gubernatores vectigales sibi fecisse, Austriam solus exhaurit. Nam qvota portio est, qvam regius sumtus accipit? qvicqvid reliqvi est, comiti cedit. Major ei qvàm regi familia servit. Taceo concubinam instar reginæ cultam, cujus virum concivem nostrum, ô Viennenses, interfecit. Plena prædonibus & meretricibus domus ejus, inter hos regias opes effundit. Magistratus, præfecturas, sacerdotia vendit: ubi non sufficiunt publica furta, ad privatas facultates manus admovet. Qvicqvid olim peccavere opulenti, hodie plectitur, nulla vetustas impunitatem criminis habet. Neqve tuta innocentia est, inconvicta puniuntur scelera. Et offendisse majestatem convincitur, qvisqvis dives habetur. Nemo suæ substantiæ certus dominus. Eqvi, servi, liberi, conjuges vestræ, pro libidine comitis auferuntur. Nunc sumtus regii petuntur, qvibus in Bohemiã pergat. Fateor, non iniqva postulatio est, si fraus absit. Cautiorem me comitis artes ac versutiæ reddunt.*

*Sibi hæc pecunia non regi qværitur, novum aliqvod bellum novum argentum pariet. Nostris alitur malis sua qvies: pax ejus, nostrum bellum est. Insecurum facit nostra securitas. Pudet me patientiæ nostræ, qvi si viri essemus, facile opprobrium hoc è nostris oculis ejiceremus. Sed fuit hactenus prohibita conventio, nunc simul congregatis reipublicæ licet consulere. Resumite alacres spiritus, amicos qvisq; vestros commonitos reddite, ad imperium præsto cum armis adsint. Accingimini mecum, aut vobis libertatem, aut mihi mortem parabo. Illud in primis mihi ex usu videtur, multitudo ne regi postulata deneget, paucos ex primoribus eligat, qvi regem adeuntes semotis arbitris provinciæ necessitates exponant. Non dubium, qvin vobis mihiq; id muneris demandetur. Ego si regis alloqvendi facultas detur, exclusurum me comitem neqvaqvam ambigo.* Placet Eizingeri consilium, dant invicem dextras, jurejurando se astringunt alterum alteri non defuturum, donec comes ejiciatur. In conventu provincialium qvæ volunt ex sententia ordinant. Nec morati, regem adeuntes daturos argentum provinciales offerunt, esse tamen, qvæ soli sibi mandata perferant, rempublicam Austriæ concernentia. Jussis exire cæteris, soli apud regem manent. Ibi Eizingherus regem Austriali sangvine natum dicit, *nullos sibi fideliores Austrialibus esse. Imperium ejus illis naturale, cæteris violentum. Consilium ab his recipi oportere, qvi amant. Modeste ferre Austriales principis sui negocia non bene administrari, expilari provinciam, vexari subditos, vicinorum odia provocari. Comitem ditare suos, regem ad inopiam redigere: Ladislaum regem vocari, comitem regnare, bellum ab eo cum imperatore nutriri. Gubernatorem autem Hungariæ annua qvatuor & viginti milia nummum regi pendere, comiti duodecim milia. Idipsum reliqvos provinciarum præsides facere, omnes comiti vectigales esse. Nihil dubium, qvin ea mens hominis ad regnum qvoqve aspiret, amovendum eum priusqvam meditata perficiat. In atrocibus delictis etiam cogitationes plectendas esse. Posse haud difficile comitem ejici, verum taciturnitate opus.* Aperto consilio postqvam cuncta placent, intromisso comite deliberatio conventus exponitur, promissa pecunia dicitur. Viennam tamen, dum exigitur, esse petendam, ordinandam civitatem, ne qvid in absentia regis turbarum exoriatur. Ficta pro veris pleriqve referunt. Commendat deliberata Comes. Eizingerus Viennam præcurrit, senatum de mente regis edocet, cujus reditus civitati jucundissimus fuit. Nihil prima die actum. Postera summo mane

Eizinge-

Eizingerus regiam adit, collocatis in proximo divi Augustini templo mille armatis, qvi præsto ad signum irrumpant, alios tectis armis intrare palatium jubet. Conveniunt freqventes consiliarii, regem in cubiculo salutant, proceres exiturum in aulam expectant. Ex familia comitis nemo intromittitur. Ultimus omnium adest ipse Comes, qvi apud concubinam dormierat, nec tam cito venisset, nisi vocatus ab amicis in palatio novas res parari accepisset. Pulsanti fores non patuere, donec furens calcibus insultavit. Ubi ad regem ventum est, silentium aliqvandiu servatum. Deinde Eizingerum innuente rege ita locutum accepimus: *Ab hac hora, Comes, regiam tibi curiam interdictam scito, abi qvo libet gentium: neqve posthac gubernatoris nomen, neqve consiliarii, neqve regii familiaris usurpes: Hæc me tibi dicere rex jussit:* Ad ea Comes nihil mutato vultu, forti & constanti animo *indignum se cui talia dicerentur*, respondit. *Æmulorum suorum ea esse, non regis, solere principes qvi de se benemeriti essent, his meliora referre, se patri Alberto, se matri Elizabeth, se ipsi Ladislao summa fide servivisse, pro eo prius fudisse sangvinem qvàm nasceretur. Bella ejus causa difficillima confecisse, fuisse in carceribus, patrimonium fudisse, imperatoris odium incidisse, ut regnum ei conservaret, scire se benignum regem habere, & accepti beneficii memorem. Qvæ dicta essent verba, moribus suis non convenire, Eizingerum ea excogitasse, qvi jampridem sibi fuisset infensus, qvoniam pro sua libidine expilari regis bona non potuisset. Orare ne plus inimicorum odia qvàm sua merita valerent, ne bonitatem regiam adversariorum malignitas vinceret.* Fit silentium locuto Comite, non satis certo sentitur, an rex in sententia persisteret, & mutatum ejus animum ratione Comitis verebantur, inclinaturi qvo ille se verteret, ex cujus nutu pendere victoriam norant. Eizingerus de statu suo sollicitus, nihil cunctandum ratus, priusqvam rex comiti responderet. Ita inqvit: *Ego mandante rege verba feci, nihil de meo locutus sum, ipse adest, ipse me judicet. Dabo merito pœnas, si meam tibi, Comes, non regis voluntatem exposui. Et fare tandem Rex optime, nec nos ultra suspensos teneto.* Tum rex placide, ut consvevit, *ex mea*, inqvit, *intentione ac voluntate locutus est Eizingerus*, atqve his dictis subticuit. Vidisses erectas Australium mentes, & jam comiti tanqvam victo ejectoqve insultantes. Ille ad proceres exiens, qvos in aula congregatos diximus, ejectionis suæ contumeliam exposuit, consilium atqve auxilium expetens. Qvibus in voluntate regis omnia sita respondenti-

 bus,

bus, ad ſororem regiam ſe contulit, ab ea præter lachrymas & muliebrem ejulatum nihil extorqvet. Et jam undiqve per palatium ire armatos animadvertit. Cedendum itaqve potenti invidiæ cenſuit, neqve parum putavit ex inimica civitate ſalvum corpus educere. Clientes ejus audita rei novitate ſibi qviſqve fuga conſuluerant. Tacitus igitur & confuſo ſimilis cum qvatuor tantum comitibus ex aula diſcedens, in patriam ſuam conceſſit. Albertus Marchio Brandenburgenſis ne populares ſaxa in eum jacerent, ad portam uſqve tutum iter fugienti præbuit. Verum qveis prohibitæ manus ſuere, linguæ libertate uſi probroſa in abeuntem maledicta omnis generis congeſſere. Inconſtantis fortunæ ſingulare documentum. Nam qvi paulo ante tutor regis, & ſecundum in Auſtria caput erat, in qvem omnium oculi reſpiciebant, qvi belli paciſqve munera ſolus agebat, unico regis verbo poteſtate privatus, inops conſilii, & animo confuſus abiit.

## CAP. LXII.

### *De coronatione Regis Ladislai.*

REx paulò pòſt magnificentiſſimis apparatibus Bohemiam petiit, atqve in Praga ſummos conſecutus honores, regni coronam accepit. Bohemi in ejus ſumptus ſuorum qviſqve cenſuum tertiam partem contulere. Ex ea pecunia coronationis ſolennia peracta ſunt, ſupportata curiæ onera, & nonnulla coronæ caſtra redempta, qvæ vel Georgio Poggiebracio, vel amicis ejus commiſere. Manſit ibi non parvo tempore Ladislaus, nec unqvam hæreticorum eccleſias qvamvis rogatus intravit nec ſacris eorum interſuit. Presbyter qvidam ex factione Rochezanæ, in ſacello arcis rem divinam facturus, ſacerdotali veſte ornatus ad altare conſcenderat. Rex eo in loco ſacra, qvibus intereſſet, celebrare juſſerat. At ubi hæreticum id muneris occupaſſe, nec velle alteri locum facere didicit, miſſo magiſtro militum, prophanum ſacerdotem, niſi abiret, rapi extra ſacellum, & de proxima rupe præcipitari juſſit. Illi charior vita qvam contumacia fuit. Rochezanam in celebritate corporis Chriſti ſacram euchariſtiam per urbem deferentem ex feneſtra conſpicatus, nullum reverentiæ ſignum præbuit. Percunctantibus amicis ut qvid ſacramentum inhoneſtaſſet?

nestasset? *Non me latet*, inqvit, *divinissimum Christi corpus dignius esse qvam per me satis honorari possit, nec mea reverentia gloriam ejus auget, neqve dehonestatio decus imminuit. Verum mihi cavendum, ne dum Christum honoro, sacrilegum presbyterum Rochezanam popularibus approbasse videar, qvorum plerumqve mores ex principe pendent. Nec illi me Deum contempsisse putabunt, cujus sacratissimum corpus catholici presbyteri manu summis semper honoribus prosecutum videre.* Gravis hæreticæ factioni jam mora regis in Bohemia esse cœperat, cujus sacra ab eo & à cæteris principibus dietim confluentibus contemnebantur. Et jam qvi decepti errabant, aliorum contemplati mores, suas ineptias cognoscentes, relicta Hussitarum perfidia, ad ecclesiam revertebantur. Ob qvam rem cupientem in Austriam reverti regem, nullus hæreticorum est adversatus. Prius tamen qvam rediret, Uratislaviam nobilem urbem revisit, Slesiarum caput. Ibi cum divinis interesset in æde pontificali, freqventesqve principes convenissent, Poggiebracius qvoqve proximus regi adstaret, fama est, eaqve vulgata, Chilianum qvendam parasitum ex his, qvi stulticiam simulantes alios stultos faciunt, Poggiebracium his verbis compellasse: *Qvo vultu sacra nostra respicias plane adverto, animum non intueor. Fare obsecro, nonne satis nitida tibi videtur nostra religio? Vides ne qvàm multi & magni principes, & ipse rex noster unum ritum seqvantur? Cur non his potius qvàm Rochezanæ consentis? An plus sapere paucos Bohemos, qvàm reliqvam Christi ecclesiam, censes? Qvin relicta incondita plebe, nobilitati te jungas nobiliter.* At Poggiebracius: *Si tua hæc sunt verba*, inqvit, *non es qvem simulas, tibi tanqvam prudenti respondeo. Sin aliena, satisfacere me illis oportet, audi ergo. Ecclesiasticas ceremonias sua qvisqve pro fide gerit. Sacrificia ea facimus, qvæ credimus Deo grata. Neqve nostri arbitrii est credere, qvod velimus. Victa magnis rationibus mens humana, volens nolensq́; capitur, utq́; natura instituta est, altera facile trahitur, altera elabitur. Mihi persuasa est meorum sacerdotum religio. Si tuam seqvor, homines fortasse fallam, animæ meæ contrarius, Deum qvi corda inspicit, neqveo fallere. Neqve me tui similem esse decet. Aliud histrioni, aliud vero nobili convenit. Hæc vel tibi habeto, si sapis, vel his referto, qvi te submisere.* Comes Ciliæ dum hæc aguntur fractus animo, & omni spe reliqva destitutus, ab eo petere salutem coactus est, cujus saluti fuerat insidiatus. Ad Fredericum igitur confugiens, malo se usum consilio

dicit,

dicit, qvi dominum ſuum reliqverit atqve impugnaverit, recepiſſe ſe parati ſceleris pœnam, regia curia dejectum, & in alienis hoſpitiis auxilia mendicare coactum. Pœnitere qvamvis ſero prioris vitæ, dignus tamen cujus Cæſar miſereatur, qvi non tam nocuiſſe qvam prodeſſe poſſit. Reſtituturum Auſtriam, ſi ſuo conſilio fides ſit, nam ſecum primores provinciæ ſentire. Petit errati veniam, & in poſterum magna pollicetur, ſi priſtinam in gratiam recipiatur. Cæſar cui verba dare difficilimum eſſet, multa ſe comitis defectione paſſim damna tuliſſe commemorat, eaqve reſarciri expoſtulat. Neq; Auſtriam ſibi promitti ſufficere, qvæ non eſſet in comitis poteſtate, ſi ſua qvæ poſſideret, comes traderet, poſſe reconciliationem ſeqvi: ſin minus, non placere pœnitentiam, qvæ non ſentiret pœnam. Diu res agitata eſt. Poſtremo cum Fredericus facta cuperet, comes verba offerret, infecto negotio diſceſſum eſt. Erat per idem tempus inter Franciſcum Sfortiam Mediolani ducem, & rempublicam Venetorum grave atqve atrox bellum. Alphonſus Siciliæ rex Venetos adjuvabat, atqve ob eam cauſam Florentinos Franciſci amicos armis premebat, eumqve Senenſes ſeqvebantur. Nec dubium erat, qvin Franciſci conditio multo inferior videretur. Qvod cum ipſe adverteret, externa ex Gallis auxilia accerſivit, conducto grandi ſtipendio, Alphonſi æmulo, Renato Lotharingiæ duce, qvi paulo ante ex regno Siciliæ fuerat expulſus. Hujus adventu magna fortunæ inclinatio facta eſt, & Venetorum exercitus loco pulſi, debiliores viſi ſunt. Senſit hæc Ciliæ comes, atqve hinc ſuæ miſeriæ finem ſperare cœpit. Miſſisqve ad Venetos legatis, venturum ſe cum ingentibus Bohemorum copiis auxilio pollicitus eſt & finem bello impoſiturum, ſi ſtipendia darentur. Neqve id erat difficile. Nam Bohemi novarum rerum cupidi, & in armis educati, nullo imperio domi teneri qveunt, ſi qvis militantibus mercedem offerat. Adhibuerunt aures Veneti. Sed cum longinqva militia multum auri expoſceret, oblatam potius cum hoſte pacem accipere, qvam dubium emere bellum voluerunt. Fruſtratus iis Comes, poſtqvam foris nullum exilii ſui præſidium reperit, per amicos reconciliari Ladislao qværit. Neqve amplius adverſata fortuna eſt. Inviſus Baronibus Eizingherus, qvorum avaritiæ atqve rapinæ obſiſtebat, conſervare gratiam regis neqvibat, cum illi modo per ſeipſos, modo per filios, qvi regi diu noctuqve adſtabant,

aſtabant, Eizingerum criminarentur, & indigne pulſum Comitem dicerent,regi propinqvum, & qvi ſibi regnum reſtituiſſet. Libuit igitur ab exilio revocare Comitem.

## CAP. LXIII.

### *De reductione Ulrici comitis Ciliæ, & reſtitutione adminiſtrationis ſibi factæ.*

COmes Ciliæ iis geſtis,per amicos clam regi reconciliatur,reverſurusqve Viennam magno & ſplendido apparatu,mille ducens eqvites expeditos in armis, adit, venienti rex obviam extra urbem factus eſt. Primores, nobiles, populares, omnes ſecuti ſalutare, amplecti, laudare Comitem, certare invicem, contumelioſius ejecerint, an magnificentius revocaverint. Mira rerum mutatio. Qvi paulo ante mœſtus in exilium ierat, in triumphantis modum revertitur. Eizingerus, qvi culmen potentiæ conſecutus eum dejecerat, qvod in alium ſtatuit, in ſeipſum pati cogitur. Intrante namqve urbem Comite, ipſe cum amicis egreditur, ſpontaneum exiliu n eligens. Lubricus apud reges primus eſt locus,nec ſolida poteſtas unius voluntate ſubnixa. Ferunt comitem, Eizingeri cognito receſſu, laudaſſe hominem, qvi fortunæ ludibrio ſe ſubtraxerit, *paratam ei turpiſſimam fuiſſe mortem, ſi judicium expectaſſet. Uſurum optimo conſilio, ſi curiales procellas perpetuo declinaverit. Nec tamen ſibiipſi curiæ mores placere, fluxa incertaq; omnia eſſe, omnibus horis inſtare pericula, acceptam ſuperiori anno ignominiam menti ſuæ ſemper hærere, ſemper ante oculos eſſe turpem ejectionem, contumelioſum exilium, probroſa verba, mirari qvod non pejora pertulerit: Deo gratias agere, qvi ſibi priſtinum ſtatum reddiderit, ſatisfactum honori ſuo eſſe, nec plura cupere. Manſurum tamdiu apud regem, donec ejectionis infamiam glorioſi reditus rumor extinguat, potentiam deinde, & regis amicitiam, & populares aures malle ſe dimittere qvàm perdere.* Non tam fortiter ea fecit qvàm dixit ſapienter. Potentiam qvi conſecutus fuerit nemo tam facile deponit, qvàm damnat. Retinent amici, implicat gloriæ cupido, obſtat inimicorum metus, ſemper eſt qvod craſtinare compellit. Facilius Gordii famoſum in Aſia

nodum qvis solverit, qvàm potentiæ regniqve blandiciis sese explicaverit.

## Cap. LXIIII.

### *De dolo comitis Ciliæ, Joannem Huniadem ab administratione regni Hungariæ cupientis amovere.*

Hungari postqvam regem in Austriam rediisse accipiunt, legatos ad eum è vestigio mittunt, utqve in Hungariam veniat, suum regnum visitatum, petunt. Joannes Huniades per idem tempus Hungariam ferè universam in potestate habuit, regiæ arces in manu ejus fuere, eqvestres pedestresqve copiæ uni ei paruere. Id nonnullis regni Baronibus invidiosum ac molestum erat, atqve in primis comiti Ciliæ, qvi locum ejus optabat, nec post electionem ab eo promissum acceperat aurum. Criminari ergo Joannem, regi odiosum efficere *illum regem esse, non Ladislaum, vectigalia ad eum cuncta deferri, munitissima regni oppida, arces, eqvos, arma, in potestate ejus esse. Nihil dubium qvin regni coronam qværat, si neqveat per Christianos, conaturum per Turcas, qvibus bis magnos Hungarorum exercitus prodiderit. Palam Turcis infestum videri, clanculum esse amicum. Bis fidem ab eo violatam, reginam Elizabeth, introducto rege Poloniæ, contra jus fasq; repulsam. Polonum, qvem accersierat, in bello desertum. Si pergat in Hungariam Ladislaus, in ejus manu aut vi, aut veneno periturum. Id solum qværi, dum regis in Hungariam transitus petitur. Qvi provincias ex arbitrio suo regunt, eos sine fraude dolisvè superioris præsentiam non expetere; insidias proculdubio in caput regis paratas esse. Præveniendum facinus, & in autorem vertendum scelus. Promittendum in Hungariam iter, prius tamen Joannem sub specie pacandi regni ad curiam evocandum, venientem capiendum atqve necandum, sic Ladislaum paterno regno perfrui posse.* Tutissimum illud consilium ac salubre visum, compositis insidiis Joannes ad regem vocatur. Ille ab amicis de fraude certior factus (difficulter enim res magnæ silentur) pariturum se regi in Hungaria respondit, iturumqve qvocunqve jusserit, extra regni fines non esse obnoxium. Mittuntur igitur ad eum primores curiæ cum comite Ciliæ, qvi secum in finibus Hungariæ conveniant ad oppidum Coziæ, conventumqve

tumqve Viennam abducere si neqveant, intra oppidum arte tractum interficiant. Joannes ad jactum teli cum duobus millibus eqvitum constitit, colloqvium in campis offerens. Comes Ciliæ *se regis vicem gerere* ait, *gubernatori eos adire, qvi regis mandata perferant, haud indecorum esse, neqve se ita ignobilem, ut cedere Joanni debeat, colloqvium intra oppidum & qvietius & honestius haberi posse.* Joannes legationem ad se missam dicere, *legatos ei cedere ad qvem mittantur, de nobilitate non esse in præsentia certandum. Cæterum in Hungaria, Comites Ciliæ regni gubernatores seqvi solitos, postremo munita se oppida minime ingressurum, nisi præsidium intus habeat, æqve ut Comes.* Ita rebus infectis discessum. Nova deinde fraus excogitata. Vicerunt Joannem communes amici, adventus in Viennam promissus, si modo rex principesqve nominatim suis literis securitatem facerent. Oblata sunt omnia, qvæ optavit. Ille ad octo millia passuum Viennæ appropinqvavit. Ad qvem Lambergius nobilis eqves jussu Comitis egressus, properare eum festine jussit. Jam enim rex magno comitatu obviam exisset, & cum eo Comes, qvi literas publicæ fidei afferret. Motus eo nuncio Joannes, triginta ferme stadia versus urbem profectus est, inspiciensqve late campos, cum neminem exire obviam cerneret, in propinqva villa consedit. Tantisper moratum, Comes cum qvadraginta tantum eqvitibus adiit, & ne regem occurrentem moraretur, eqvum repente ascendere, festinareqve jussit. Joannes *late*, inqvit, *campi patent, neqve ego vel regem vel alium qvempiam video venientem.* Tum Comes æstum causatus, regem intra vineas & arbores expectare in umbra dixit. Interrogatus de literis, apud regem eas esse respondit. Intellexit fraudem inesse Joannes, seqve verbis incassum duci. Conversus ad Lambergium, *recte*, inqvit, *mentitus es mihi.* Cui Lambergius, *Qvæ jussit Comes, ea dixi. Si qvis error insit, eum argue. Ipse suam causam agat, qvi mandavit, mihi parere necessarium fuit.* Rursus Joannes Comitem intuens, *siccine ludificare homines pergis? Fraude me appetis? ego te v[i] p[o]ssem perdere. Incideras in foveam, qvam fodisti, si vellem. Qvis prohibere potest, qvin de te hodie ultionem accipiam, dignaq; tuis factis præmia reddam? Reverentia regis te salvum facit, illi tuam vitam dono, non tibi, cave posthac, ne meos ante oculos veneris.* Atqve ita rursum conveniendi spes adempta. Multa post hæc inter Hungaros & regem agitata sunt, & cum ipso Joanne pactiones habitæ. Arces nonnullæ regi redditæ, rex ipse Budam profectus.

## CAP. LXV.

*De cruce signatis, & pugna eorundem contra Turcas, victoriamq; apud Albam in Hungaria.*

INterea mortuo Romæ Nicolao V. Pontifice maximo, qvi Eugenio qvarto successerat, Calixtus tertius Petri cathedram est adeptus. Qvi cognita Mahumetis Turcarum imperatoris voluntate, Hungariam sibi armis subjicere cupientis, (jam enim Constantinopolim græciæ culmen expugnaverat) Joannem cardinalem Sancti angeli, virum industrium ac magnanimum, cum legatione in Germaniam misit, Septentrionis vires in Turcas concitaturum. Coactus est exercitus non tam armatus qvàm fidelis. Vulgus incomptum, populares inopes arma sumpsere, qvos æternæ vitæ præmia commoverunt: opulenti homines, præsenti rerum statu contenti, domi mansere. Odiosus plerumqve potentibus sermo divinus: qvibus desunt facultates, levis in cœlum volatus. Mahumetes autem Constantinopolitana victoria superbus, congregatis ingentibus copiis, in Thracia per Triballos in Hungariam properans, centum qvinqvaginta millia pugnatorum ducere ferebatur. Et inflatus opinione sui, tantoq; tumens exercitu, nil dubitare, qvin devicta Hungaria, Illyricos penetrare sinus, atqve intima rura Liburnorum, & fontem superare Timavi, rerumqve caput Italiam atqve Romam uno impetu subigere posset. Verum parva urbs, & alioqvin ignobilis, tantos ejus conatus retinuit, Taurinum appellavere majores, nostra ætas illam vocat Albam, ad confluentes Danubii Saviqve sitam. Hanc primam oppugnare statuit, propter opportunitatem transeundi fluminis. Joannes Capistranus ordinis Minorum professor, vitæ sanctimonia clarus, ea tempestate Hungaros in arma publicis sermonibus excitabat. Qvi ubi appropinqvare Turcas accepit, nihil moratus, in Albam se contulit, haud parvam cruce signatorum manum adducens. Joannes qvoqve Huniades contractis raptim copiis, eò profectus est. Cardinalis Budæ remansit, auxilia undiqve ciens. Rex ubi advenisse Turcas cognovit, nec vires Hungaris esse, qvæ tantam vim ferre possent, mobiles gentis animos veritus, neqve satis tutam Budæ moram arbitratus, sub specie venationis urbem egressus, in Austriam propere se recepit. Turca interim apud

Albam

Albam castra metatus, summis viribus eam urbis partem oppugnare adoritur, qva planus patuit aditus, dispositisqve tormentis raræ atqve insolitæ magnitudinis priores muros aperuit. Vacuum haud parvum spatium intus erat, usqve ad murum alterum. Hic cruce signati stationes habuerunt. Parum tecta armis acies, gladiis hastisq; tantum hispida, verum ferocitate animi, & cœlesti auxilio tuta. Ingressi per muri ruinas Turcæ, atrox cum his prælium commisere. Capistranus ex turri clamitans Christianos hortari, vexillum crucis ostendere, opem de cœlo promittere, maledicere hostibus, Dei præsentiam implorare. Huniades modo huc modo illuc cum globo militum currere, instaurare ordines, pro fessis validos, pro sauciis integros sufficere, imperatoris ac militis officium exeqvi. Pugnatum est summa utrinqve vi, modo nostri, modo Turcæ pedem referre. Audaciores, primiqve bellatores confossi gladiis cadere, super cadavera passim strata belligerari, pulsi extra mœnia hostes. Instante suo Imperatore, urgente, castigante, Turcæ iterum irrumpere, iterum pugnare acriter, Christianos in ultimum discrimen adducere. Postremo Christiana virtute repulsi, denuo periculi magis qvàm pudoris anxii, oppidum fœda fuga reliqvere. Rursus seqventibus cruce signatis, extra muros pugnam instaurare. Mox ex proposito fugere, & qvàm remotissime ab oppido Christianos protrahere. Interim aciem à latere immittere, qvæ reditum in urbem egressis intercipiat, furentes nostri ac victoria exultantes, in qvod præcipitarentur discrimen, non advertere, paulum processuris & à fronte & à tergo periculum imminere. Vidit ex muris Capistranus transversam hostium aciem, insidiasqve cognoscens, revocare suos cœpit. Cum parum exaudiretur, tympanis ac tubis confundentibus vocem, præceps in pugnam dilabitur, atqve inter duas acies, inter tela volantia percurrens, clamoribus ac signis cruce signatos redire coëgit, apud qvos nulla erat Huniadis vel fides vel autoritas, qvorum magna pars Teutonica fuit, Hungarico infensissima generi. Fraudati magna spe Turcæ in castra redierunt, cum qvatuor & viginti horis interdiu noctuqve, nunc muros qvatientes, nunc manu pugnantes prælium protraxissent. Multi ex utraqve parte cecidere, plurimi ex Turcis, & hi qvidem præstantiores. De cæsis hostibus varia sententiã est. Qvidam super qvadraginta millia periisse tradiderunt, nonnulli viginti millia cæsa fuisse affirmant. Alii ad sum-

mum qvatuor millia cæsa fuisse dicunt, qvod nobis infra verum esse videtur. Neqve enim in tanto exercitu videri clades ea octiduo potuisset. Major profecto jactura tantum imperatorem fugere compulit, qvi seqventi nocte incensis castris ac machinis, cum toto exercitu trepidus abiit, nec tam audax superbusqve venerat, qvàm timidus dimissusqve fugam arripuit. Traditum est sub papilla confossum, salutem desperasse, vulnus ejus obsidioni finem dedisse, inter fugiendum plures qvàm in acie periisse. Victoribus ea tantum præda relicta est, qvæ non potuit ignis absumere, tormenta scilicet ænea, & arietes ferro graves, machinarumqve ingens vis. Huniades & Capistranus huic bello interfuere, uterqve rem gestam scripsit, neqve alterius mentionem fecit, alteruter solidam sibi rei gestæ laudem usurpavit. Ingens dulcedo gloriæ, facilius contemnenda dicitur, qvàm contemnitur. Spreverat Capistranus seculi pompas, fugerat delicias, calcaverat avaritiam, libidinem subegerat, contemnere gloriam non potuit. Qvi summo Pontifici bellum, atqve exitum belli describens, nulla Huniadis, nulla Cardinalis facta mentione, totum suum esse dixit, qvod gestum erat, qvamvis Deum inprimis victoriæ confessus fuerit autorem. Nemo est tam sanctus, qvi dulcedine gloriæ non capiatur. Facilius regna viri excellentes qvàm gloriam contemnunt. Verum paulo post & Huniades & Capistranus alter morbo, alter senio obiere. Felices animæ qvibus tam claro peracto prælio, tanto populorum favore qvæsito, ægra relinqvere corpora datum est.

## CAP. LXVI.

### *De interfectione comitis Ciliæ per Ladislaum Huniadis filium patrata.*

LAdislaus audita Huniadis morte, svadente Ciliæ comite in Hungariam rediit, duobus sibi ut videbatur æmulis liberatus, altero qvi fraude, altero, qvi vi suum regnum appeteret. Non minus Huniadis obitus, qvàm Turcarum conflictus cordi fuit, qvi sublato adversario Hungariam jam sibi parere non dubitat. Cæca humanæ mentis judicia, sæpe læta pro tristibus, pro lætis tristia ducunt, futuri nulla homini certitudo. Nemo novit qvid vesper vehat, nemo tam superis amicus

cus est, ut crastinam sibi lucem promittere possit. Multi dum se credidere dejectos, in sublime rapti sunt, multos exilia claros fecere, & optata consecutis sæpenumero exitio turpitudiniqve fuerunt. Comiti multo salubrius fuerat Huniadem vixisse, qvi Hungariam suæ neci destinatam clausisset. Nunc metu vacuus, regem in Albam ducit, hostium spolia recogniturum, & campos visurum, ubi prælia gesta, ubi barbara castra fuere. Eam urbem Ladislaus filius, valido præsidio retinebat. Qvi venienti regi, purpuratis, togatisqve portas aperuit, armatorum circiter qvatuor milia ab ingressu prohibuit. Hic dum mora trahitur, rem divinam spectante rege, consilium de morte Comitis in abdito conclavi proceres ineunt. Vocatus eo Comes, an iret aliqvamdiu hæsitavit. Exin diploide vix penetranda ferro indutus, proficiscitur. Venientem Ladislaus *proditorem* compellat, qvi patri sæpe necem paraverit, infensumqve sibi regem reddiderit, nunc diem venisse, qvo scelerum pœnas luat. Sunt qvi Comitem prius arguisse Ladislaum dicant tanqvam regi rebellem, qvi ejus armatos intrare oppidum vetuisset. Illud constat, Comitem arrepto ex manu armigeri gladio, Ladislai caput petentem, nonnullos interjectæ manus digitos amputasse, exorto clamore Hungaros irrupisse, defendentemqve se magno animo Comitem multis confossum vulneribus obtruncasse. Nec moratos, ea novitate regem perculsum adeuntes, occisum regni hostem dicere, digna meritis præmia reddita. Regi nihil timendum esse, cuncta ejus imperio parere, nunc regnum ejus incipere, prius apud Comitem fuisse. Rex qvanqvam vehementer commotus erat tam atroci facinore, supra tamen qvam ejus ferebat ætas, dolorem atqve vim compressit, nec dubitavit jure cæsum comitem profiteri. Amicis vero circumstantibus, ferendumqꝫ qvodcunqve id esset dicentibus: *Atqvi sic necessitas*, inqvit, *exigit. Ferendum est qvicqvid vitari non potest. Adeptam Comiti vitam reddere non possumus. Ille suo fato functus est, nos nunc nostra manent, qvæ Deus optimus maximus meliora faxit.* Jussitqve defuncti cadaver plaustro impositum Ciliam deferri, atqve in sepulchris majorum condi.

Cap.

## CAP. LXVII.

### *De laude Joannis Huniadis per Regem Ladislaum pronunciata.*

IPse autem rex, Alba relicta comitante Ladislao, Budam repetere statuit, inter eqvitandum ad oppidum Huniadum pervenit. Ibi conjunx Huniadis obviam facta est, ob mortem mariti lugubri veste induta, puellæqve qvæ circa eam erant dejectis in terram vultibus, pullis amictibus mœrorem præ se ferebant. Rex matronam complexus, *indigna sunt*, inqvit, *hac vestimenta, qva ob mortem viri tui deferas. Joannes Huniades de morte transivit ad vitam. Ille Hungariam Christo, mihi regnum servavit, Christiani nominis hostes fudit, fugavit, perterruit, pacem Hungaris peperit, salutem cunctis fidelibus aperuit. Fortia ejus facta etiam hostes admirati sunt, & vitam & mortem posteritas consecrabit. In pralio strenuus, domi mitis, in bello vicit hostes, in agritudine seipsum superavit. Consilio ac manu suas acies sustentavit, perfregit hostiles. Ubi adesse extremum vita tempus agnovit, & urgere vim morbi, non est passus dominicum corpus ad se deferri, neqve enim dignum existimavit servum a domino visitari, surrexit è lectulo qvamvis labentibus membris, & cum deficiente virtute suis pedibus ire non posset, in adem se vehi sacram jussit. Ibiq́; de more Christiano, si qva extabant rerum humanarum vestigia, sordium confessione detersit, & sacrosanctam accipiens eucharistiam, inter sacerdotum manus terrena fastidientem animam exhalavit. Et qvo illum migrasse credimus, nisi ad eum pro qvo tot bella depugnavit? Ad imperatorem suum perrexit fortis miles, cum Christo regnat, qvi pro Christo tot periculis se objecit. Jampridem debitum sibi cœlum tenet, non est cur divinitate fruentem lugere oporteat. Congaudere gaudenti aeqvius censeo. Facessant intempestiva lachryma, supervacaneiq́; luctus, absit omnis mœror atque inprimis lugubres habitus, pullasq́; vestes exuite.* Atqve his dictis, purpureas tunicas auro distinctas afferri jussit, easqve viduæ ac filiis dono dedit. Puellas qvoqve pro sua dignitate donatas, mutare habitum imperavit, totumq́; diem lætitiæ dari. Convivia demum splendide apparata, inter epulas & vina saltatum cantatumqve, qvasi celebres nuptiæ per luxum & jocum actæ.

## CAP. LXIIX.

### *De captivitate filiorum Joannis Huniadis, & decollatione Ladislai filii ejusdem senioris.*

His blandimentis allecti Huniadis filii, nihil jamdudum ex cæde Comitis in caput suum verti posse confidebant. Itaqve posito metu, regem usqve ad Budam secuti sunt, aulamqve inprimis æstimati cultiqve freqventabant. Verum amici Comitis regias aures dietim pulsare, *illustrem principem avunculum regium sine causa necatum conqveri, majestatem gravissime læsam dicere. Inultum tam atrox scelus relinqvendum non esse, corrigendum audacem juvenem, ac temerariam audaciam nisi mature coërceatur, in furorem verti. Nullum inveniri clementem virum, qvi juventutem crudelitate insigniverit. Arma in manibus nepharii adolescentis periculosa esse, ausurum proculdubio etiam in regem, qvi regi proximum obtruncaverit. Jam illi regnandi spem factam, patrem ejus idem concupivisse, animum seni, non voluntatem defuisse, graviorem ætatem discrimina qvæqve metiri, juvenem, qvodcunqve libuit, factu facillimum credere, per æqva & iniqva ad regnum tendere. Occurrendum priusqvam malum amplius serpat, in Ladislao & facta & meditata inveniri facinora ultimo supplicio digna.* Rex sive iis motus, sive suapte natura incensus, designata hora, qva filii Huniadis ambo in regiam concessissent, armata juvenum manu portas claudi jubet, adolescentesqꝫ captos in carcerem rapi. Cum qvibus & Joannes episcopus Varadinensis, raræ virtutis ac facundiæ, & pleriqve alii comprehensi sunt, tanqvam cædis Comitis & insidiarum, qvæ regi pararentur, conscii. Ladislaus qvatuor & viginti natus annos, egregio corpore adolescens, flavis de more crinibus super humeros passis, revinctis post tergum manibus, talari atqve aurea veste indutus, & eadem fortasse qvam sibi paulo ante rex donaverat, in publicum producitur. Erecta cervice, oculis hinc & illinc spectantibus, impavidus atqve intrepidus ad supplicium pergit. Ubi ad locum ventum est, qvo cervix amputanda erat, jussus genua flectere, pauca prius pro sua excusatione locutus, carnifici paruit. Præco cui damnatorum crimina publicare mos est, imperato silentio, nihil aliud dixit, nisi *eo modo corrigi, qvi domino suo infideles essent.* Carnifex religata Ladislai coma ne collum impediret, jussus percutere,

q nutans

nutans labansqve vix tandem qvatuor ictibus candidam cervicem abscidit, atq; ita nobilis adolescens occiso Comiti parentavit. Frater ejus in vinculis retentus est. Episcopus Varadinensis, multum instante Cardinale Sancti angeli, qvi tum legatum apostolicum agebat, Dionysio episcopo Strigoniensi, eidem qvoq; Cardinali & pari legatione fungenti, secundum canones judicandus traditur, de cæteris captivis suspensum judicium, qvi tamen paulo post fractis carceribus evasere. Rex Budæ non diu moratus in Austriam se recepit, Matthiam Huniadis filium coævum, captivum ducens. Cum per Strigonium iter faceret, vocatum ad se Joannem Varadinensem præsulem, bono animo esse jussit, iis verbis usus: *Cum essem Budæ, feci qvod voluere Barones, neqve enim mei juris eram. Qvod te cepi, illorum fuit: qvod te supplicio culpáq; libero, meum est. Spectata mihi tua virtus, nihil de te sinistrum credi sinit. Abi, & qvem gessisti hactenus, episcopatum gere.*

## Cap. LXIX.

### *De conjuge Regi tradenda.*

IN Austria de conjuge regi tradenda diu cogitatum, multæ virgines offerebantur, tantum conjugium expetentes. Verum nobilissimo regi qvæ coire merito posset, nulla dignior visa est Magdalena, Caroli regis Franciæ filia, cum propter ætatem convenientem, egregiam formam, pudicos mores, tum propter sangvinis excellentiam, raramqve nobilitatem, & majorum ejus late gloriam. Placet legatos mittere, qvi sponsam petant: de loco nuptiis eligendo contentio exoritur, Hungari Budam, Australes Viennam, Bohemi Pragam tantæ celebritati deputandam ajunt. Diu res trahitur, nutante rege. Ob eam causam Georgius Poggiebracius cum octingentis expeditis eqvitibus in Austriam usqve ad Danubium proficiscitur, magna se habere dictitans, qvæ regi pandat. Tranare jussus atqve urbem ingredi, *Viennam sibi suspectam* ait. Rogatus per nuncios qvæ velit pandere, negat *se alteri qvam regi arcana dicturum, non esse ab re trans fluvium regem pergere.* Eundumne fuerit, aliqvantisper hæsitatum. Senatui non placebat, tantum licentiæ dare subditis, insolentes eo modo fieri, & majestatem vilescere. Ladislaum gubernatoris movebat autoritas, & aliqvod subesse

esse arduum existimabat. Neq; latebat eum honestatem utilitati cedere, ac tempori serviendum esse. Perrexit igitur inermis ad armatum, tria millia eqvitum secuta, togatus magis qvam loricatus exercitus. Tentoria in ulteriore Danubii ripa protensa, dimisso spatio inter bina castra, & tabernaculum in medio collocatum, in qvo rex cum gubernatore conveniret. Qvatuor diebus colloqvium productum est, rex per noctem in urbem rediit. Primus congressus publicus fuit, in qvo salutatio de more facta, & honos regi habitus. In altero atq; item altero, duo tantum sermonis testes adhibiti. In qvarto semotis arbitris, solus cum rege Georgius tabernaculum introivit, verba inter eos habita non sunt prodita. Ex iis tamen qvæ postea secuta sunt, manifestum, de transitu regis in Bohemia fuisse tractatum. Ubi sermone sæpius habito non coiere voluntates, indignabundus Poggiebracius minabundusq; retro in Moraviam iter flexit. Regi haud salubre consilium visum est, dimisisse hominem male pacatum, qvem penes regni potestas esset, qvi nocere pariter ac minari posset. Misit ergo primores ex curia proceres, qvi placatum retraherent, sin minus, facturum postulata regem promitterent. Inventus in itinere, nec de reditu verba fieri passus est, nec de sententia sua qvicqvam detraxit. Promissus itaqve in Bohemiam regis transitus, & nuptiarum solennitas Pragæ destinata. Nec dicto fides defuit. Ordinatis Austriæ rebus etiam ante diem dictam ingenti rex apparatu Bohemiam petiit. Intranti Pragam, Rochezana cum sacrilego presbyterorum comitatu pompam ducens, obviam venit, & habita oratione, pro fausto feliciq; reditu congratulatus est, vix admonente Poggiebracio rex gratias egit, hæreticum ac pestiferum torvis oculis clerum inspiciens. Ubi vero majoris ecclesiæ sacerdotes sacra ferentes occurrerunt, *Hos*, inqvit, *dei ministros agnosco*, atqve ab eqvo prosiliens, consalutatis omnibus sacram crucem osculatus est. Erant enim Romanæ fidei sectatores, qvi pro testamento Dei exilium longo tempore passi, Sigismundi tandem vocatione sua loca recuperaverant. Hæc Ladislai pietas multorum offendit animos, qvi Rochezanæ studebant ineptiis. Suppressum tamen ac dissimulatum odium. Inde duæ legationes missæ; altera ad Imperatorem Fredericum de pace actura, in qva princeps fuit Eizingerus: altera ad Carolum Franciæ regem, ejus filiam petitura. In hac primas partes gessit Ulricus Pataviensium præses, moribus ac doctrina præditus, qvem tradunt octo-

ginta eqvos albicantes duxiſſe. In ea legatione ſeptingenti eqvites profecti ſunt, qvadrigæ auratæ, matronæ ac virgines ſplendido apparatu, qvæ ſponſam ducerent, veſtes præterea donaqve tanto matrimonio digna miſſa. Tertia qvoq; legatio ad Calixtum pontificem maximum decreta erat, qvæ controverſias de religione dirimeret, regnumqve Bohemorum Romanæ eccleſiæ conjungeret. Super his qvarta cura regis urgebat animum, comparandi contra Turcas validi exercitus, qvo tandem noſtra ætate ſcelerata Mahumeti ſuperſtitio pelli ab Europa poſſet. Jam de concordiæ formula cum Frederico convenerat, inſtruebantur regiæ nuptiæ maximo ſumptu, ſplendidiſſimo apparatu, Imperator & Auguſta vocati, ambæ regis ſorores cum viris eam celebritatem acceſſuræ ferebantur. Saxoniæ, Bajoariæ, Sileſiæ, Franconiæ, Rheni principes, multi qvoqve ex Gallia reguli, venturos ſe promiſerant, non ſolum nuptias ornaturos ſua præſentia, verum etiam de tuenda republica Chriſtiana contra Turcas acturos. Sed hos tantos cogitatus, has pulcherrimas inſtitutiones, tantum rerum ordinem immatura mors ac repentina regis interrupit. Incertæ vanæqve cogitationes hominum, futurum qvicqvid cæca caligine Deus occuluit, ipſe ſibi gubernacula retinet univerſi. Nihil ſine ſuo nutu mortales agitant. Sapienter ab eo juſteqve cuncta reguntur, ſæpe in conſpectu ejus æqviſſima ſunt, qvæ nobis videntur iniqva. Nihil perperam, nihil temere divina majeſtas agit, nos cœci verſamur in tenebris, minimum eſt qvod cernimus. Ad regimen animæ noſtræ liberum nacti ſumus arbitrium, ad ſalvandas animas lux reddita Chriſtianis. De regimine civitatum, de mutatione regnorum, de orbis imperio, minimum eſt qvod homines poſſunt: magna magnus diſponit Deus.

## Cap. LXX.

### *De infirmitate & morte Ladislai Regis.*

LAdislaus igitur decimo Cal. Decembres, hora circiter duodecima noctis, ægrotare cœpit. Sunt qvi ulcere peſtifero percuſſum ingvine dicunt, pleriqve nullum peſtilentiæ ſignum apparuiſſe. Verum mihi ita res conſcripta eſt ab his, qvi diligenter tum

rum medicos, tum cubicularios audivere. Sederat in judicio rex, qvod de nobilitate inter Poggiebracium & Cernhaoram Moravum magnis contentionibus agebatur, ita ut alter alterum ad duellum provocaverit. Neqve de more indutus prodierat, linea tantum indumenta susceperat, & desuper Persicum habitum, qvem vocant *schubam*. Neqve toto auditorio ridere visus, tristem vultum notavere omnes. Id signum præsagientis ægritudinis judicatum. Dimisso tribunali, cœnavit inter purpuratos, composito ac gravi sermone usus. Post multam noctem in cubiculum ductus, oblatas rapulas, qvæ apud Bohemos dulcissimæ sunt, avide comedit, siceramqve bibit, sermones haudqvaqvam tristes inter cubicularios miscuit. Priusqvam lecto decumberet, orationem de more ad superos habuit, qva finita, gravatum se dixit, & stomachum vehementer dolere. Cui unus ex cubiculariis natione Bohemus, *Ascende*, inqvit, *stratum, dolorem somnus excludit*. Paruit rex, qvietiqve se tradidit. Cumqve ad horam dormivisset, vocato iterum cubiculario, vim doloris qvi sensim cresceret, intolerabilem esse ait. Ille de se judicium faciens, nihil somno melius affirmare, sic dolorem cessurum dicere. Jam noctis hora tertiadecima fermè effluxerat, regi nulla qvies dabatur. Ne tamen cubiculariis molestus esset, dolorem in diem tacitus pertulit. Tum medici accersiti, qvod suarum partium erat desperata salute fecerunt. Georgius & ipse vocatus percunctari ex rege cur doleret, qvid morbi esset, spem bonam præbere, ne sibiipsi deesset hortari, peteret qvæcunqve vellet, omnia in arbitrio suo posita, mandaret parere cupientibus. Ad qvem rex, *Tua mihi, Georgi, jampridem cognita fides, spectataqꝫ virtus est, per te Bohemus usqve in hanc diem me regem appellavit. Speravi me potiturum regno, qvod ipse paraveras, nunc contra superi jubent. Mihi moriendum est, regnum in tua manu erit. Duo ex te peto. Alterum, ut provinciales juste regas, pupillis, viduis, imbecillibusq. rectum judicium patrociniumq. ne subtrahas. Alterum, ut qvi me secuti sunt ex Austria, cæterisq. provinciis, in patriam suam inviolatos remittas. Hoc mihi supremum beneficium ne deneges.* Præmaturas regis cogitationes Georgius esse respondet. *Futurum brevi sospitem, ex suo arbitrio regnaturum, desineret ea proloqvi qvæ & sibi incommoda, & aliis forent molesta.* Tum rex apprehensa manu, *Aje*, inqvit, *promitte qvod cupio, nam me mori certum est. Si feceris qvæ jubeo, Deum propitium tibi reddam. Neqve enim ita vixi, ut cœlum mihi negari putem, pro cœlestibus terrena*

 relinqvo,

*relinqvo, tu cave postulatis adversari.* Non potuit tenere lachrymas Poggiebracius, deditqve fidem facturum, qvod rex imperasset. Finito sermone intromissis sacerdotibus de curatione animæ actum. Christiano more sacramenta exhibita. Rex ornamenta sua Pragensi ecclesiæ legavit, jussitqve crines in auri modum fulgentes, ne qva superesset vanitas, amputari. Id ministri causas moræ nectentes neglexere. Ubi anima ægra amplius demorari non potuit, sacram candelam petiit, eamqve manu prehendit, & intuens Salvatoris imaginem crucifixi, orationem dominicam dicere orsus ad finem usqve perduxit. Pronunciatisqve ultimis verbis, *Sed libera nos à malo*, nihil amplius locutus, non extrema pati sed qvietem arripere visus, mortalis vitæ lumen reliqvit. O imbecillem humanæ naturæ conditionem! O inanem mortalium gloriam. O cœcas hominum mentes! qvid jactamur? qvid extollimur? Qvid est qvod dignitates, opes, potentiam, tantopere flagitamus? Perpetuo his frui cui datum? Ladislaus nobilissimus adolescens duodeviginti natus annos, in ipso gloriæ culmine, tot regnis, tot gentibus imperans, tot deliciis atqve opibus affluens, inter tot auxiliantium manus, intra sex & triginta horas, postqvam ægrotare cœpit, extinctus est.

## Cap. LXXI.

### *De opinione & causa infirmitatis & mortis Regis.*

MOrtem ejus alii morbo, alii veneno imputavere. Medici Teutones, qvorum potissima corporis cura fuit, in Austriam reversi palam dixere, *qvamprimum ægrotare rex cœpisset, se vocatos, manifesta mortis ac veneni signa comprehendisse; neqve ausos in aliena terra manifestare qvæ viderant, timuisse potentiam eorum, qvorum scelere rex periisset, regi clam aperuisse omnia, respondisse illum non ignorare toxicum datum, silentium imperasse, ne regis morti suam adjicerent.* Senatus Viennensis ubi vulgari eam famam animadvertit, medicorum verbum inde fieri prohibuit, ne Bohemorum adversus se ferociam provocarent. Qvi violentam mortem dicunt, Poggiebracium & Rochezanam criminantur. Poggiebracium tum regi fuisse infensum, cum

ad

ad Danubium usqve profectus Viennam ingredi noluit, non sine causa suspectum ei regem fuisse. Conscias mali mentes metu impleri, qveis integer est animus, his omnia tuta videri. Ab eo tempore regiæ vitæ paratas insidias, Rochezanam nunqvam regi placuisse, idqve palam factum, cum sicut ante diximus, sacra ferentem contempsit. Nec me latet fama vulgatum esse, idcirco regem apud Pragam nuptiarum celebrationem decrevisse, ut concurrentibus eo Catholicis principibus potenti manu hæreticos comprehenderet, finemqve tandem Hussitarum insaniæ daret. Id præsensisse Rochezanam & Poggiebracium, necemqve regi pro sua salute machinatos. Mihi qvid horum verius videatur non facile dixerim, neqve certa pro incertis ausim affirmare. Aliorum dicta recenseo,& plura scribo qvàm credo. Illud constat,præter Rochezanam,cui regiam mortem nemo non acceptissimam judicavit,&Georgium,reliqvos regni proceres extincto rege in magno mœrore fuisse, & publicum toto regno luctum, qvi ad VII. Cal. Dec. continuatus est. Tunc regia pompa peractis exeqviis defuncti corpus in sinu proavi sui divi Caroli Romanorum Imperatoris sepultum, circumvectio per urbem more majorum neglecta. Dum hæc scribo, Alphonsi regis Arragonum, cui præsentem historiam dedicaveram, multis formidatus, pluribus expectatus, mihi qvidem acerbissimus nunciatus est obitus, V. Calend. Julii clausisse oculos traditur. Hispaniæ atqve Italiæ rebus aliam formam præbiturus, lugendumqve Camœnis fatum, & ingens disertis jactura viris. Utinam successori cura virtutis sit, minorqve seculo nostro calamitas ingruat, qvàm timemus. Nos operi, qvod jam reqvirit, summam admovemus manum. Georgius ea die, qvæ inter mortem Ladislai & funeris eductionem media intercessit, accersitis proceribus gubernationem suam non expirasse regis obitu dixit, provinciam usqve ad Pentecosten commissam sibi fuisse affirmans. Arma tenenti, nemo finitum morte mandantis imperium objicere ausus. Pragenses gubernationi suæ nihil morati se commisere. Matthias Huniadis filius ex Vienna ductus, qva die rex obiit,Pragam applicuit, atqve in potestatem Georgii factus est. Nec diu postea rex Hungariæ designatus, magnis sponsionibus dimissus, è carcere volavit ad regnum. Advenæ,qvi Ladislaum secuti fuerant, suam qvisqve domum petiere.

## Cap. LXXII.

### *De Georgio Poggiebracio, Rege Bohemorum sextodecimo.*

EXinde constituta die qva novus rex eligeretur, multi tractatus habiti. Carolus rex Franciæ, qvi filiam Ladislao desponderat, regnum alteri ex filiis suis petere aut ei committi, cui filiam tradere non dedignaretur. Casimirus rex Poloniæ sororem defuncti regis sibi nuptam esse ajebat, eiqve regnum deberi. Pari ratione Gulielmus Saxoniæ dux utebatur, cui soror natu major nupsisset. Fredericus Imperator ejusdem regni ordinationem suam esse affirmabat, in qva feudi solennia neglecta fuissent. Nec sine spe Sigismundus & Albertus Austriæ duces fuere, qvi deficiente rege Bohemiæ sine virili sobole ex Austria vocandum veteri fœdere principem norant. Rochezana venenorum sator crebris sermonibus usurpare, *aut regem suæ professionis eligendum esse, aut si nemo tanto fastigio dignus videretur, Hebraico more judices assumendos*, veteris legis exempla memorans. Ubi dies constituta illuxit, auditis legationibus in conventu procerum, utilitate regni discussa, Georgius Poggiebracius rex pronunciatur, militiæ domiqve apprime clarus, cui ad res gerendas nec consilium nec ætas deesset. Ea res necati regis maxime suspicionem auxit. Ipse ex prætorio primum in ædem beatæ Mariæ, ubi Rochezana præsidet, solenni pompa deductus, Deo gratias egit, ibiqve novello regi publica salutatio exhibita. Mira rerum mutatio, & novus syderum influxus. Duo potentissima regna eodem tempore rege orbata, ex nobilissimo atqve altissimo sangvine ad mediocres homines pervenere. Sic Deo placuit, ludere fortunam dixisset antiqvitas. Nos divinæ providentiæ cuncta tribuimus. Utriusqve regis electionem nonnulli calumniantur, vim adhibitam dicunt, neqve jure valere qvod metus extorserit. Nobis persvasum est, armis acqviri regna, non legibus.

*FINIS HISTORIÆ BOHEMICÆ.*

INDEX



# INDEX CAPITUM.

*Cap. I. De situ regionis Bohemicæ, de fluminibus ejusdem, & civitatibus ac de Bohemorum moribus.* *pag.* 8
*Cap. II. De origine gentis Bohemorum* 10
*Cap. III. De Zechio, primo duce Bohemiæ* 11
*Cap. IV. De Croco, secundo Bohemorum duce.* 13
*Cap. V. De Libussa filia Croci, qvæ pluribus annis rexit Bohemiam.* 13
*Cap. VI. De Primislao, tertio Bohemorum duce.* 14
*Cap. VII. De puella Valasca, qvæ principatum Bohemiæ more Amazonum, septennio potenter obtinuit.* 16
*Cap. IIX. De puella Sarca, qvomodo dolose nobilem Stiradam deceperit, mortiqve tradiderit.* 18
*Cap. IX. De Nimislao qvarto, ac Mnata qvinto, Vorcioqve sexto, nec non Vinslao septimo Bohemorum ducibus.* 21
*Cap. X. De Grezomislao, qvi & Nedam dictus est octavo Bohemorum duce. Et gravi bello, qvod gessit cum patruo suo Vratislao.* 22
*Cap. XI. De infidelitate Duringi, qvi Vratislai filium sibi commissum interfecit, pœnamqve condignam dedit* 23
*Cap. XII.* De *Nostirico nono, & Borsivojo decimo Bohemorum ducibus, qvi & ultimus Paganorum ducum fuit, & tandem cum uxore sua fidem Christi suscipiens baptizatus est.* 24
*Cap. XIII. De situ Moraviæ, & Svatocopio, penultimo rege ejusdem, qvi & primus Christianus inter reges Moraviæ fuit.* 24
*Cap. XIV. De Spitigneo undecimo, ac Vradislao duodecimo Bohemorum ducibus.* 26

*Cap. XV. De sancto Venceslao martyre, tertio decimo, & fratre suo Boleslao qvarto decimo Bohemorum ducibus.* 26
*Cap. XVI. De Boleslao qvinto decimo Bohemorum duce.* 28
*Cap. XVII. De* Boleslao *sexto decimo Bihemorum duce.* 29
*Cap. XIIX. De Udalrico, septimo decimo Bohemorum duce.* 30
*Cap. XIX. De Bisetislao decimo octavo Bohemorum duce.* 32
*Cap. XX. De* Spitigneo *decimo nono Bohemorum duce.* 34
*Cap. XXI. De Uratislao vicesimo Bohemorum duce* 34
*Cap. XXII. Vratislaus dux Maguntiæ in regem creatur per Henricum imperatorem qvartum, regnoqve Bohemiæ, Poloniam, Silesiam, Lusatiam, Moraviamq; adjecit.* 35
*Cap. XXIII. De Conrado vicesimo primo, Bisetislao vicesimo secundo, ac Boleslao vicesimo tertio, nec non Borzivislao vicesimo qvarto Bohemorum ducibus.* 36
*Cap. XXIV. De Uladislao vicesimo qvinto Bohemorum duce, & Rege secundo.* 37
*Cap. XXV. De Sobieslao vicesimo sexto, & Friderico vicesimo septimo, nec non Conrado vicesimo octavo, ac Bisetislao vicesimo nono, atqve Venceslao tricesimo Bohemorum ducibus.* 37
*Cap. XXVI. De Primislao tricesimo primo Bohemorum duce, & Rege 3tio.* 38
*Cap. XXVII. De Venceslao Bohemorum Rege qvarto. Et de Othocaro Bohemorum Rege qvinto.* 38
*Cap. XXIIX. De sancto Venceslao Bohemorum Rege sexto.* 41
*Cap. XXIX. De Venceslao* Bohemorum *Rege septimo.* 43
*Cap. XXX. De Rudolpho* Bohemorum *Rege octavo.* 44
*Cap. XXXI. De Heurico* Bohemorum *Rege nono.* 44
*Cap. XXXII. De Johanne* Bohemorum *Rege decimo.* 45
*Cap. XXXIII. De Carolo* Bohemorum *Rege undecimo, qvi & postea Romanorum Imperator factus, Carolus qvartus dictus.* 46

## INDEX CAPITUM.

*Cap. XXXIV. De Venceslao Bohemorum Rege duodecimo, qvi & Rex Romanorum extitit.* 48
*Cap. XXXV. De perfidia sectæ Hussitarum & damnatis articulis professionis illius.* 49.
*Cap. XXXVI. De Johanne Hus, & Hieronymo hæresiarchis, in Constantiensi concilio igni traditis.* 53
*Cap. XXXVII. De morte Venceslai Regis* 57
*Cap. XXXIIX. De Johanne Zischa hæreticorum Hussitarum capitaneo, in armis strenuissimo, ac victoriosissimo.* 58
*Cap. XXXIX. De Sigismundo Bohemorum Rege tertiodecimo & Romanorum Imperatore.* 59
*Cap. XL. De civitate Thabor, & exstructione ejus, fratribusq; Thaboritis.* 60
*Cap. XLI. De Adamitis hæreticis.* 62
*Cap. XLII. Qvomodo Sigismundus Bohemiam ingressus coronam regni acceperit, minusq; feliciter pugnaverit.* 63
*Cap. XLIII. De Orebitis hæreticis.* 64
*Cap. XLIV. De multis præliis & victoriis Johannis Zischæ.* 65
*Cap. XLV. De Johanne Rochczana presbytero hæretico.* 71
*Cap. XLVI. De morte Johannis Zischæ.* 71
*Cap. XLVII. De Orphanis hæreticis, qvi post mortem Zischæ separaverunt à Thaboritis.* 72
*Cap. XLIIX. De expeditione in Bohemiam contra hæreticos & rebelles per Martinum Papam qvintum instituta, & de infelici pugna contra eosdem.* 74
*Cap. XLIX. De inchoatione Basiliensis concilii, & vocatione Bohemorum ad ipsum concilium, ut fidei suæ rationem redderent.* 77
*Cap. L. Oratio Juliani Cardinalis ad Bohemorum legatos responsivaq; eorū.* 78
*Cap. LI. De victoria Bohemorum fidelium, & debellatione morteqve Procopii ac aliorum hæreticorum.* 80
*Cap. LII. Qvomodo Sigismundus Romæ coronatus, post multas dissensiones & bella cum pace & gaudio à Bohemis suscipitur.* 84
*Cap. LIII. De morte Sigismundi Imperatoris, & qvem reliqverit in testamento hæredem* 89
*Cap. LIV. De sepultura Sigismundi Imperatoris.* 90
*Cap. LV. De Alberto Bohemorum Rege quarto decimo & etiam Romanorum Rege.* 91
*Cap. LVI. De morte Alberti inclyti regis.* 95



Digitized by Google

Cap. *LVII. Quomodo Bohemi post mortem Alberti, eligunt in Regem Albertum Bojoariæ ducem, sed electioni consentire noluit.* 96
Cap. *LIIX. De Ladislao infante Bohemorum Rege quintodecimo.* 98
Cap. *LIX. De morte Barbaræ imperatricis uxoris Sigismundi.* 103
Cap. *LX. Quomodo Australes Ladislaum regem ab Imperatore petendes, non exauditi, bellum movent, Novamq; civitatem obsident* 104.
Cap. *LXI. De ejectione Comitis Ciliæ, & privationis administrationis suæ.* 166
Cap. *LXII. De coronatione Regis Ladislai.* 110
Cap. *LXIII. De reductione Ulrici, comitis Ciliæ , & restitutione administrationis sibi factæ.* 113
Cap. *LXIV. De dolo comitis Ciliæ Johannem Huniadem ab administratione regni Hungariæ cupientis amovere.* 114
Cap. *LXV. De crucesignatis & pugna eorundem contra Turcas victoriamq; apud Albam in Hungaria.* 116
Cap. *LXVI. De interfectione comitis Ciliæ per Ladislaum Huniadis filium patrata.* 118
Cap. *LXVII. De laude Johannis Huniadis per Regem Ladislaum pronunciata.* 120
Cap. *LXIIX. De captivitate filiorum Johannis Huniadis & decollatione Ladislai filii ejusdem Senioris.* 121
Cap. *LXIX. De conjuge Regi tradenda.* 122
Cap. *LXX. De infirmitate & morte Ladislai Regis.* 124
Cap. *LXXI. De opinione & causa infirmitatis & mortis Regis.* 126
Cap. *LXXII. De Georgio Poggiebracio Rege Bohemorum sexto decimo.* 128.

## *FINIS HISTORIÆ BOHEMICÆ.*

